CARMINI FIMIANI

IN REG. NEAP. ARCHIGYMNAS.
PRIMAR. ANTECESSOR.

ELEMENTA
IVRIS FEVDALIS

COMMVNIS, ET NEAPOLITANI

LIBRIS TRIBVS DIGESTA

In quibus rerum origines, cauſſae, & progreſſus ex barbaricis antiquitatibus recenſentur, illuſtres quaeſtiones exponuntur, diplomata paſſim explicantur, & multa Scriptorum medii aevi teſtimonia illuſtrantur, & emendantur.

Accedit commentariolus DE SVBFEVDIS EX IVRE COMMVNI, ET PATRIO.





NEAPOLI MDCCLXXXVII.
EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.

Superioribus annuentibus.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI

IOSEPHO M. CAPYCIO ZVRLO

S. R. E. CARD.

ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

CARMINVS FIMIANVS F.



Anta est beneficiorum vis, imperium tantum, EMINENTISSIME PRINCEPS, ut vel ferreos animos in obsequium flectat eorum, qui praeclare de se merentur, feriſque prorsus sit comparandus, qui gratitudinis stimulos non persentiat. Nae ingratus non is modo, qui beneficium negat, aut dissimulat, verum etiam qui pro viribus suis non reddit; ingratissimus omnium, qui obliviscitur. Suadet grati animi virtus, aestimare beneficium apud se, palam explicare, re-

Digitized by Google

pendere ſaltem paria; verba minimum. Ecce iam cauſſam, cur diu mihi deliberandum non fuit, cuinam opuſculum hoc, in quo de iure beneficiario, virorumque Principum in inferiores homines prolixa voluntate ac munificentia, pleniſſime diſſeritur, potiori quodam iure nuncuparem. Sive enim privata, ſive publica ſpectetur cauſſa, tot, tamque illuſtria ſunt Tua in me, & rempublicam univerſam merita, ut, licet nullam exigas gratiam, recte factis Tuis contentus unice, tamen ingratus ne dicam improbus ſim, ſi exiguo hoc grati animi monumento, quam multis meritorum vinculis Tibi iamdiu obſtrictus ſim, publice teſtari diutius differrem. Me hominem in privatis Muſarum umbraculis latitare cupientem, & naturali quodam pudore ſubruſtico Procerum limina reformidantem,

Digitized by Google

tem, humaniſſime arceſſiviſti, in fidem benigne recepiſti, meas aliquid putaſti eſſe nugas, copiam feciſti mihi Te talem virum contemplandi e propinquo, & iucundiſſima conſuetudine perfruendi; iis tandem officiorum generibus me devinxiſti, quae cordi ſemper infixa haerebunt, nec ulla umquam dies imminuet, aut annorum ſeries obliterabit. Animum prope deiectum ad ſtudia mea fovenda humaniſſime erexiſti; quin auctor & ſuaſor extitiſti mihi, ut ſepoſitis parumper theologicis & eccleſiaſticis diſciplinis, in quibus fere conſenui, animum vireſque ad feudiſticum ius ex barbaricis antiquitatibus, genuinis nimirum fontibus, enucleandum conferrem. Optime de litteris mereri, magnum ac prope divinum eſt: nec ii ſolum de illis promerentur, qui ſcribendo inſudant, ſed & qui

Digitized by Google

e dignitatis fastigio Musas benigne respiciunt, cohortatione & auctoritate alios ad scribendum alliciunt, eosque complectuntur ac fovent, qui bonarum artium studia consectantur. Quid ergo ni opusculum, quod a Te profectum merito censeatur, Tibi omni iure debebitur? Porro quae potius beneficia dicenda, quam virtutes ad imitandum comparatae; aut qui de hominum genere magis merentur, quam qui insigni exemplo ceteris ad virtutem praelucent, excitant, inflammant? Ecquid, quaeso, aliud, PRINCEPS EMINENTISSIME, ad tantam honoris & gloriae amplitudinem Te evexit, nisi vitae integritas, morum innocentia & suavitas, pietatis ardor, contemtus rerum humanarum, incredibilis quaedam consilii & prudentiae vis? His percitus virtutis aestimator & fautor eximius

BE-

Digitized by Google

BENEDICTVS XIV. P. M., Te Calenae eccleſiae antiſtitem dixit, ut qui pietate ac doctrina ceteris praeeſſe, ac prodeſſe poſſet, ei epiſcopatus honos & onus deferretur, munuſque graviſſimum ceteros ornans ab eo exornaretur. Felicem rempublicam, ſi munera viris, non viri muneribus augeantur, magnoſque accipiant, non faciant! Divino delato honori Tu inſerviſti, PATER, non Tibi honos. Paſtor fideliſſimus, pondus diei & aeſtus ipſe geſtans, nullum induſtriae genus praetermiſiſti, nullum laboris, in quo Te cura bonitatis, & animarum ſollicitudo non exercuerit. Inde divino prorſus conſilio factum, ut e caſtiſſimae ſponſae ſinu complexuque aegerrime divellereris, graviori pro re chriſtiana pondere oneratus. Etenim Neapolitana eccleſia paſtore viduata, ſtatim in Te con-

Digitized by Google

ſenſere omnium ordinum ac ſapientum virorum non tacita modo deſideria & voluntates, ſed palam etiam voces atque ſermones: Te in denati antiſtitis locum, Te in munus mira animorum conſpiratione ſurrogabamus. Votis noſtris obſecutus eſt ſacerdotalis animi Rex FERDINANDVS IV., qui Te abſentem, ac ne cogitantem quidem, Neapolitanum Archiepiſcopum honorificentiſſime renuntiavit, dignumque Maieſtate ſua pontificem coram Aulae Proceribus ſemel iterumque praedicavit. Mox PIVS VI. Pontifex nomine ac re Maximus, Te quidquid extolleret ſupra ceteros ſemper refugientem, Te honoribus nihil obviam euntem, quin etiam averſantem, in Patrum Purpuratorum ſenatum ultro cooptavit, & verenda auctoritate impulit. Ariſere fata tibi, BEATISSIME PATER,

de

Digitized by Google

de CAPYCIO excellenter abs Te ornato. Nullum ad famam perennem Pontificatus Tui monumentum illustrius, quam CAPYCIVS. Res Tuae celebrabuntur, maximae omnes, profectae ab aeterna auctoritate, providentia, maturitate, virtute divina, qua rem christianorum publicam moderaris: profecto inter ingentia facta Tua CAPYCIVS erit, abs Te illuc evectus, unde quantus sit, & quanta pietate ac virtute toti pateret orbi christiano. Sublimi iam loco positus, ANTISTES EMINENTISSIME, virtutem Tuam latius extendis, lucemque morum in totam rem christianam princeps ecclesiae disseminas. E christianae pietatis, gravitatis, mansuetudinis sententia deliberas universa: exemplo blandissime iubes. Totus in eo es, ut celsissimae dignitatis fructum omnem ecclesia percipiat,

Digitized by Google

piat, nullum ipſe decerpas. Omni tempore adeunt Te facile omnes, audiuntur benigne omnes, omnibus opportunus; nemo abs Te, quin beneficiis, aut certe officiis devinctus, abit: quodque rari in culmine tanto exempli eſt, divini verbi ipſe praeco, ſacramentorum miniſter ipſe, chriſtianae ſcientiae rudes ipſe per ſuburbana loca diſcurrens erudis patientia mirâ, morbo confectis, & iam morituris chriſtiana perfugia & ſolatia ipſe praebes. Quantacumque Tibi lux oboritur ex honore tanto, totam reflectis in eccleſiam: fulcimenta dignitatis refundis in eamdem: quos illa cuſtodes, aſſeclas, ſtipatoreſque circumdat, ornamenta honoris ampliſſimi, laboras ut auguſtiorem honorem, non hominem faciant. Sacrum CHRISTI & pauperum aerarium ita partitus es, ut in neceſſa-

rium

rium Tibi usum anguste portione deducta, reliquum fideliter eroges. Nihil inde aufert atrienſium cohors, non ordo ſtipatorum longus, non pudendo interiora luxu, non exteriora abſumunt oſtentatione populo placitura. Domum tuam Te uno ornas: nihil in ea, quod ſit curantis aliquid mortalia, nihil quod non ſit omnino aſpernantis; nuſpiam oculorum illecebrae, nuda fere omnia ſed ubique occurrunt, quae chriſtianae pietatis deſiderium inſtituant, & contuentem faciunt meliorem. Comitatu modeſto & parvo uteris in proceſſu publico tamquam CHRISTI diſcipulus, non ſaeculi princeps; at magno prodis ſemper virtutum Tuarum agmine deducente, & fulgore quodam arcano perſtringis obvios. O diligat ergo praepotens Numen animum iſtum tam probe imitantem

Digitized by Google


divina; provehatque in melius felicitatem, quam virtute Tibi facis; toto floreas aevo tam diurno, tamque integro, quam factis promereris. Quod reliquum est unum, CARDINALIS AMPLISSIME, hoc qualecumque demum est reculae, quod solio tuo in grati ac memoris animi tesseram venerabundus sisto, pro consueta benignitate tua libenter excipe; praesertim quum id non quaeratur, ut opera tam levi me exsolvam, sed ut tamquam in tabulis, quam Tibi in perpetuum addictus obstrictusque sim futurus, publice profitear. DEVS optimus & clementissimus propitius votis annuat, quae pro salute & incolumitate Tua libens volensque nuncupo. Dat. Neap. pridie idus Iun. MDCCLXXXVII.

DIA-

Digitized by Google

DIATRIBA ISAGOGICA

DE IVRE FEVDALI RITE COLENDO.



Vriſprudentia feudalis, priſcis maioribus noſtris ignota, in barbarorum armis & incurſionibus enata, tum ubique fere recepta, paſſimque expolita & aucta, cum optimis quibuſque diſciplinis, ceteriſque iuris partibus, de praeſtantia & dignitate contendere poteſt. Ea res perſequitur graviſſimas & praeſtantiſſimas; non enim occupatur in ſervitutibus & ſtillicidiis, in rivis & cloacis, non in crepundiis, aedificiis, & villis rerum vacuis, nec in agrorum aliquot iugeribus, cenſuum ac tributorum onere ita exhauſtis, ut vix aliquid poſſeſſori relinquant, quam operas & ſervitutem; ſed agit de cardine reipublicae, de nexu imperantium & parentium, de iuribus ſummorum Principum

Digitized by Google

pum, & eorum qui proximum ab iis locum tenent, de imperiis & regnis, de praediis militaribus & latifundiis equeſtribus, de baronum, comitum, ducum ampliſſimis poſſeſſionibus, atque iuribus. Quid vero iure clientelari pulchrius, iucundiuſque? Quum omnis delectatio ex varietate exſurgat, ſive ſpectes feudalium dignitatum origines, diverſoſque vaſſallorum ordines, ſive pacta feudis legem dantia fere innumera, & varia ſervitiorum genera, ſive rerum in feudum concedi ſolitarum copiam, & eximium caeremoniarum feudalium apparatum, ſive tandem omnem feudorum aliis quamplurimis ex cauſſis ſecum diſſidentium exercitum luſtres, mira ſe ſe ubique prodit varietas. Nec parum oblectamenti affert ipſa doctrinae novitas, quippe diverſis & antea numquam auditis principiis diſciplina feudalis innititur, exhibetque mores, inſtituta, philoſophiam, & politicam poſteriorum gentium.

Porro feudiſticum ius ad nobiliſſimum finem dirigitur, nempe tum ad familiarum decus & ornamentum, tum praeſertim ad conſervandum imperii ſtatum, eiuſque fines pro re nata proferendos. Quum enim nihil beneficentia adcommodatius ſit

ad

Digitized by Google

ad hominum animos arctiſſimo quodam nexu copulandos, in feudis concedendis gratia & munificentia Principum maxime elucet, quum, praeter pecuniariam utilitatem, magnifica iura & ornamenta conferantur, quibus nobiles familiae ſplendorem conſervant & augent, novique homines vulgo ſecreti inclareſcunt. Quod ſi bellum exarſerit, non erit ſperandum ab iis, qui intelligunt non modo teneri ſe officio cuivis bono civi communi, verum etiam beneficii, quo frui pergunt, accepti memoria ſentient ſe, niſi ingratiſſimi ſint, ad tuenda & augenda imperii iura extimulari? Hac potiſſimum de cauſa invectus, & a poſterioribus gentibus receptus eſt feudorum uſus, ut facilius inveniantur, qui in communibus periculis principi & patriae alacri ſortique animo litent.

Ex dictis nemo eſt, qui ſtudii iuris feudalis neceſſitatem utilitatemque, eiuſque ſimul amplitudinem inſignem, & haud levem difficultatem, confeſtim non perſpiciat. Nimirum tanta ubique eſt copia feudorum, ut vix bona ſuperſint a feudali nexu libera. Adhaec innumerae de iis quotidie agitantur controverſiae, & quidem non levis momenti, quas nemo pro di-

Digitized by Google

dignitate tractabit, nemo iure definiet, nisi in feudalis iurisprudentiae sacris rite institutus. Quid ergo ni tanta rerum feudalium multitudo, tamque frequentes caussae de feudis hodiernos iurisconsultos ad enixam operam & industriam clientelari disciplinae navandam excitet, atque compellat? Quem vero praeterit, satis fructuosa esse argumenta feudalia, & ob lucrum pinguioremque quaestum alodialibus privatorum caussis praestantiora, quum unica quandoque feudalis controversia longe uberiora pariat compendia, quam centum civiles caussae? Hinc tritum illud Iasonis (1), & Alberici de Rosata (2), effatum: *Materia feudorum subtilis est, & lucrosa.*

Porro feudisticae iurisprudentiae tractatio de iure publico est, quippe quae in iure imperii, regnorum, principatuum, iurisdictionum, aliarumque publicarum possessionum versatur (*); aut certe feudale ius medium est inter civile & publicum, quum a privatorum rebus paullatim ad altiora adsurgat, quibuscum principum iu-

ra

(1) *In praelud. feudalib. p.* 194.
(2) *In rep. iur. canonic. p.* 151.
(*) Conf. Lichtenhahnii *epistolam de usu iurisprudentiae feudalis in caussis publicis & illustribus.*

Digitized by Google

n connectuntur. Hinc scite Morhofius (3) admonet, iis, qui iuris publici studio curatius incumbere volunt, res feudales perfunctorie tractandas non esse; quum enim cetera iura pleraque sint privata, haec feudalia se immiscent principum rebus, & alte ex historia sunt repetenda. Quam vero iuris publici investigatio necessaria sit iurisconsulto, aperit Iustinianus (4), dum ea ediscenda monet, quae civem ad rempublicam in partibus sibi creditis administrandam idoneum reddunt. Nec veteres iurisconsulti de sola legum explicatione, sed de omni fere reipublicae negotio, teste Cicerone (5), consulebantur, adeo ut iurisprudentia politicam fere omnem complecteretur. Hinc iurisconsultus & privatum, & publicum ius in numerato habere debet: quo nomine Tuberonem Pomponius (6), & Titum Aristonem Plinius (7) collaudat. Et Iustinianus (8) iurisprudentiae ambitum non so-

(3) *Polyhist. lib. III. 6. 7. 15.*
(4) *In prooem. inst. §. ult.*
(5) *De orator. lib. III.*
(6) *L. 2.* §. 46. *D. de orig. iur.*
(7) *Lib. I. ep. 22.*
(8) *In §. IV. inst. de iust. & iur.*

Digitized by Google

lum privato, verum etiam publico iure concluſit.

Quod autem vehementer dolendum eſt, nulla unquam diſciplina tamdiu neglecta & ſqualore obruta iacuit, quam beneficiaria, quae ceteris iuris partibus dignitate, neceſſitate, utilitateque non facile concedit. Merito queritur Cuiacius (9): *Nulla iuris pars peioris conditionis, quam illa, quae de feudis eſt. Qui ceteras ſe tenere profitentur, hanc reiiciunt quaſi barbaram.* Veteres iuriſperiti operae pretium non habuere illam ex inſtituto pertractare. Poſt Henricum Hoſtienſem iuris cultores tantum non omnes appendicis loco ius feudale interpretati ſunt in iure canonico, ut Petrus de Ancharano, Aegidius Bellamera, Sinibaldus Fliſcus, Felinus, Ioannes Andrea, Nicolaus de Tudeſchis, aliique Decretalium interpretes. Alii vero illam ablegarunt ad argumentum iuris emphyteutici, adeoque Codicis libro IV. adglutinarunt, ut Imola, Bartholus, Baldus, Iaſon, Azo, Salicetus, Cynus, & reliqua ſaeculi XIII. & XIV. interpretum cohors. Qui vero argumentum hoc pecu-

(9) *Tom. III. opp.* p. 651.

Digitized by Google

culiaribus ſcholiis dignati ſunt, illud curſim docuerunt feſtis diebus in lectionibus ſabbatinis, nempe horis ſubſecivis & feriatis temporibus, quibus ab ordinariis maioris momenti ſtudiis vacabant. Eiuſmodi lectiones ſaeculo XIII. XIV. & XV. frequentiſſimas fuiſſe comperimus. Pylei Icti Bononienſis *dexteritatem in ſolvendis iurium quaeſtionibus ſabbatinis, atque de facto emergentibus* collaudant veteres interpretes. Goffredus Beneventanus quaeſtiones ſabbatinas conſcripſit. Idem fecit Iacobus Alvarotus, ut ipſemet (10) teſtatur. Franciſcus Curtius (11) de ſe fatetur: *Diebus, quibus non ordinarie legebatur, aggreſſus ſum docere ius feudale*. Itaque indignum iuriſconſulto viſum fuit, ex inſtituto mentem & operas in iure feudali collocare, parum utilitatis ei ineſſe rati, adeoque ſuperficiariam tractationem obiter dandam. Et quamvis ſaeculo XVI. humaniores iuriſconſulti eluxerint, tamen ii ſtudia feudalia poſuerunt potius in iure Romano, rerumque Romanarum antiquitatibus, quam in barbaricis vetuſtatibus.

(10) *In procem. feud. pag. 3.*
(11) *Part. I. feudor. in praef.*

Digitized by Google

Conſtat enim ex teſtimoniis Gronovii, Heinſii, Voſſii, Gruteri, Salmaſii, Perizonii, Caſauboni, aliorumque, illos cum humaniſtis ſibi perſuaſiſſe, iuris Romani Pandectas pro univerſali norma humanarum actionum habendos eſſe, ad quam ideo revocari debere lites feudales, definiendas ex titulis *de uſufructu*, *de emphyteuſi*, *locato conducto*, ceteriſque his argumentis affinibus.

Equidem iis non adſtipulor, quibus ſola placuit Graeca, vel Romana antiquitas, reliqua gentium, licet praeſtantiſſimarum, antiquiora inſtituta neglectui fuere, nova vero barbaricarum plane ſorduerunt. Medium iter hac in re tenendum eſt. Vetera quidem magni facienda, ſerioque inveſtiganda ſunt; at nova haud ſpernenda, ne *dum vetera extollimus*, *recentium incurioſi ſimus*, quod ſcite Romanis exprobravit Tacitus (12). Nonne omnia, quae nunc antiquiſſima ſunt, nova fuere, & noſtra quoque aetas aliquando antiqua, immo antiquiſſima, erit? Omni tempore natura nova & laudabilia providentiſſime profert. Eleganter Plinius (13): *Sum*, inquit,

(12) *Lib. II. Annal. cap.* 88.
(13) *Lib. VI. ep.* 21.

Digitized by Google

quit, *ex iis, qui mirer antiquos, non tamen, ut quidam, temporum noſtrorum ingenia deſpicio. Neque enim quaſi laſſa & effeta natura nihil iam laudabile parit.* Magnae profecto ſunt ſcientiarum & diſciplinarum omnium vices. Ut enim Tacitus (14) obſervat, *ineſt rebus cunctis quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur: nec omnia apud priores meliora, ſed noſtra quoque aetas multa laudis & artium imitanda poſteris tulit.* Quare etiam in poſteriorum gentium legibus inſtitutiſque eſt, quod plane ſuſpiciamus, inque eas ob uſum, quem recentioribus rebus praeſtare poſsunt, ſedulo inquiramus.

Neminem vero politioribus litteris innutritum abſterreat ſtilus barbarus & inconditus, quo pro more temporum conſcriptae ſunt feudales conſuetudines, in quibus barbariem deprehendere viſi ſunt Hotomanus, aliique faſtidioſiores Feudiſtarum cenſores, Latii illecebris unice pelleCti. Non enim ſpectanda ſunt verba, externuſque, quamvis rudis & impolitus rerum habitus, ſed intima rerum excel-

(14) *Lib. III. Annal. cap. 55.*

Digitized by Google

lentia & dignitas. In omnibus humanis rebus vix fieri poteſt, ut nihil ſit, quod diſplicere quoquo modo nequeat. Saepe neceſſitas cogit novas cudere voces, novis inventis rebus, ſicuti Romani, neceſſitate ſuadente, non pauca ab Hiſpanis, Graecis, Syris, Aegyptiis, Perſis, Afris, Britannis, Germanis, Gallis, ceteriſque vocabula mutuare cogebantur, flexuque Romano donare. Adhaec feudorum origo in infauſta illa tempora incidit, in quibus bonae artes omnes aegre trahebant ſpiritum, foetuſque vix oſſibus haerentes edere poterant. Gratulandum profecto eſt ſaeculo noſtro ſatis philoſopho, in quo ſtudio hiſtoriarum, & inſtitutorum gentium qua veterum, qua recentiorum ubique litatur. Receſſimus iam a ſuperſtitione maiorum, qui regnum ſibi quaeſiverunt in ſcriniis unius Romani iuris, aut in floſculis Ciceronis, in quod tam religioſe humaniſtarum nonnulli iurarunt, ut piaculo ſibi duxerint vel obiter percurrere monumenta barbarica, quin & ipſas Sacras Litteras, ne ullam puro, quem in deliciis habuerunt, Latino ſermoni labem inſpergerent. De quo furore critico teſtimoniorum inſtar ſint ſcripta Caſp. Scioppii, Guil. Budaei, Laurent. Vallae,

Car.

Digitized by Google

Car. And. Dukeri, Iac. Capelli, Chriſtoph. Cellarii, ceterorumque.

Iam vero iuriſprudentia praecipuam lucem ex hiſtoria mutuatur. Optime Iuſtinianus (15) monet, *nihil antiquitatis penitus ignorandum* iuriſconſulto eſse. Fuſe de hac re Balduinus & Schultingius in opuſculis *de iuriſprudentiae cum hiſtoria coniunctione* diſseruerunt. Si qua alia, certe iuriſprudentia feudalis, requirit ex ſtudio hiſtoriae lumen & praeſidia. Huic iuri enucleando ac emendando antiquitates ex medio tantum aevo, in quo natum eſt, adhibendae ſunt. Ex hoc poenore conſtituti iuris ſententia, origines, cauſſae, progreſſus, & mutationes quaerendae ſunt. Sine praeſidio barbaricarum antiquitatum tractatio haec rite non procedet. Verum in rebus medii aevi unice conſiſtendum non eſt: patrium ius feudiſticum ex patriis etiam antiquitatibus illuſtretur oportet. Egregiam iuri feudali Longobardico lucem offundit ingens Italiae decus Lud. Ant. Muratorius in *Antiquitatibus Italicis medii aevi* (*), quibus differta-

(15) *In* §. 2. *inſt. de teſtam. ordin.*
(*) *Mediolani* 1738. *ſeqq. tom. VI. f.*

Digitized by Google

tiones copia diplomatum & chartarum, ex Archivis Italiae hauſtarum, illuſtratas & confirmatas exhibet de moribus, ritibus, religione, regimine, magiſtratibus, legibus, ſtudiis litterarum, artibus, lingua, militia, nummis, Principibus, libertate, ſervitute, foederibus, aliiſque faciem & mores Italici populi referentibus poſt declinationem Romani Imperii ad annum uſque MD. Optime rebus ſuis conſulet ſolidae iuriſprudentiae feudalis cultor, ſi inſtructiſſimum hunc theſaurum nocturna diuturnaque manu verſare non dedignabitur.

Plurimum vero vocum feudalium cognitio rebus ipſis pernoſcendis confert. Magnam verborum curam veteres iuriſconſulti ſuſceperunt. Aelium Gallum libros XII. de verborum iuris ſignificatione, & Gaium libros de origine vocabulorum ſcripſiſſe, conſtat. Tribonianus & ſoci Pandectarum opus celebri rubrica *de verborum ſignificatione* ornarunt. Genuinae autem verborum iuris feudalis ſignificationes ex lingua patria, & ſcriptoribus mediae aetatis unice eruendae ſunt. Iraſcendum plane iis eſt, qui illas a Graeca, vel Latina lingua repetierunt, ſicque magno iuris feudiſtici damno corruptas & depravatas

Digitized by Google

tis originationes obtrudere non dubitarunt. Ecquis perferat aut Salmasium *feudum* a Graeca voce φυτον repetentem, aut Cuiacium *felonium* a Graeco φηλωσις seu φηλωμα derivantem, aut alios doctores, qui aliunde, quam in moribus & antiquitatibus barbaricis vocum, & rerum feudalium origines quaesiverunt? Bene sibi prospiciet qui ad solidam iuris feudalis Longobardici interpretationem contendit, si non ipsa modo posteriorum gentium monumenta, verum etiam Glossaria, quae inter alia diversa vocabula iuris feudalis ex moribus & institutis gentium repetita illustrant, adsidue evolvet; hoc enim praesidio in veram iuris feudalis Longobardici difficiliorum & vocum & rerum sententiam facile penetrabit. Principem inter haec locum meretur Carolus Dufresne in *Glossario ad Scriptores mediae, & infimae Latinitatis* (16), opus sane luculentissimum, & clientelari potissimum iurisconsulto perneccessarium. Huic addantur Glossaria alia Latino-barbara Ger. Io. Vossii, Casp. Barthii, Edm. Marte-

(16) Huius operis longe amplior editio est Parisiensis an. 1733. seq. tom. 6. in f. studio Benedictinorum S. Mauri cum ipsorum additamentis.

Digitized by Google

tene, & Urſini Durandi (17). Vetuſtas voces Francicas & Germanicas, quae in feudalibus occurrunt, illuſtrant Gottofredus Wendelinus in *Gloſſario Salicum vocum* (18), Fridericus Lindebrogius in *Gloſſario* quod Codici legum antiquarum ſubiecit, Stephanus Baluzius in *Gloſſario* Capitularibus Regum Francorum adnexo. Conferri quoque poteſt Menagii *Dictionarium etymologicum originum linguae Francicae* (19). Nec parum lucis verbis & antiquitatibus feudalibus offundunt Marquardi Freheri *Gloſſarium* Scriptoribus rerum Germanicarum adiectum, & aliud Matthaei Pariſii Hiſtoriae Maiori additum. Germanicam linguam veteris & medii aevi, origines & antiquitates vocabulorum fere omnium, improbo labore illuſtrarunt Io. Georg. Wachterus in *Gloſſario Germanico* (20), atque Io. Schilterus in *Gloſſario ad Scriptores linguae Francicae & Alemannicae veteris* (21), quo vocabula & formulae ob-

(17) *In indice onomaſtico vocum barbararum & exoticarum*, quem *tomo V. Theſauri novi Anecdot.* inſeruerunt.
(18) *Antuerpiae* 1649. *f.*
(19) *Pariſ.* 1694. *f. Gallice ſermone.*
(20) *Lipſiae* 1737. *f.*
(21) Extat etiam in *Tomo III. Theſauri Antiq. Theutonicar.* editi Ulmae 1728. f.

Digitized by Google

obſoletae, aut obſcurioris ſignificationis, aut uſus rarioris, ex vetuſtiſſimis tam editis, quam MSS. libris, legibus, ſtatutis, chartis & documentis explicantur, origines & variae ſignificationes retegunturtur, leges, mores, antiquitates Teutonicae paſſim illuſtrantur. His addantur Io. Diecmannus, Bernardus Pezius, Thomas Reineſius, aliique Germanici lexicographi. Vetuſtas Anglo-Saxonicas potiſſimum voces, quas in feudalibus deprehendimus, illuſtrant Henricus Spelmannus in *Gloſſario archaeologico* (22), Stephanus Skinnerus in *Etymologico linguae Anglicanae* (23), Gulielmus Somnerus in *Dictionario Saxonico-Latino-Anglico* (24), Georgius Hickeſius in *linguarum veterum Septentrionalium Theſauro* (25), aliique complures. Parem genuinis vocum originibus eruendis utilitatem afferunt Gloſſaria veteris linguae Gothicae & Celticae. Iuvabit itaque inſpexiſſe Haquini Spegel *Gloſſarium Sueo-Gothicum* (26), Olai Verelii *Indicem lin-*

(22) *Londini* 1687. *f.*
(23) *Londini* 1671. *f.*
(24) *Oxonii* 1659. *f.*
(25) *Oxonii* 1703. *tom. III. f.*
(26) *Lund* 1712. 4.

Digitized by Google

linguae veteris Scytho-Scandicae, ſive Gothicae, ex vetuſti aevi monumentis maximam partem manuſcriptis collectum (27), & Paulli de Pezron *Gloſſarium Celticum*. Nec a cultore iuris feudalis negligenda Godofr. Guil. Leibnitii *Collectanea etymologica* (28), quae illuſtrationi linguarum veteris Celticae, Germanicae, aliarumque gentium, inſerviunt, & fragmenta *Gloſſariorum* exhibent. Denique varias voces Longobardicas explicant Iulius Ferrettus in *tractatu de verborum ſignificatione iuris Longobardici* (29), & Octavius Ferrarius *in originibus linguae Italicae* (30). Inſignem quoque uſum praeſtat Franciſci Hotomani *de verbis feudalibus* commentarius (31).

Iam vero iuriſprudentia feudalis aut *communis* eſt, aut *patria*. Ius commune ſunt illae conſuetudines Longobardiae in ſcripturam redactae, & corpori iuris civilis ab Hugolino iuriſconſulto poſtea adnexae. Ab hoc differt ius patrium, quod eſt norma, qua feu-

(27) *Upſalae* 1691. *f.*
(28) *Hanoverae* 1717. 8.
(29) Prodiit Venet. 1599. 8. cum eiuſdem *libello de differentiis iuris Romanorum & Longobardorum*.
(30) *Patavii* 1676. *f.*
(31) Ext. in ipſius *de feudis commentatione tripartita*, *Lugdun.* 1575. *f.*

Digitized by Google

feuda Regni Neapolitani diiudicare, & cui quaſvis cauſſarum feudalium deciſiones adcommodare debemus. Utrumque ſimul iuriſconſulto feudiſtico pernoſſe eſt opus, ne aut in communi iure ſit hoſpes, aut, extero iure perſpecto, patrium turpiſſime ignoret. Quemadmodum enim in alodialibus, patrio iure deficiente, Romanum ſequimur, ita in feudalibus ad ius Longobardiae confugimus. Quum itaque patrium ius regula eſſe debeat feudorum iudicandorum, cavendum eſt, ne ad aliam normam excurramus minus regulativam; quare abnorme eſt, quoties doctores feudiſtici deciſiones controverſiarum ex conſuetudinibus Longobardicis petunt, quum ſic regulam praetereant. Quod vero ex iure noſtro deciſiones promanare debent, id porro ſequitur, non prius ad leges illas extraneas confugiendum eſſe, niſi deficiente iure patrio; ſecus adcommodatio illa inepta evadet.

CON-

Digitized by Google

CONSPECTUS

Librorum & capitum totius operis.

D *Edicatio.* 1

Diatriba isagogica de iure feudali rite colendo. XIII

Historia iuris feudalis communis & patrii.

PARS PRIOR. *De origine & progressu feuderum.*

CAP.I. *Feuda antiquissimis gentibus ignota fuerunt.* 2

CAP.II. *Ostenditur feuda Romanis ignota fuisse.* 8

CAP.III. *An feuda a Germaniae populis sint instituta?* 21

CAP.IV. *Ostenditur feuda a Francis primum instituta fuisse.* 24

CAP.V. *De primis legum feudalium conditoribus.* 43

CAP.VI. *De collectionibus iuris feudalis communis.* 49

CAP.VII. *De usu & auctoritate iuris feudalis communis.* 49

CAP.VIII. *De interpretibus iuris feudalis.* 69

PARS POSTERIOR. *De origine & progressis feudorum in Italia, & Regno Neapolitano.*

CAP.I. *Feuda ab Herulis & Ostrogothis in Italia haud instituta.* 76

CAP.II. *Feuda a Longobardis in Italiam & regiones nostras invecta non fuere.* 80

CAP.III. *Feuda in Regnum Italicum a Francis invecta fuerunt.* 91

CAP.IV. *Feuda in Regnum Neapolitanum a Normannis primum illata.* 94

CAP.

Digitized by Google

CAP.V. *De feudalibus Regum Neapolitanorum legibus, & collectionibus.* 100

PROLEGOMENA iuris feudalis.

CAP.I. *De nomine feudi.* 105
CAP.II. *De definitione feudi.* 111
CAP.III. *De feudi similitudine ac differentia ab aliis contractibus utile dominium transferentibus.* 116
CAP.IV. *De diviſione feudi, & primum de feudis propriis.* 123
CAP.V. *De feudis impropriis.* 131
CAP.VI. *De alodio.* 147

LIBER I.

De perſonis feudalibus.

CAP.I. *De burgenſibus, & vaſſallis.* 152
CAP.II. *De Ducibus.* 156
CAP.III. *De Comitibus.* 164
CAP.IV. *De Marchionibus.* 175
CAP.V. *De Principibus.* 178
CAP.VI. *De Baronibus.* 183
CAP.VII. *De Militibus.* 186
CAP.VIII. *De nuptiis baronum.* 190
CAP.IX. *De tutela feudali.* 196
CAP.X. *De perſonis feudum concedentibus.* 201
CAP.XI. *De perſonis feudum accipientibus.* 205

LIBER II.

De rebus feudalibus.

CAP.I. *De rebus, in quibus feudum conſtituitur.* 210
CAP.II. *De conſtituendo feudo, ſive de inveſtitura feudali.* 222
CAP.III. *De præſcriptione feudali.* 232

CAP.

Digitized by Google

CAP.IV. *De testamentaria feudorum successione.* 234
CAP.V. *De legitima feudorum successione generatim.* 243
CAP.VI. *De legitima descendentium successione.* 248
CAP.VII. *De successione collateralium.* 254
CAP.VIII. *De feudalium heredum qualitate.* 274
CAP.IX. *De feminarum successione.* 283
CAP.X. *De feudi alienatione.* 293
CAP.XI. *De feudi alienati revocatione.* 306
CAP.XII. *De refutatione feudi.* 313
CAP.XIII. *De iure vassalli in feudo.* 321
CAP.XIV. *De iurisdictione feudali.* 327
CAP.XV. *De iuribus feudatariorum.* 341
CAP.XVI. *De officiis vassallorum.* 350
CAP.XVII. *De adoba.* 357
CAP.XVIII. *De relevio, ubi de iure tapeti, & quindemiis.* 369
CAP.XIX. *De vita-militia.* 379
CAP.XX. *De feudali mulierum paragio.* 386
CAP.XXI. *De feudi devolutione & amissione.* 391

LIBER III.

De iudiciis feudalibus.

CAP.I. *De actionibus feudalibus.* 410
CAP.II. *De iudice feudalium causarum proprio.* 411
CAP.III. *De processu feudali.* 419
COMMENTARIOLUS *de subfeudis ex iure communi, & patrio.*

Digitized by Google

HISTORIA IURIS FEUDALIS COMMUNIS ET NEAPOLITANI.

SEdulum iuris interpretem ſtudioſe rerum origines inquirere, & decet, & oportet; cum principium ſit potiſſima cuiuſque rei pars, uti belle Gaius (1). Qui vero feudorum originem progreſſumque ignorat, *ſuper caduco* (ideſt fruſtra) *laborat*, uti Iaſon aiebat. Quae umquam gens feuda invexerit, & quod tempus ea σοιωδως produxerit, quot eruditorum capita, tot fere ſententiae ſunt. In hac quaeſtione inveniuntur, qui praeiudicatis opinionibus, aut gentis ſuae ſtudio abrepti, veritati nequaquam litant. Non deſunt, qui feuda cum ipſo humano genere nata cenſent, eorumque uſum apud Hebraeos, Graecos, alioſque vetuſtiſſimos populos olfaciunt. Sunt, qui a Romanis feuda deducunt, incerti tamen cuinam illorum conſuetudini tribuant. Ingens vero eruditorum cohors hanc Germanis gloriam vindicat; quamvis inter ipſos non conveniat, num Gothis, Longobardis, an Francis, an aliis Germaniae populis feudorum uſus debeatur. Quod vero ad res noſtras, quinam in Italiam, & Regnum Neapolitanum feuda intulerint, peraeque diſputatur. Noſtrum itaque erit, rem hanc totam curatius perſequi, & praecipuas virorum doctorum ſen-

(1) *L. 1. D. de origin. iur.*

Digitized by Google

CAP.IV. *De testamentaria feudorum successione.* 234
CAP.V. *De legitima feudorum successione generatim.* 243
CAP.VI. *De legitima descendentium successione.* 248
CAP.VII. *De successione collateralium.* 254
CAP.VIII. *De feudalium heredum qualitate.* 274
CAP.IX. *De feminarum successione.* 283
CAP.X. *De feudi alienatione.* 293
CAP.XI. *De feudi alienati revocatione.* 306
CAP.XII. *De refutatione feudi.* 313
CAP.XIII. *De iure vassalli in feudo.* 321
CAP.XIV. *De iurisdictione feudali.* 327
CAP.XV. *De iuribus feudatariorum.* 341
CAP.XVI. *De officiis vassallorum.* 350
CAP.XVII. *De adoba.* 357
CAP.XVIII. *De relevio, ubi de iure tapeti, & quindemiis.* 369
CAP.XIX. *De vita militia.* 379
CAP.XX. *De feudali mulierum paragio.* 386
CAP.XXI. *De feudi devolutione & amissione.* 391

LIBER III.

De iudiciis feudalibus.

CAP.I. *De actionibus feudalibus.* 410
CAP.II. *De iudice feudalium causarum proprio.* 411
CAP.III. *De processu feudali.* 419
COMMENTARIOLUS *de subfeudis ex iure communi, & patrio.*

Digitized by Google

HISTORIA IURIS FEUDALIS

COMMUNIS ET NEAPOLITANI.

SEdulum iuris interpretem ſtudioſe rerum origines inquirere, & decet, & oportet; cum principium ſit potiſſima cuiuſque rei pars, uti belle Gaius (1). Qui vero feudorum originem progreſſumque ignorat, *ſuper caduco* (ideſt fruſtra) *laborat*, uti Iaſon aiebat. Quae umquam gens feuda invexerit, & quod tempus ea σσιωδως produxerit, quot eruditorum capita, tot fere ſententiae ſunt. In hac quaeſtione inveniuntur, qui praeiudicatis opinionibus, aut gentis ſuae ſtudio abrepti, veritati nequaquam litant. Non deſunt, qui feuda cum ipſo humano genere nata cenſent, eorumque uſum apud Hebraeos, Graecos, alioſque vetuſtiſſimos populos olfaciunt. Sunt, qui a Romanis feuda deducunt, incerti tamen cuinam illorum conſuetudini tribuant. Ingens vero eruditorum cohors hanc Germanis gloriam vindicat; quamvis inter ipſos non conveniat, num Gothis, Longobardis, an Francis, an aliis Germaniae populis feudorum uſus debeatur. Quod vero ad res noſtras, quinam in Italiam, & Regnum Neapolitanum feuda intulerint, peraeque diſputatur. Noſtrum itaque erit, rem hanc totam curatius perſequi, & praecipuas virorum doctorum ſen-

(1) *L.* 1. *D. de origin. iur.*

Digitized by Google

tentias excutere, ut quid tandem ſtatuendum ſit, intelligi queat. Id duabus partibus, quo ſuus orationi ordo rite conſtet, conficiendum eſt; quarum prima generatim feudorum originem progreſſumque; altera vero illorum ortum in Italia & Regno noſtro exhibebit.

PARS PRIOR

De origine, & progreſſu feudorum.

CAP. I.

Feuda antiquiſſimis gentibus incognita fuerunt.

§. I. AGmen ducant, qui pro antiquiſſima feudorum origine pugnant. Primus omnium Niellius (1) putavit, feuda a primis, qui in alios imperium exercuerint, exorta fuiſſe. Nonne, inquit, in Sacris Litteris, & Orientalibus monumentis feuda comperirent? Quinque Reges duodecim annis ſervierunt Chodorlahomor Elamitarum Regi, a quo poſtea defecerunt. *Geneſ.* XIV. 4. Nabuchodonoſor Rex Chaldaeorum, victo Ioachin, *Regem conſtituit Sedeciam iſtius patruum ſuper Iudaeam & Ieruſalem*, eumque adiura-

(1) *Diſput. feudal.* 1. *theſ.* 1.

iuraverat per Deum, hoc eſt, iusiurandum ab eo exegit, licet poſtea receſſerit, II. *Paralip.* 36. v. 13. Adhaec Satrapas apud Perſas ut vaſſallos Regis, & Armenium Regem Armeniorum, quem devicit Aſtyages Medorum Rex, tamquam vaſſallum in ſcenam producit. Quid quod *lib.* 1. *Feudor. tit.* 1. §. 1. ius feudale *antiquiſſimum* appellatur?

§. II. Haec omnia feuda, qualia poſterioribus temporibus in Occidente prodierunt, apud antiquiſſimas gentes extitiſſe non probant. Numquam ſane germana feudorum natura extundetur ex eo, quod minores Reguli potentioribus ſervierint, aut victi tributum in ſubiectionis ſignum victoribus pependerint, vel rebelles e terris ipſis aliquando deiecti fuerint. Porro quinque illi Reges victori ſervierunt iure victoriae, apud gentes omnes recepto, non iure feudi. Sedecias autem iusiurandum Nabuchodonoſori praeſtitit; at cum in genere iurisiurandi mentio fiat, iure accipies de ſacramento ſubiectionis, a qua tamen is poſtea defecit: proinde nullo pacto feudum conſtitutum eſſe deduci inde poteſt. Satrapae Perſarum non vaſſalli, ſed miniſtri regii, & praefecti provinciarum fuere, ut ex Herodoto (2), Xenophonte (3), aliiſque conſtat (a). Rex vero

(2) Θαλια, ſeu *lib. III. cap.* 88. *p.* 196. *edit. Lugduni Batavorum*, recenſente Gronovio.

(3) *De inſtit. Cyri lib. VIII. p.* 230.

(a) Certum eſt, Satrapas Perſarum adminiſtros tantum Regis, & provinciarum praefectos fuiſſe. Herodotus cit. *lib.* III. refert, Darium, Perſarum Regem, primum dominationis ſuae imperium in XX. provincias diviſiſſe, quibus

Armeniorum victori Astyagi non vassallus, sed *tributarius* fuit, iure victoriae, omnibus gentibus communi; obstrictus enim erat ad exercitum mittendum, teste Xenophonte (4) (*b*). Denique feudale ius *antiquissimum* dicitur compilatori Consue-

bus Satrapae praeessent (unde *Satrapiae* dictae sunt) qui tributa per nationes collecta Regi inferrent: Ποιησας δε ταυτα εν Περσησι, αρχας κατεστησατο εικοσι, τας αυτοι καλεουσι σατραπειας: καταστησας δε τας αρχας, και αρχοντας επισησας, εταξατο φορους οι προσιεναι κατα εθνεα το, και προς εισι εθνεσι τους πλησιοχωρους προστασσων, *his apud Persas actis, viginti provincias, quas ipsi Satrapias vocant, constituit: earumque singulis praefides praefecit, descriptis quae ei penderentur tributis per nationes, & nationibus finitimos attribuens*. Citationem libri I. omisimus; ibi Satrapiarum tantum mentione iniecta, de Satrapis nec vola, nec vestigium. Apud Xenophontem cit. *lib.* VIII. Satrapae passim a Cyro dimittuntur ad provincias obtinendas: αλλους δε σατραπας, inquit, πεμφαι μοι δοκει οι τινες αρζουσι των ενοικουντων, *verum alii mihi Satrapae mittendi videntur, qui regionum incolis praesint*.

(4) *De instit. Cyri lib. III. p. 63. edit. Francof.*

(*b*) Astyages Medorum Rex cum Armenio Armeniorum Rege bellum gesserat, eique tandem devicto tributum & συμμαχιαν indixerat. Cyro enim interroganti apud Xenoph. Κυρ. παιδ. *lib. III.* Επολεμησας ποτε Ασυαγει τω της εμης μητρος πατρι και τοις αλλοις μηδοις, *bellumne gessisti aliquando cum matris meae parente Astyage, Medisque ceteris?* Εγωγε, *gessi*, respondit Armenius. Rursus instat Cyrus: *victus autem ab ipso, nonne conditiones has accepisti, tributum te adlaturum, & una cum ipso militaturum ubicumque denunciasset, & munitiones habiturum nullas?* δασμον δουναι, και συστρατευεσθαι οπου επαγγελοι και ουατα μη εξειν; quae omnia haud inficiatur Armenius, atque duobus verbis rem omnem transigit: Η'ν ταυτα, inquit, *ita est*. Et alibi apud eumdem Armeniorum Rex Medorum Regi συμμαχος και υπηκοος *societate iunctus & imperio subiectus* audit.

Digitized by Google

ſuetudinum feudalium, qui ſaeculo XII. vixit, non ratione priorum conditi mundi ſaeculorum, ſed Carolini temporis. Cum enim tempus antiquiſſimum ſaepe reſpectu *novioris* dicatur; profecto Carolinum ratione temporis, quo compilatio feudalis prodiit, pro antiquiſſimo habendum eſt.

§. III. Poſt Niellium plures viri docti in peregrinas delapſi regiones, alieniſſimis locis feuda quaeſiverunt, atque reperiſſe ſibi viſi ſunt. Samuel Reyherus (5), *terram Canaan a Domino poſteris Jacobi, tamquam feudum, & in illo dominium ſaltim utile, non directum, conceſſum fuiſſe* adfirmat. Num indignum ſit Deo noſtro, cui univerſus terrarum orbis eſt ὑποπόδιον, adfirmare, dediſſe Terrae Canaan dominium utile, retinuiſſe directum, alii viderint. Mitius aliquoties adfirmavit Grotius, terram Iſtraëliticam Deo, vel Legi *feudi more* revera devinctam fuiſſe: quod rem ſerio expendenti non aliter apparere ſcribit Hertius (6). Intereſt Reyheri praeſertim ſpecioſas rationes audire, ſimulque refellere. *Sicut*, inquit, *beneficia ex liberalitate Dominorum vaſſalli poſſident, ita etiam Iſtraëlis Deus terram Cananaeorum, cuius ipſe ſolus erat Dominus, ex mera gratia conceſſit.* At id ad genericam donationis aut liberalitatis, non ad ſpecificam feudi naturam pertinet. Rationem addit: *Sicuti enim vaſſalli iureiurando promittunt fidelitatem, ita etiam Iſraëlitae multis legibus ad fidelitatem adſtricti fuerunt.*

(5) *Diſſ. de feudorum origine & libris cap.* 2.
(6) *De feudis oblatis part.* 1. §. 12.

Digitized by Google

runt. Sed ad qualem? ut vitam Summi Numinis, membrum, mentem, eiusque honorem custodiant per I. F. 5. & 6.? haec vel cogitasse, prope a blasphemia abest. An, ut ei in bellis adversus hostes servitia militaria expeditionalia exhibeant? Id dicere, pene ridiculum est. Pergit porro: *Vassallis regulariter tantum ususfructus praedii feudalis conceditur, proprietate penes dantem remanente. Israëlitis quoque solus ususfructus in praediis rusticis concessus erat. Hinc solum usumfructum ad determinatum annorum numerum invicem vendere poterant, quia Deus ipsorum erat dominus*. Hoc ipsum, quod de ademta alienandi facultate dicitur, non magis ad feuda, quam ad fideicommissa, & aliud quodcumque ususfructus genus, pertinet. Addit deinde: *Vassalli suis sumtibus & damno servire tenebantur; ita Israëlitarum primigenii, & postea compensatione facta tota Tribus Levitica ad servitia obstricta erat.* En! novum Provaffallorum genus, Sacerdotes & Levitae Hebraei, qui feudi illius Canaanitici nullam portionem nacti, servitia, sumtus, damna tamen tulerunt. Quae vero illa servitia, an militaria? an expeditionalia? qui illi sumtus, quae damna? cum populus a Deo iussus & impensas sacrorum faceret, & alimenta ordini sacerdotali tribueret. Continuo subdit: *Vassalli feuda non nisi consensu Domini impetrato alienare possunt; Israëlitae ne quidem consensum impetrare poterant*. Hoc vero ipsum magis ad dissimilitudinem, quam ad similitudinem, adstruendam facit. Tandem concludit Reyherus: *Quemadmodum etiam vassalli vestiebantur, vel investiebantur,*

dum

Digitized by Google

lum hasta, vel aliud corporeum, a domino feudi, investituram faciente, porrigebatur, ita etiam Sacerdotes & Levitae, ut pote qui nomine vassallorum, nempe totius populi Israëlitici, servitia praestabant, iussu Dei investiebantur: quod quidem ille manifesto, & ex vocabuli *investire* ambiguitate depromto lusu scriptitat.

§. IV. Nec desunt alii, qui apud exoticas gentes feuda conquirunt, & inveniisse laetantur, in primis Magnus Wedderkopf (7), & Io: Tesmarus (8). Darius Persarum Rex *Principibus ipsarum urbium perpetua dedit imperia*, uti refert Corn. Nepos (9)). Caesar *Divitiaco* Principatum Heduorum, *Tasgetio* regnum Canutum pro insigni eorum fide & militia tradidit. Sed haec quamquam speciem aliquam feudi habere videantur, propius tamen ad illud accedit, quod Adherbal Numidiae Rex servili in Romanos adulatione in *oratione ad Senatum* ait (10): *P. C. Micipsa, pater meus, moriens mihi praecepit, ut Regni Numidiae procurationem tantummodo existimarem meam, ceterum ius & imperium penes vos esse.* Ipsum audiamus Vedderkopfium: *Quando Adherbal Numidiae regni procurationem sibi competere, iure & imperio penes Romanos existente, fatetur, haud scio, num non eo ipso, si Longobardorum more loqui placuisset, dixisset: in feu-*

(7) *Praef. ad Fornerii & Consii tractatus de feudis edit. Francof.* 1668. 12.

(8) *Not. ad Hug. Grot. de Jur. Bell. & Pac. libr. 1. cap. 4. §. 23.* (9) *In Miltiade cap. 3.*

(10) Apud Sallust. *in Iugurtha cap. 14.*

Digitized by Google

dum a Romanis regnum meum teneo. Caesar cum Diviciacum, Heduum, in antiquum generis gradum restituit, & Heduorum principatum ei attribuit, ut bello Gallico operam postea ei navaret, aut Cavarinum apud Senones, Comium Atrebatibus Reges constituit: quis veretur ea beneficia Germanico nomine appellare feuda? Nae hi scriptores, ubi apud veteres offendunt foedus inaequale, regnum aut imperium maiori potestati subiectum, aut alterius maiestatem comiter observans, continuo feudum exculpunt, ob quamcumque inter imperia illa & feuda affinitatem. Arguunt nimirum a similitudine aliqua, quam instituta illa cum feudis habent, cuiusmodi argumentum ad originem ipsam leviſſimum est. Qui enim originem rei quaerit, non tam quae aliis quoque negotiis communia, sed potius quae eidem essentialia & propria sunt, & ab aliis institutis differunt, spectare debet. Nos non imaginem, aut umbram, sed rem ipsam, immo rei, quae apud nos superest, ortum requirimus. Ab inanibus quibusdam speciebus decipi non patimur.

CAP. II.

Ostenditur feuda Romanis ignota fuisse.

§. I. FEudorum originem a Romanis arcessunt Eruditorum permulti; licet inter se dissentiant, cui illorum instituto attribuant. Equidem fateor, in diversis Romanorum moribus institutisque imaginem & lineamenta quaedam feudorum elucere, sive reip. utilitatem spectes, sive

Digitized by Google

ve fidem, sive servitia, aliaque obsequii signa. Nec id mirum videri debet, cum nulla fere sit disciplina, ius nullum adeo novum, cuius apud veteres vestigia quaedam non offendas. Verum a similitudine ad originem ipsam argumentum est leviſſimum. Ad constituendam alicuius rei originem satis non est, aliquam eiusdem speciem, ac obscura lineamenta deprehendere, ceteroqui multo antiquiora, quam illi arbitrantur, essent feuda; siquidem similia sunt aliis iuribus & negotiis, quae ab ipso naturae iure, nedum a moribus & institutis gentium promanarunt. At quis ferat dicentem, tum coepisse feuda, cum magistratus creari, donationes fieri, ususfructus constitui, aliaque id genus iura concedi coeperunt? Nimirum vera & propria feuda, de quibus quaerimus, nuspiam in Romanis monumentis inveniuntur. Obertus ipse Ortensis (1) fatetur ius feudorum ex consuetudine manare, nihilque commune habere cum iure Romano. Si Romanis feuda fuissent, cur historiae Romanae scriptores rem adeo memorabilem, oblata sibi occasione, non commemorarunt, cum alias quamplurimas nullius fere momenti litteris consignarint? Cur conditores, & interpretes iuris legem nullam tulerunt, nullum de feudis responsum dedere? Sane in universa Romanorum νομοθεσια de feudis nulla iniicitur mentio; inter tot Imperatorum sanctiones Theodosiani; & Iustinianei Codicis, ac innumera fere Ictorum responsa Pandectarum, nihil occurrit, quod feu-

(1) *Ll. F.* 1.

feudorum naturam redoleat. Quin feuda plerumque Romanis legibus adverſantur: ut ecce in feudi ſucceſſione aequalitatis inter heredes ratio non habetur, quam civile ius commendat: feudum ſervitutis ſpecies quaedam eſt; at iure Romano improbatur omnis ſervitus libero homini impoſita, praeter quam in redemto ab hoſtibus, & in liberto ingrato. Adhaec feudis poſtea iuriſdictio acceſſit, quae in homines feudi competit iure *quaſi dominii*; at iure Romano ignotum eſt, ut quis habeat iuriſdictionem aliquam iure feudi, vel terrae.

§. II. Ne quis vero, indicta cauſſa, damnetur, qui a Romanis feuda derivant, audiendi ſunt. Inter hos non convenit, cuinam Romanorum inſtituto ea tribuant. Celebriores tantum opiniones expendam, quae negotium faceſſere videntur, iis omiſſis, quae nullo pacto conſiſtere queunt. A clientelis Romanorum feuda derivant Budaeus (2), Zaſius (3), Polletus (4), aliique. Olim enim tenuioris fortunae homines in procerum Romanorum clientelam ſe ſe conferebant, ut eorum patrocinio tuti, non tam facile a potentioribus opprimerentur (quorum illi *clientes*, hi *patroni* vocabantur) eratque patronorum, clientes tueri, inque litibus & contractibus conſilio erudire; clientum vero patronis obſequium, auxilium & munus exhibere. Equidem fateor, inter patronum & clientem magnum neceſſitudinis, pietatis

(2) *Ad l. Herennius D. de evict.*

(3) *Ad l. 2. D. de orig. iur., & in Epitome ad uſus feudor. part. 1. n. 1.* (4) *Hiſt. for. Roman. lib. II. cap. 10.*

Digitized by Google

tis & officii vinculum interceſſiſſe, uti nunc inter dominum & vaſſallum. At multis nominibus feuda a clientelis hiſce differunt. Etenim in clientelis praedium non intervenit, ſed nuda erogatio ſportularum & annonarum; feuda contra ſine re immobili eſſe nequeunt. Inter patronos & clientes nulla erat iuris neceſſitas, ſed amicitia & obſequium; contra inter dominos & vaſſallos eſt arctiſſima fidelitatis lex: vaſſalli ſiquidem fidem & hominium dominis iurant, clientes contra non iurarunt, ſed mutua fuit inter eos neceſſitudo & fidelitas. Clientelis militiae onus iniunctum non fuit, ſed tantum civile obſequium & pecuniarum ſubſidium; feudis vero ineſt propria lex militaris ſervitii. Clientelae fuerunt otii & pacis alumnae, ſive patrocinium in pace; at feuda omnia ab initio militaria erant, & in bello potiſſimum recepta. In clientelis patroni clientes; in feudis contra vaſſalli dominos tueri debent. Tandem non patroni ſuos clientes, ſed hi patronos beneficiis ornarunt; cum contra in feudis domini liberalitatem cum vaſſallis exerceant.

§. III. Sunt qui feuda deducunt a praediis aſſignatis veteranis, vel limitaneis militibus. Nimirum Romani rerum domini praedia ad fiſcum devoluta, vel bello parta, militibus, aliiſque ſuis fidelibus elargiri ſolebant, in eorum fidei ac laborum praemium, ut Cicero (5), Hyginus (6), aliique teſtantur; quae *beneficia* dicebantur (a). Inde

(5) *Orat. pro Archia.* (6) *Lib. de limitib. agror.*
(a) Conf. Georg. Ludov. Boehmerum *Obſervatione de beneficiis Romanorum.*

Digitized by Google

Inde ab antiquissimis reip. temporibus militibus agri externi adsignati sunt, quibus Romani, subactis bello gentibus, colonias in earum agros deducebant, partim ut veteranis praemia tribuerent, partim ut praesidia ibi haberent, quo, cum occasio postularet, rebellium, vel finitimorum impetus propulsarent: quae iccirco *militares coloniae* dicebantur. Constat id Plutarchi, Appiani, Paterculi, Hygini, & Flacci testimoniis. Hoc institutum Imperatores secuti sunt. Augustus milites veteranos in agris collocavit, teste Suetonio (7). Alexander Severus *sola, quae de hostibus* (victis Asiae populis) *capta sunt, limitaneis ducibus & militibus donavit, ita ut eorum ita essent, si heredes illorum militarent, nec umquam ad privatos pertinerent*, teste Lampridio (8). Et Probus *veteranis omnia illa, quae anguste adeuntur Isauriae loca, privatis donavit: addens, ut eorum filii ab anno decimo octavo, mares dumtaxat, ad militiam mitterentur*, teste Vopisco (9). *Limitanei* vocabantur duces & milites, qui limites Imperii adversus barbaros tuebantur, & *agri limitanei*, ac *limitrophi*, qui in finibus erant Imperii. Horum in iure mentio passim fit. Ulpianus (10) meminit *agri militibus assignati*, utique hostium, & a Principe. Paullus (11) etiam commemorat *possessiones in Germania trans Rhenum ex praecepto Imperiali veteranis in praemia adsignatas*. Impp. Ho-

(7) *In August. cap.* 13.
(8) *In vit. Alexandr. Sever. cap.* 58.
(9) *In Probo cap.* 16. (10) *L.* 15. §. 2. *D. de rei vindic.*
(11) *L. XI. D. de evict.*

Digitized by Google

Honorius & Theodosius (12) permittunt, *castellorum territoria possideri dumtaxat a castellanis militibus, quibus adscripta sunt, & de quibus indicavit antiquitas*. Iidem Augusti (13), ad *gentiles*, aut *veteranos* tranferri iubent *terrarum spatia, quae gentilibus propter curam munitionemque Limitis atque Fossati antiquorum humana provisione fuerant concessa*. Theodosius & Valentinianus (14) a tributis eximunt *agros limitaneos*, quos *ex prisca dispositione limitanei milites* possident.

§. IV. A limitaneis his terris feuda derivant eruditi complures. Casaubonus (15), & Gothofredus (16) claram feudorum speciem, & feudistici iuris initia in iis agnoscunt. Seldenus (17) apud Romanos nihil reperit tam prope ad feuda accedens, quam territoria illa ducibus limitaneis concessa, & ad Alexandri Severi tempora feudorum originem in Imperio refert. Idem visum Cangio (18), Laelio Taurello (19), Georgio Frid. Krao (20), aliisque (*b*). Equidem ultro fateor, non par-

(12) *L. 2. C. de fundis limitrophis.*
(13) *l. 1. C. Th. de terris limitaneis.*
(14) *L. 3. C. eod.*
(15) *Not. ad Lamprid. in Alexandr. Sev. cap. 58.*
(16) *Ad d. l. 1. C. Th. de terr. limit.* (17) *De titulis honor. part. II. cap. 1.*
(18) *Glossar. med. latinit. voc.* feudum.
(19) *De militiis ex casu.*
(20) *Program. de qualitate feudali terrarum limitanearum apud Romanos.*

(b) Hanc sententiam constabilire prae ceteris conatus est Gudlingius in *Gudlingianis part. 1. obs. 1.* & praesertim *part. XV. obs. 2.* ubi prima feudorum rudimenta ab Alexandro Severo repetenda contendit, qui agros limitaneis militibus do-

Digitized by Google

parvam esse similitudinem inter fundos limitaneos, & feuda posteriorum temporum, quod utraque ob rem militarem dentur. Nec inficias eo, concessiones ab Impp. Alexandro & Probo militibus limitaneis factas, speciem feudorum praeferre, propiusque ad rem nostram accedere, cum ea lege loca illa militibus donarentur, ut eorum postea filii militarent, ubi congruam aetatem attingerent. Simili modo dantur feuda, ut vassalli, cum res postulat, domino feudi militent, eumque fide, armis & consiliis tueantur.

§. V. Verum enimvero feuda cum praediis adsignatis veteranis, aut limitaneis militibus non conveniunt. Utraque quidem erant militaria praedia. Sed illa senibus & veteranis, militia iam functis dabantur, plerisque etiam emeritae militiae, qui de rep. bene meriti erant, & quidem in praeteritam, non in futuram causam, ut publico beneficio reliquum vitae tempus sustentarent: cum contra feuda iuvenibus robustis, qui militiae munus explere poterant, darentur. Haec vero limitaneis militibus tantum donabantur, ut attentius imperii limites, atque adeo sua rura defenderent. In his fundis plenum dominium transferebatur; in feudis utile tantum, proprietate penes dominum manente. Scilicet Romanorum *beneficia* fuere aut agri *dono* dati militibus, qui optimo iure possi-

de-

donavit; Germanos autem postquam Romanas provincias invaserunt, Romanum hoc militarium beneficiorum institutum imitatos fuisse, ac pedetentim magis magisque excoluisse. Sed multa contra Gudlingianum systema regerunt Gebaver *de origin. feudi Germanicis cap.* 2. Spe-

ne-

Digitized by Google

debantur, dominio directo haud reservato (aperte Lampridius ait, *donavit*) aut praefecturae, arbitrio Principis duraturae, ut idem tradit Lampridius: *Dabat* (Alexander) *haec in beneficiis, quae famam eius non laederent. Bona privatorum &c. praeposituras locorum civilium . . . . administrationes &c.* Alexander sola hostibus erepta militibus donavit ea lege, ut heredes ipsorum militarent; proinde feuda iis concessit, qui ea defendere vellent: vassalli contra dominos sequi ubivis tenentur in militia. Praeterea limitanei fundi transibant in heredes sub perpetuo tamen militiae onere; at feuda ab origine (quae magis in hac comparatione spectanda est) temporaria fuere, & arbitrio dantis ademta. Nullam in limitaneis & veteranis invenimus singularem de fide obligationem; in feudatariis vero praestatur fides, quae de feudi essentia est. Romanorum beneficia coniunctam non habuere iurisdictionem, & quidem iure fundi competentem, qua vassalli postea donati fuere. Tandem externorum dumtaxat & bello subactorum agri adsignabantur; feuda vero ex propriis Principum & Dominorum agris plerumque constituuntur.

§. VI. Nunc aliorum sententias paucis excutiamus. Haloander (21) a militiis Romanorum feuda deducit; feuda enim esse putat, quae Graece στρατεια, & in iure civili *militiae* dicuntur. Erant *militiae* (non quidem armatae, sed to-

ga-

nerus in *primitiis hist. feud. obs.* 1. Wolfang. Textor *diss. de feudis Imperii*, & Struvius *hist. iur. feud.* §. 3. *in not.*

(21) *Praef. ad Justiniani Novellas sub fin.*

Digitized by Google

gatae) officia omnia palatina, & forensia: sive, ut Cuiacius (22) definit, officia eorum, qui in aliqua schola inter statutos relati erant; unde salaria & commoda quaedam consequebantur ex Imperiali munificentia. Talis fuit militia *Silentiariorum*, qui in palatio Principis imperabant silentium, & adiutorum quaestoris Palatii, ideſt *Cancellarii*. Poterant autem hae militiae vendi, legari, pignorari, transmitti ad heredes; etsi quaedam nec vendi, nec pignorari poterant (c). Sed feuda differunt a militiis. In his enim deest praedium

(22) *Ad l. 3. §. 7. D. de minorib.*

(c) De his militiis in Pandectis, Codice, & Novellis passim fit mentio. Vid. *l. 3. D. de minorib. l. 22. & 49. §. 1. D. de legat. 2. l. 11. §. 16. D. de legat. 3. l. pen. §. pen. & ult. eod. l. 18. §. 2. D. de alim. & cibar. legat.*, item *l. 30. §. ult. C. de inoffic. testam. l. ult. C. de pignor. l. 5. C. qui militare possunt*, atque *Nov. 35. & 53. cap. 5. & Nov. 97. cap. 4.* Addantur Ant. Augustinus, & Laelius Taurellus in mutuis *epistolis de militiis ex casu*. Luculenter veram harum militiarum naturam explicuit Joseph. Averanius *lib. II. Interpret. Iur. cap. 17.* Alia fuit castrensis, alia urbana, & haec vel armata, vel togata, atque haec rursus vel Imperatorum, vel magistratuum. Militia Imperatorum vel Palatina, vel Sacrorum Scriniorum. Illa Comitum Palatinorum, Comitatensium, Domesticorum, Largitionalium, Privatianorum, Mittendariorum, & quotquot in Palatio munus aut officium obibant, in Scholas Palatinas distributi. Haec Exceptorum, Amanuensium, Librariorum, Memorialium, Cornicularíorum, Laterculensium, Proximi Scriniorum, Comitis Dispositionum, Magistri Scriniorum. Magistratuum fuit militia cum forensis, quae Advocatorum, tum Apparitorum, Scribarum, Interpretum, Praeconum, Accensorum, Lictorum. Hae militiae in commercio erant. Certum omnibus salarium constitutum, quod de publico solvebatur.

Digitized by Google

dium, quod in feudis intervenit. In militiis non eſt fides & hominium, ſine quo feuda non conſtituunt, nec opera militaris. Militiae quaedam vendi, legari, pignorari poterant, atque adeo in commercio erant; quod ſecus eſt in feudis. Tandem in militiis ſuccedebant heredes etiam extranei, ac feminae; at feuda initio precaria & temporaria erant, non hereditaria.

§. VII. Minus ingenioſi hac in re alii videri noluerunt. Viglius Zuichemius (23) feuda repetit ex providentia Imperatorum in tirones, qui ad militiam adhibebantur; his enim praedia data ſcribit, ut facilius ſuſtineri poſſent. At iis, qui vel ad numeros inſtituerentur, vel in numeris exercerentur, praedia haud adſignata, patet ex Leone Imp. (24): *Qui*, inquit, *a rep. armantur, & aluntur, ſolis debent utilitatibus publicis occupari, nec agrorum cultui, aut aliis quaeſtuariis, ſed propriae muniis inſudare militiae: ſed frequentes in numero ſuo eſſe, ut armorum quotidiano exercitio ſe praeparent.* Agros interdum *militibus* adſignatos legimus apud Ulpianum (25): quae vox ſtipendia facientes ipſos, & in numeris conſtitutos ſignificat (26). Lampridius etiam *militum* meminit; non quidem tironum, aut prima ſtipendia facientium (hos e provincia in provinciam, a bello ad bellum rapere, publica imperabat neceſſitas) ſed militum multorum ſti-

(23) *Ad tit. Inſt. de milit. teſtam.*
(24) *L.* 15. *C. de re milit.*
(25) *L.* 15. §. 2. *D. de rei vindic.*
(26) *L.* 17. & 34. *D. de teſtam. milit.*

Digitized by Google

pendiorum, ad militiam post longam aetatem fere in castris transactam minus idoneorum, militaturorum tamen, ubi pugna in propinquo erat, uno verbo veteranorum.

§. VIII. Iam Lucas de Penna (27), aliique in praediis stipendiariis & tributariis feuda quaerunt. Sed falluntur animi, cum feudum sub fidei & militiae onere detur: stipendiaria vero praedia non servitium militare, sed stipendium & tributum gignunt, ac praeterea pleno dominio non inaequaliter inter concedentem & possessorem diviso possidentur (*d*).

§. IX. Magnus Cuiacius (28) feuda derivat ab hominibus, quales sunt procuratores, actores, custodes, conductores, coloni, emphyteuticarii, quo-

(27) *In l. 7. C. de agro deser. lib. XI. n. 2.*

(28) *Praef. lib. 1. Feudor. & lib. VIII. Obs. cap. 14.*

(d) Tradit de Penna, *praedia stipendiaria dicta, quod pro stipendio militibus dabantur . . . & hic est verus intellectus illius litterae d. §. per traditionem* (nempe §. 40. *inst. de rer. divis.*). *Et sic accipiendo constat, quod contractus feudalis etiam erat tempore Iustiniani.* Nae is labitur, dum praedia stipendiaria a tributariis seiungit, atque illa militibus data censet pro stipendio, haec privatorum fuisse, nomenque a praestandis eo nomine tributis accepisse. Constat enim, praedia tributaria & stipendiaria non a se invicem, sed a fundis Italicis, diversa fuisse: hos iure optimo fuisse datos, adquisitos, possessos, immunes ac liberos; illis tributa & stipendia fuisse imposita: horum penes solos cives Romanos fuisse dominium Quiritarium sollemni tantum mancipatione transferendum; illorum ut rerum nec mancipi dominium bonitarium provinciales habuisse, & in quemcumque naturali traditione transtuliisse: quae omnia discrimina sustulit Iustinianus *d.* §. 40. & *l. unic. C. de usucap.*

Digitized by Google

quorum in iure passim fit mentio (29). Fateor, inter hos & vassallos aliquam esse similitudinem in eo, quod utrisque fundi sint attributi, & ambo debent domino obsequium. Sed valde inter se differunt. Hi enim homines nec fidei nexu, nec militiae onere obstringebantur. Praeterea servilis erant conditionis, & quasi glebae addicti, nec adspirare ad militiam poterant (30): contra vassallorum conditio militaris & liberalis est. Tandem istiusmodi homines in praedia nihil iuris habebant, quippe hi homines sunt, ut oeconomi, vel actores & custodes, vel coloni praediorum; sed vassalli sunt quasi domini (e).

(29) *L. 6. 18. & 19. C. de agric. l. 4. C. de dignit. l. 2. C. de episc. & cleric.*

(30) *L. unic. C. de colon. Thracen. l. 14. C. de agricol.*

(e) Cuiacium profecto latuit feudalis vis & potestas vocis *homo*. In iure Romano procuratores, conductores, actores, ceteri, *homines* adpellati sunt, quod plerique servi essent, aut a servili conditione proxime distantes. Hominem pro servo accipi in iure nostro pervulgatum est, l. 48. §. 6. *D. de aedilit. edict.* l. 35. *D. de legat.* 1. His pro actoribus, villicis, colonis, operariis, usos esse Romanos, liquet ex Alfeno Varo *l. 203. D. de V. S.*: *Itemque de servis eadem ratione quaeri, qui eorum usus sui caussa parati essent: utrum Dispensatores, Insularii, Villici, Atrienses, Textores, Operarii quoque Rustici, qui agrorum colendorum caussa habentur*. Luculenter Honorius & Theodosius *l. un. C. Th. quod tussu* sanciverunt, *ut qui servo Colono, Conductori, Procuratori, Actorive, possessionis pecuniam commodat, sciat Dominos possessionum cultoresve terram obligari non posse, neque familiares epistolas, quibus HOMINES plerumque commendantur absentium in id trahere conventis &c.* Ex hac hominum faece ortos vassallos sibi persuasit Cuiacius, quos Francorum monumenta,

§. X. Sed & Graeci hic postremi esse nolunt ob Constantini Porphyrogennetae constitutionem περι των στρατιωτικων, *de praediis militaribus* (f), qua horum fundorum possessoribus imponitur, ut ad militiam instructi compareant, aut morbo detenti tantum dent pecuniae, ut sibi vicarii milites substituantur. Haec sanctio non est tantae auctoritatis, ut a Graecis feudorum ortus sit arcessendus. Porphyrogenneta enim imperare coepit circa A. C. DCCCCXII., ac posterior fuit Carolo M. & Lothario eius nepote, quorum temporibus ius feudorum non vires modo exercere coeperat, sed etiam initia successionis in feudo facta. Quare Imperator potius ad Francorum morem sic statuit, quam quod antea apud suos in usu fuerit. Probaverat enim eventus, Francorum insti-

ta, ubi primum beneficiorum faciunt mentionem, viros fuisse nobilissimos, contestantur. Sunt quidem *homines* vassalli, non illi, qui agendo, conducendo, custodiendo, colendo agros vile ministerium obeunt; sed qui se homines fideles & fortes in bello praebent. Frustra vero vir summus appellat ad feudum *Guardiae* & *Gastaldiae*. Is enim ante omnia probare debebat, feudum omnium primum & antiquissimum fuisse *Guardiae* sive custodiae, & *Gastaldiae* sive actus, ut reliqua ab hoc uno, hoc vero unum & antiquissimum ab actoribus & custodibus Romanorum originem duxisse, quoquo modo probabile fiat. Sed posterioribus demum temporibus feuda illa innotuisse comperimus.

(f) Plura de fundis militaribus constituit Constantinus Porphyrogenneta in Νεαρα Νομοθεσια περι των στρατιωτικων. Eam affert Cuiacius *lib. V. feud.* & emendatissimum cum aliis IX. Νεαρας Car. Labbaeus edidit, suisque *in Synopsin Basilicorum Observationibus & Emendationibus* subiunxit.

Digitized by Google

instituta non parum conferre ad reip. conservationem.

CAP. III.

An feuda a Germaniae populis sint instituta?

§. I. NUnc a vetustis ad posteriores gentes descendamus. Agmen ducant Germaniae populi, quales fuere Gothi, Longobardi, Alemanni, Franci, Burgundiones, Saxones, atque alii, qui partes optimas exciſi sub Augustulo Romani Occidentis Imperii an. CCCCLXXVI., armis occuparunt, legibusque suis munierunt. Ab omnibus his gentibus feudorum originem repetunt innumeri fere Germanorum eruditi, gentis suae ornandae studio ducti; quibus etiam exterorum complures adstipulantur.

§. II. Sed cuinam potissimum Germanicarum gentium, an potius universis, laus haec debeatur, inter eosdem non convenit. Sunt qui a Gothis feuda arcessunt: plurimi vero Longobardis hanc gloriam adiudicant. At tam in Gothorum, quam Longobardorum legibus, & vetustis ambarum gentium monumentis, nihil prorsus occurrit, ex quo feuda illos agnovisse sive in patria, sive in Italia, cui diu dominati sunt, suspiceris, ut infra part. II. cap. 1. & 2. ostendetur.

§. III. Contra Grotius (1), Cragius (2), Hor-

 nius

(1) *De Iure belli & pac. lib.* 1. *cap.* 3. §. 23. & *cap.* 7. §. 21.

(2) *De iur. feud. lib.* 1. *tit.* 4.

Digitized by Google

nius (3), Rittershuſius (4), Struvius (5), Spenerus (6), Gebaverus (7), aliique contendunt, feuda profluxiſſe ab omnibus Germaniae populis, non Longobardis modo, verum etiam Alemannis, Saxonibus, Francis, ceteriſque, ac per univerſum chriſtianum orbem ab iiſdem diſperſa, quamvis a Longobardis potiſſimum fuerint perfecta, inque eum ſtatum, in quo hodie ſunt, redacta. Rei conteſtandae haec praecipue adhibentur: (I) Germanicae hiſtoriae ſcriptores mentionem de feudis primi omnium fecerunt, & antiquiores de feudis leges a Germanicis populis latae ſunt. (II) Uſus feudorum viguit in Germania, & provinciis Imperii Romani, quas Germani tenuerunt, ut in Italia a Longobardis, Gallia a Francis occupata, non in aliis regionibus, ut in Polonia, Anglia, Hiſpania, item in Oriente, Graecia, Aſia, quibus illi potiti non ſunt. (III) Plurima vocabula, plurimaeque formulae, quibus in re feudali utimur, Germanica ſunt.

§. IV. Haec omnia Germanicam, ſi Gallos excipias, feudorum originem non adſtruunt. Sane, cum de origine rei quaeritur, prima eius inveſtigantur initia: at feuda uno eodemque momento, nullo interiecto temporis intervallo, apud

(3) *In iuriſprud. feudal. cap.* 1. §. 16.
(4) *Partit. feudal. lib.* 1. *cap.* 1. *quaeſt.* 2.
(5) *De feudis cap.* 1. *concl.* 8.
(6) *Diſſ. de primis veſtigiis feudor. in Germanica antiquitate perveſtigandis.*
(7) *In proluſione academica de feudor. origine* §. 9.

Digitized by Google

pud varias gentes coepisse, omnem superat fidem. Falsum vero est, primam feudorum mentionem comparere apud Germanicos historicos, atque vetustiores de feudis leges a Germanis populis perlatas. Etenim apud historicos, qui extant, nulla antiquior est feudorum mentio, quam in Francorum historia, primaeque leges beneficiariae a Francis conditae sunt; quamvis non negem, hos Germaniam matrem habuisse. Deinde constat, feuda a Francis in Gallia primum instituta, exinde ad Alemannos, Saxones, Burgundiones, alioſque Germaniae populos passim perrepsisse, inque Italiam non a Longobardis, sed ab ipsis Francis illata fuisse. Demum praecipua iuris feudalis vocabula sunt Gallica, etsi nonnulla etiam originem redoleant aliarum Germaniae gentium: Gallica item est formula fidelitatis & hominii, ut opportunis locis ostendetur (*a*).

(a) Apud vetustissimos Germanos feuda quidam admittunt, Tacito vade. Hic *de morib. Germanor. cap.* XII. de *Germanorum Comitibus* ait: *Singulis* (Principibus) *ex plebe Comites, consilium simul & auctoritas adsunt.* Et *cap. XIII.* scribit: *Turpe Comitatui virtutem Principis non adaequare. Iam vero infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem Principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius assignare, Principum sacramentum est. Principes pro victoria pugnant: Comites pro Principe.* Addit de iuvenibus Comitibus: *Ceteris robustioribus ac iam pridem probatis aggregantur, nec rubor inter Comites adspici.* Inde *cap. XIV.* prodit: *Exigunt* (Comites) *Principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam, victricem frameam. Nam epulae & convictus, quamquam inconti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt.* In hoc Germanicorum hominum genere, Solduriis & Ambactis Gallorum adfini, feu-

CAP. IV.

Ostenditur feuda a Francis primum instituta fuisse.

§. I. CUm feuda uno eodemque tempore a variis populis inventa & usurpata fuisse, fidem superet; inquirendum nunc, a quo populo

feuda quaeruntur. Spelmannus in *Glossario* illos *Comites*, qui Principibus iura reddentibus consilio & auctoritate aderant, interpretatus est de serioris aevi vassallis. At cit. *cap.* XII. Tacitus, qui promiscue vocabulis utitur, non bellicos Comites aut ministros Principum, sed iudices ex plebe delectos, qui iudiciis habendis interfuerint, designat. Struvius *Syntagm. Iur. feud. cap.* 1. ex allatis verbis Taciti d. *cap. XIII.* & *XIV.* deducit *occasionem & seminaria feudorum introductorum in Germania*. Hanc sententiam Schilterus *not. ad Struvii Syntagm. p.* 3. improbat, traditque tempore Taciti nullum feudorum usum in prima Germania fuisse, tum quia Tacitus eum non omisisset notare, tum quod privati & separati agri apud priscos Germanos non fuerint, sed ab universis per vices occupati, ut ex ipso Tacito *cap.* 26. & Caesare *lib.* IV. patet. Tempore Taciti feuda Germanis cognita fuisse, haud verisimile putat Thomasius *de origin. feud. n.* 5. Reiectam Struvii sententiam restituere conatur Spenerus in *primitiis observat. historico feud. obs.* 1., tam persuasus *de primis feudorum apud Tacitum vestigiis, ut in epulis & convictu quamquam inconti, largi tamen apparatus*, quae Comitibus Principis sui liberalitate pro *stipendio* cedebant, feudum *Soldatae*, vel de *Camera* & *Cavena*, & in verbis, *ceteris robustioribus ac iam pridem probatis aggregantur*, novi vassalli investituram deprehendat. Nihil hercle moror inanes species & larvas, feudi & re & nomine carentes: vera feuda, de quibus agimus, antiquissimis Germanis prorsus incognita fuere.

Digitized by Google

pulo ſpeciatim ex Germanis, & quo tempore primi feudorum natales repetendi ſint. Feudorum origo a Francis, qui Germaniae populi fuerunt (a), arceſſendà eſt; a quibus paſſim ad alias Germanicas gentes, ad Italos, alioſque Europae populos tranſierunt: quam ſententiam viri doctiſſimi Molinaeus (1), Alteſerra (2), Bignonius (3), Thomaſius (4), Hertius (5), Itterus (6), Willerdingius (7), aliique tuentur. Prima enim feudorum mentio in Francorum hiſtoria occurrit, & antiquiores de feudis leges a Francis latae ſunt. Ex eodem fonte fluxerunt praecipua vocabula & formulae rei feudalis, modi concedendi feuda, finis ob quem dantur, conditio qua

(a) An Franci (qui Gallias tandem ſubegerunt) ſin genuina gens Germaniae, acris eſt quaeſtio. Bodinus eos non Teutonicae, ſed Gallicae propaginis eſſe contendit. Sed Francos vere Germanos fuiſſe, tuentur alii. Procopius *de bello Gothico lib. I.* ait: *Franci quondam Germani vocabantur*. Conf. Pontanum *de orig. Franc. lib. II. cap.* 3. E Germania in Gallias irruperunt Franci an. CCCCLXXXVI. Eorum Dux Clodoveus, fugato Syagrio Romanorum praefecto, Alarico Wiſigothorum Rege caeſo, Alemannis victis, Burgundionibus debellatis, ingens in Gallis imperium condidit. Videſis Bouchetum libro *de vera origine Francorum Regum*.

(1) *Comment. in Conſuetud. Pariſ. tit.* 1. §. 1. & 13.

(2) *De origine & ſtatu feudor. pro moribus Galliae cap.* 1.

(3) *Not. ad Marculph.*

(4) *In Origin. feud.* §. 9. & *Select. capitib. iur. feud.* §. 3. 34. 36.

(5) *Diſſ. de feud. oblat. part.* 1. §. 2.

(6) *De feudis Imperii cap.* 1. §. 1. 8. 9. & 10.

(7) *Diſſ. de incongrua applicatione iur. Longob. ad feud. German.* §. *V. ſeqq.*

Digitized by Google

qua accipiuntur, iudicia in cauſſis feudatariorum, lex commiſſi ob feloniam, atque alia ad feudum pertinentia, quae occurrunt in Capitularibus Regum Francorum, in legibus Salicis, & in Formulis Marculphi (*b*), uti ſuis locis opportune videbimus.

§. II. Quo primum tempore Franci feuda inſtituerint, non ſatis liquet. Connanus (8) ea refert ad primorum Gallorum Soldurios, ſeu devotos. Ei adſtipulantur Schilterus (*9*), aliique. Refert enim Caeſar (10), Gallorum divites multos habuiſſe *devotos, quos illi Soldurios appellant, quorum eſt haec conditio, ut omnibus vitae commodis una cum his fruantur, quorum ſe amicitiae dediderint; ſi quid iis per vim accidat, aut eumdem caſum una ferant, aut ſibi mortem conſciſcant.* Soldurios ab *Ambactis* & *Clientibus*, quorum idem Caeſar (11) meminit, haud differre puto (*c*). Iam Soldurii vaſſallis ſimiles fuerunt in eo, quod a patronis ſuis commoda quaedam ceperunt, ac fidem operamque iiſdem praeſtarunt. Sed multis nominibus differunt a feudalitiis clientibus. Vaſſallis certa & propria feuda pro fide dantur; Sol-

(b) Formulas veteres apud Francos olim uſitatas collegit Marculphus Monachus Clodoveo II. Dagoberti filio coaevus circ. an. DCLX., ut oſtendit Bignonius in *praef.*

(8) *Lib. II. Comment. Iur. civ. cap. 9. n. 5. ſeqq.*

(9) *In inſtit. iur. feud. tit. 1. §. 1.*

(10) *De bello Gallico lib. III. cap. 23.*

(11) *Ibid. lib. VII. cap. 40.*

(c) Ita opinatur etiam Rodulphus Rothius *diſſ. de Soldariis*. In contrariam tamen ſententiam inclinare videtur Otto Sperlingius in *de Ambactis ad Caeſarem Scholio.*

Digitized by Google

Solduriis non item, ſed tantum mercedem & quaſi ſervitutis auctoramentum a patronis acceperunt. Diſerte Caeſar non certos fundos, ſed amnia patronorum commoda communia cum illis facit. Vaſſallorum opera militaris eſt; Solduriorum autem in pace, & in bello. Inter dominos & vaſſallos eſt mutua fides; at inter Solduriios & patronos nec mutua fides fuit, nec obſequium. Quod vero in Solduriorum fide caput erat, ut, interfecto patrono, ſibi mortem conſciſcerent, id in vaſſallorum noſtrorum conditione, ut ut arctiſſimo fidei nexu copulentur, inauditum eſt. Tenetur enim vaſſallus dominum defendere, non item eumdem ferre caſum, multoque minus mortem ſibi inferre, quod quidem inutile eſt amoris & fidei teſtimonium. Nihil vero cauſſae eſt, feuda a Gallorum devotis, potius quam Hiſpanorum & Celtiberorum arceſſere. Quae enim Caeſar de Gallis, eadem de Hiſpanis Plutarchus (12), ac de Celtiberis Valerius Maximus (13) perhibent.

§. III. Pro feudorum apud Gallos antiquitate pugnant plurimi; quidam vero pro recentiſſima ſtant origine (*d*). Ea ad Pharamundum I. Fran-

(12) *In Sertorio.*
(13) *Lib. II. cap. 3.*
(d) Thomas Franzius in *defenſione pro Carolo M. primo feudorum auctore in Italia*; quam Georg. Adam. Struvius ſuo *Syntagmati iur. feud. p.* 612. adiecit, pluribus contendit, communi errore feudorum originem conſuetudini adſcriptam fuiſſe, atque Carolum M. primum unicumque feudorum auctorem, iuriſque feudalis conditorem facit. Eum ſequitur Petrus Ternouius *de feudis Mecklburg.*

Digitized by Google

Francorum Regem confidenter nonnulli referunt. Alteserra tuetur, *Francos, rerum potitos in Gallia, praedia divisisse ducibus & militibus, idque iure beneficiario sub lege fidei & servitii, priusquam Longobardi Italiam attigissent*. Struvius (14) *iam ante Clodoveum hunc Francorum morem* (dandi beneficia) *fuisse usitatum*, ait. Non pauci feuda apud Francos ab ipso Clodoveo derivant. Molinaeus se vidisse testatur *antiqua instrumenta donationis antiquorum feudorum factae per Childebertum primum Clodovei primi filium, Francorum Regem, Monasterio S. Germani Pratensis.* Bignonius, quoties in Formulis Marculphi & Capitularibus Francorum offendit nomina *vassorum* & *vassallorum*, item *beneficii* & *muneris regii*, continuo illos pro feudalibus clientibus accipit, haec vero pro beneficiis, quo posterior aetas *feuda* vocavit. Alteserra aliique *Leudes* seu *Leodes* in antiquissimis Francorum monumentis interpretantur pro *fidelibus*, qui a Rege feuda tenebant sub lege fidei & servitii.

§. IV. Praecipua in hanc sententiam argumenta haec sunt. (I) Clodoveus Francorum Rex nuptiis cum Clotilde Gundebaldi filia an. CCCCXCI. celebratis, cum opera & industria Au-

burg. part. I. *cap.* I. §. 4. Sed Franzianum systema ex instituto evertit Iac. Car. Spenerus in *primitiis Observ. historico-feudal. Obs.* III. quae est *de originibus feudalis iuris ad consuetudinem, minime vero ad Caroli M. instituta referendis*; qua luculenter ostendit, consuetudini prima feudorum initia deberi, nec Carolum primum beneficiariorum institutorum auctorem fuisse.

(14) *Hist. iur. feud.* §. 6. *in not.*

Digitized by Google

Aureliani *Regnum ſuum uſque Sequanam, atque poſtmodum uſque Ligerim fluvios, ampliaſſet, Milidunum caſtrum eidem Aureliano, cum totius ducatus regimine, iure beneficii conceſſit*, teſte Aimoino (15). (II) Ex antiquis diplomatis habetur, Childebertum I. Clodovei filium feuda donaſſe Coenobio S. Germani Pratenſis. (III) Guntramnus Francorum Rex dedit Mummolo Machovillam apud Arvernos, ceu teſtatur Gregorius Turonenſis (16): *Et Amo quidem*, inquit, *Ebredunenſem carpens viam uſque Machovillam Avennici* (Arvernici) *territorii, quam Mummolus munere meruerat regio, acceſſit*. Hic *munere regio* ſignificari putant *beneficium* Regis, quod poſtea *feudum* audiit. (IV) Inde a cunabulis Francici Regni celebrantur *Leudes* ſeu *Leodes*, quos interpretantur fideles, qui feuda a Rege acceperant ſub lege fidei & ſervitii: item in legibus ſub Merovingica & Carolina familia latis ſaepe occurrunt *vaſſi* & *vaſſalli*, quos pro feudalibus clientibus accipiunt, atque *fiſci munera* & *beneficia Regis*, quae poſterior aetas *feuda* vocavit.

§. V. Haec omnia feudorum in Gallia vetuſtatem non adſtruunt. Primum, ad rem non facit teſtimonium Aimoini Floriacenſis monachi, qui ſaeculo XI. vixit. Omnes enim Annalium Francorum hiſtorici apud Ducheſnium (17) tradunt, *Melidunum* a Clodoveo una cum ducatu traditum Aureliano; nihil de *iure beneficii* habent:

(15) *De reb. geſt. Francor. lib. I. cap.* 14.
(16) *Lib. IV. hiſt. cap.* 39.
(17) *Annal. Francor. T. I.*

Digitized by Google

bent: quid porro nomen hoc significet, infra dicetur. Iam Thomasius (18) monuit, nimium tribuendum non esse soli testimonio Aimoini, quia longa aetate, quam descripsit, iunior auctor fuit, & Gregorius Turonensis rem prorsus siluit (e). Fuit quidem ea liberalitas Principis ac veluti remuneratio ob operam egregie sibi navatam, non feudum. Frustra vero urgetur donatio *antiquorum feudorum* a Childeberto I. facta Monasterio S. Germani Pratensis. Ecquando enim praedia a Regibus donata Monasteriis, *feudi* nomen tulerunt? Multo serius feudi nomen innotuisse constat. Nec tale quidquam ex ipso diplomate, quod editum est, exculpas. In Mummolo, cui villa *munere regio* donata est, magis ministrum & officialem, quam vassallum agnosco. A sola mentione bonorum *de munere regio* certum argumentum ad feudorum origines demonstrandas desumi non posse, cum ambigui sensus sint ea vocabula, recte monuit Thomasius (19). Quid porro sit *munus regium*, inferius patebit.

§. VI. Sedulo nunc inquiramus, an veterum Francorum *Leudes*, *Vassi* & *Vassalli* fuerint feudalitii clientes, & an *munera regia*, *beneficia regia*,

(18) *De origin. feud. n. XI.*
(19) *Cit. loc.*
(e) Videtur Aimoinus haec sua depromsisse ex Roricone Monacho (qui Gregorio Turonensi coaevus censetur) *lib. II. de gestis Francor. p.* 806. apud Andream Du Fresne *Tom. I. Hist. Franc. Script. coëtan.* ubi ait: *In diebus illis dilatavit Clodoveus Francorum regnum usque ad Sequanam: & accipiens castrum Milidunensem, tradidit eum Aureliano Legatario, eumque Ducem provinciae illius esse instituit.*

Digitized by Google

gia, *bona de fiſco*, quarum vocum fere a Clodovei imperio crebra apud Gallicanos ſcriptores fit mentio, ſint vera & propria feuda. Quod ad *Leudes* ſive *Leodes*, plerique ſtatuunt, eos fuiſſe vaſſallos, qui a Rege feuda tenebant lege fidei & ſervitii. Sed ſcite Muratorius (20) obſervat, antiquitus *Leudes* vocabulo Salico fuiſſe, qui fidem Principi obligabant & ſubiectionem. Vocem *Leudes* quoſcumque ſubditos & fideles denotare, pluribus docent Thomaſius (21), & Struvius (22). Fuerunt itaque Leudes *homines*, ſive *ſervientes*, qui in militia vel aula Regi inſerviebant, a quibus propter ſuſceptum officium bene gerendum iuramentum fidelitatis exigebatur. Fedegarius (23) de Dagoberto narrat: *Cumque Lingonas civitatem veniſſet, tanta in univerſis Leudibus ſuis, tam ſublimibus, quam pauperibus indicabat iuſtitia*. Idem (24) alibi ait: *Lotharius cum Proceribus & Leudibus Burgundiae convenit*. Et Aimoinus (25) ſcribit: *Fines Regn. illius Leudibus ſuis probatiſſimis viris, & illuſtribus ad reſiſtendum contra gentes rebelles in fide diſpoſuit*. Nec opus erat beneficio, ut quis inter Leudes referretur. Leudibus nullum adhuc beneficium a Rege traditum, probat Lex Wiſigothorum (26): *Quod ſi inter Leudes quicumque nec*

(20) *In Antiquit. Italic. Medii AEvi Tom. I. diſſ. XI.* quae eſt *de allodiis, vaſſis, vaſſallis, beneficiis, feudis, & caſtellanis*.

(21) *In Select. feud. alib.* §. 34. & 37.

(22) *Hiſt. Iur. feud.* p. 682.

(23) *Cap. LVII.* (24) *Cap. LIV.*

(25) *Lib. IV. cap.* 53. (26) *Lib. IV. cap.* 5.

Digitized by Google

nec Regis beneficiis aliquid consequutus, sed in expeditionibus constitutus, de labore suo aliquid acquisierit (*f*).

§. VII. Qui saeculis antiquioribus *Leudes*, postea *Vassi*, seu *Vassalli* adpellati sunt. Hactenus eruditi fere omnes putarunt, Francorum *Vassos* & *Vassallos* fuisse, qui ob accepta feuda fidem & servitium Domino obligaverant. Sed secus se res habuit. *Vassi* nomen descendit a voce Cambrica *Gwas*, quae *famulatum* significat; & officium Vassi *vassaticum*, ideſt *famulatus*, audiit. Erant *Vassi* & *Vassalli* ministri a Francis in obeundis officiis adhibiti, nec dissimiles ab honorariis famulis, sive nobilibus, sive ingenuis, quos nunc *Cortigiani*, *familiari*, adpellamus. Olim sane nobiles viri, non secus ac hodie, ad Regum famulicium inhiabant: tum ut patrocinio Principis, aliisque Aulae regiae privilegiis fruerentur, tum etiam ut Regum liberalitatem in se derivarent (quod plerumque accidebat) & ab iis *beneficia*, ideſt, usumfructum praediorum regalium, dum vita comes esset, consequerentur. Hi passim *Vassi* sive *Vassalli regii* & *dominici* vocati sunt. Fuerunt etiam Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Episcopis & Abbatibus *vassalli*, ideſt famuli nobiles, *ministeriales* etiam

(*f*) Alteserra *de origin. feud. cap.* 1. Leudes esse vassallos colligit ex Gregorio Turonensi *lib. III. cap.* 27. Fedegario *cap. LXXXII.* & Aimoino *lib. III. cap.* 81. qui *Leudum* mentionem iniiciunt. Sed haec loca rem non conficiunt. Constat enim, Leudes non fuisse feudales clientes, sed homines, qui Principi serviebant.

Digitized by Google

etiam adpellati, qui illis inserviebant, vel ad augendum splendorem domesticum, vel ad subeundos pro iisdem militiae labores. Quicumque nobilis ad famulicium Principis adscisebatur, fidem de officio bene gerendo iureiurando spondebat, non quidem propter beneficium, sed propter officium. Appolite Muratorius (27) docet: *Nullo adhuc certo teste didici, tunc ob beneficia collata, Vassos Seniori fidelitatem iurasse: cum contra certum sit, ob vassaticum, seu famulatum Seniori praestitum fuisse eiusdem fidelitatis sacramentum.* Sola ad munus obeundum suscepta obligatio vassallos constituebat: opus non erat beneficii concessione, quamquam vassallis ut plurimum beneficia collata sint. Interdum in ipso famulicii exordio se liberalem Senior praebebat; interdum post probatam Vassi diuturnam fidem, praemii loco eis fundum aliquem Rex largiebatur. Luculentum est Caroli M. (28) testimonium: *De vassis Dominicis, qui adhuc intra casam serviunt, & tamen beneficia habere noscuntur, statutum est, ut quicumque ex eis cum Domno Imperatore domi remanserint, vassallos suos casatos secum non retineant, sed cum Comite, cuius pagenses sunt, ire permittant.* Hinc tria habes. (I). Vassos Dominicos fuisse famulos, qui Regibus *serviebant intra casam*, hoc est, in *palatio*, ut habet titulus. (II) Necesse non fuisse beneficium illis tradi; ex iis enim alii beneficio donati e-

C rant,

(27) *Cit. diss. XI.*

(28) *In Capitulari II. an.* 812. *cap.* 7. apud Baluz. T. 1. p. 495.

Digitized by Google

rant, alii illud nondum fuerant conſecuti. (III). Ipſis Vaſſis regiis ſubiectos fuiſſe *vaſſallos*, puta ingenuos homines, qui ideo *caſati* nuncupantur, quod in domo Comitum, Epiſcoporum, & Abbatum famulatus cauſſa reſiderent. Monachus Sangallenſis (29) de quodam Epiſcopo refert: *Hic habuit unum vaſſallum non ignobilem civium ſuorum, valde ſtrenuum & induſtrium: cui tamen ille ne dicam beneficium, ſed ne ullum quidem aliquando blandum ſermonem impendit*. Fuit ergo ſine beneficio vaſſallus. Ex dictis collige diſcrimina inter veterum Francorum *Vaſſos* ſeu *Vaſſallos*, atque eos, quos nunc *vaſſallos feudatarios* adpellamus. Olim opus non fuit *beneficio*, ut quiſquam *Vaſſi* honore donaretur, cum id munus in eo dumtaxat ſitum eſſet, ut ad famulatum Regis, aut Ducum, Comitum &c. adſciſceretur; nunc vero a multis ſaeculis nemo vaſſallus conſtituitur, niſi ratione *beneficii* ſeu *feudi* collati. Adhaec *Vaſſi* fidelitatem Seniori iurabant non propter *beneficium*, ſed propter *officium* ſeu famulatum: contra feudales vaſſalli ſacramentum fidei *ratione praedii* praeſtant.

§. VIII. Nunc ad beneficia ſub vetuſtis Francorum Regibus uſitata devenio. Francorum beneficia aut *late*, aut *ſtricte* accipiuntur. Late ſumta denotant ius utendi fruendi praedio ad certum tempus conceſſum. Hoc ſenſu *iure beneficiario* & *uſufructuario poſſidere*, eadem ſunt veteribus; atque *precariae* vocantur beneficia. Stricti-

(29) *De geſtis Caroli M. lib. I. cap. 32.*

Digitized by Google

ctiori vero sensu beneficium est ius utendi fruendi praedio pro officio concessum (*g*). Est nimirum species ususfructus iuris Francici, qui praeter ius omnem utilitatem ex re percipiendi, ius substantiam fundi ea ratione, qua melior reddatur, immutandi complectitur, dominio utili, quod vocamus, non absimilis. In nummorum raritate Regibus Francorum non defuerunt praedia publica, ex quibus quicquid *intuitu officii* utendum fruendum dabant, beneficium dicebatur: quae notio hodienum in *beneficiis ecclesiasticis*, intuitu muneris ecclesiastici collatis, perdurat. Itaque beneficia rationem *officiorum* habebant. Quocumque modo officium, eodem & beneficium finiebatur; eoque quis tamdiu fruebatur, quamdiu defungebatur officio. Quem beneficiorum officiorumque nexum innuunt, quae saepius apud veteres coniuncta leguntur *honoris*, seu officii honorifici, & *beneficii* verba, ita non minus promiscue usurpata, ut quamquam *honorum* voce plerumque designatae sint dignitates & officia, intuitu quorum beneficia data, honorum tamen nomine subinde & beneficia venerint.

§. IX. Eiusmodi beneficia aut *militaria*, aut *palatina*, aut *praefectorialia* fuere: item *immediata*, aut *mediata*. Sane *nobilibus* & *ingenuis* inter Francos, non secus ac nostris temporibus, solemne fuit, ambire Principum Regumque officia, tum ea, quae in *dirigenda militia*, tum

(g) Conf. Murator. *cit. diss. XI.* & Georg. Ludov. Boëhmerum *de feudis ex veterum Francorum beneficiis enatis* §. 2.

Digitized by Google

quae in *aulae regiae* ſplendore exornando, tum quae in variis *reipublicae partibus* procurandis verſabantur. Quo illuſtrius fuerat militiae, aulae & reipublicae munus, eo minus ſublimiori loco nati eadem obire dubitarunt. Et ne apud proceres & nobiles quidem munera ſuſcipere, a generis ingenuitate alienum putabatur; iſtis vero glorioſum magna vaſſallorum caterva ſtipari. Cuiuſcumque *officii* nomine nobiles ac ingenui Regi, vel Ducibus, Comitibus, Marchionibus, Praelatis, aliiſque generis nobilitate praeſtantibus fidem obligabant, *eius intuitu* non minus horum *vaſſalli* fiebant, quam *beneficiorum*, quibus pro officio fruerentur, participes. Itaque alii vaſſalli *militari* officio, alii in aula *palatino*, alii in adminiſtrandis regendiſque diſtrictibus & provinciis officio *praefectoriali*, alii aliis procerum ad militiam & ſplendorem domeſticum pertinentibus muniis defungebantur. Quot vero vaſſallorum, tot beneficiorum quoque genera occurrunt, tam pro officiorum, pro quibus praeſtabantur, quam pro Dominorum ratione, ex quorum largitate proveniebant, diverſa. Unde habes beneficia militaria, palatina, praefectorialia, immediata, quae & regalia & principis beneficia dicuntur, ac mediata.

§. X. Hactenus expoſita evincunt, veterum Francorum beneficia non facile accipienda eſſe pro iiſdem ex omni parte *feudis*, quae poſterior aetas poſt annum milleſimum uſurpavit. Utriuſque diſcrimina haec potiſſimum ſunt. (I) In *beneficio* praedium pro certo officio utendum fruendum conceditur, ut veluti ſit remuneratio fidei

in

Digitized by Google

in officio praestandae ; in *feudo* concessio praedii non fit loco stipendii pro officio , sed sub conditione praestandae fidelitatis. (II) In *beneficio* vassallus beneficiarius non ob *rem beneficiariam*, sed ob *susceptum officium* ad fidem obstringitur: in *feudo* vassallus feudatarius *intuitu praedii feudalis* obligatur ad fidelitatem. (III) In *beneficio* obligatio ad fidem in officio praestandam est *personalis ;* in *feudo* ratione rei seu praedii suscepta est obligatio . (IV) Tandem in *beneficio* propter *officium* bene gerendum iusiurandum fidelitatis exigitur; at in *feudo* ob *praedium* praestatur . Hinc liquet , utriusque fere eadem esse discrimina ac hodienum *feudorum* & *beneficiorum ecclesiasticorum* .

§. XI. Tandem veterum Francorum beneficia in feuda mutata sunt : inde enata est feudorum hodierna facies. Id quo primum tempore factum, non satis liquet . Forte veram feudorum naturam, uti nunc sunt, induerunt, ex quo sensim hereditaria evaserunt. Iam saeculo X. parentum beneficia in filios translata sunt . Saeculo XI. Conradus Salicus (30) certa lege militum parentum beneficia filiis addixit. Cum autem in beneficiis filii succederent, debebant hi eadem fide defungi , quam postulabat officium , ob quod beneficium parentibus fuerat concessum: proinde, ordine inverso, fidem propter *beneficium* praestabant, quae quondam propter *officium* praestabatur. Ita fidelitas, quae antehac vi officii exhibenda erat ,

(30) Apud Murat. *cit. loc.*

Digitized by Google

ipsis *praediis beneficiariis* adnecti coepit, & horum intuitu praestari, ut feudorum ratio edocet.

§. XII. Haec autem mutatio in omnibus beneficiis non eodem tempore contigit. Alia enim beneficia pristinam servarunt naturam, ut pro officio ex fide gerendo, ex veteri formula darentur. Alia hereditaria facta in feuda abierunt, his, qui ea possidebant, ratione bonorum tantum ad fidelitatem obstrictis. Primum feuda evaserunt beneficia *militaria*, & *praefectorialia*, pro officio in regenda & tuenda regione concessa: quae ambo specialem militiae obligationem continebant. Sane Conradi Salici constitutio (31), qua feuda hereditaria sunt facta, *de militum beneficiis* agit: *Praecipimus*, inquit, *si aliquis miles, sive de maioribus, sive de minoribus de hoc saeculo migraverit, filios eius beneficium tenere*. Et Wippo (32) scribit, Conradum Salicum *militum animos multum attraxisse, quod paterna beneficii neminī posterorum adimi sit passus*. In his ergo beneficiis, quae *ob militare officium* olim dabantur, una cum hereditaria successione haec mutatio invaluisse videtur, ut *ratione praedii*, successionis iure adquisiti, fidelitas in militia agenda praestaretur.

§. XIII. Cetera vero beneficia, quae ob *officia civilia*, *aulica*, & *domestica* dabantur, diutius pristinam beneficiorum indolem retinuerunt, ut scilicet pro *officio* concederentur, & qui ea ob-

(31) In *lib. V. Feudor. const.* 1. & apud Murator. *Antiq. Italic. med. aev. diss. XI.*

(32) In *vita Conradi Salici p.* 489.

Digitized by Google

obtinuerant, arctiori obligatione, quae eorum personam adstringebat, ad eiusmodi ministerium tenerentur. Hinc rursus a feudis distingui coepunt *ministeria*, a vassallis *ministeriales*, & a nexu feudali *nexus ministerialis*. Suscepta nobilium ingenuorumque ad officium seu ministerium principi vel aliis proceribus ex fide praestandum obligatio nexum ministerialem constituebat, & intuitu huius personalis obligationis ministeriales officia obibant, beneficiis stipendii loco ipsis concessis, quum obligatio ratione praediorum feudalium debita vassallum efficeret. Vetus Auctor *de beneficiis* (33) distinguit bona, quae *iure officiali*, seu secundum ius curiae, & quae iure beneficii, seu feudali possidentur: *Quidquid homo non suscipit per hominium, non iudicetur esse beneficium: sicut cum bona concedit dominus suis ministerialibus non per hominium, sed secundum ius curiae. Haec concessio caret beneficiali iure, sed est concessio officialis.*

§. XIV. Tandem ministeria in feuda immutata sunt. Nimirum eodem fere modo, quo antiqua beneficia, ministeria quoque, hereditaria successione sensim concessa, in feuda abiisse, & ministeriales officia, quae ex obligatione personali susceperant, vi *adquisitorum bonorum* praestare coepisse videntur. Inde ortae sunt variae feudorum species, feuda palatina, ceteraque, a quibus servitia non militaria debentur, nec non subinde praedia, nexu ministeriali hactenus pos-

(33) *Cap. I. §. 130.*

Digitized by Google

sessa, in feuda sunt immutata. Vi transactionis (34), qua Henricus Dux Saxoniae, & Comes Palatinus, Ecclesiae Bremensi an.MCCXIX. cesserat varia praedia una cum ministerialibus, *Ministeriales Palatini iussu eius iuraverunt & fidelitatem fecerunt Ecclesiae Bremensi, & bona, quae hactenus a Palatino tenuerant iure ministerialitatis, in iure feudali ab ea receperunt*. Atque ita tandem ministeriorum & ministerialium nomen fere expirare, & praedia quondam iure ministerialitatis suscepta, feudalia fieri, & pristina officia non amplius ex obligatione personali, sed ratione praediorum, praestari coeperunt.

§. XV. Hactenus de feudorum origine & tempore, quo orta sunt: causam nunc quaeramus, ob quam Franciae Reges feuda induxerunt, qua quidem non perspecta nihil solidi de feudorum origine tradi potest. Vera feudi introducendi causa fuit militia, ut scilicet praemiis afficerentur, & ad fortia facta deinceps excitarentur. Olim enim Franci inopia auri argentique laborabant. Testatur id Gregorius Turonensis (35): *Recordemini, quod caput victoriarum vestrarum Clodovaeus fecerit, qui adversos Reges interfecit, noxias gentes elisit, patrias gentes subiugavit, quarum Regnum vobis integrum illaesumque reliquit, & cum hoc faceret, neque aurum, neque argentum, sicut nunc est in thesauris vestris, habebat*. Antiquis Francorum Regibus, non multum argenti fuisse

(34) Apud Ludov. Tollnerum in *Codice probat. hist. Palat. n. 70. p. 61.*

(35) *Lib. V. hist. in praef.*

Digitized by Google

fuisse, confirmat locus Valesii (36) de Theodorico Rege. Quum vero, deficiente pecunia, milites victu & amictu indigerent, ideo ad sustinendam vitam, in praemium praestitarum operarum, & ut ad egregia facinora in posterum excitarentur, Duces illis provincias forte distribuebant. Feuda ab initio non nisi ob militiam concessa fuisse, id etiam confirmat, quod iam antiquis temporibus *militis* vocabulum pro *vassallo* sit usurpatum & contra. Sic Luitprandus (37) ait: *Raimundus, Aquitanorum Princeps, pro minis mille se in militem dedit, fidemque iuramento servaturum affirmavit*. Et Dudo (38): *Ea fide*, inquit, *qua concatenantur Senior & Miles*.

§. XVI. Denique a Francis (*i*) feudorum usus ad alios Germaniae populos, ad Italos, aliosque perrepsit. E diversis Germaniae populis primi feudorum institutum amplexi sunt Alemanni & Saxones (*k*). Sero in Franconia, Thuringia, Sa-

(36) *De Reb. Franc. T. I. lib. VII. ad. an. DXXIX. p. 379. seq.*

(37) In *Chronic. lib. V. cap.* 15.

(38) *Lib. III. de Morib. Normanner.*

(*i*) Ius feudale Francorum explicant Molinaeus, Alteserra, aliique permulti. In primis commendandi Ludov. Chantereau le Febure *de feudis eorumque origine*, & Brussel in *novo examine usus generalis feudorum*, qui egregio testimoniorum, diplomatum, & Observationum apparatu de re feudali disseruerunt. His addatur Franc. Raguet liber non solum iuris Gallicani praesertim feudalis, sed etiam medii aevi vocabulis barbaris intelligendis utilissimus, qui inscribitur: *Indice des droicts Roiaux & seigneauriaux des plus notables dictions Thermes & Phrases*.

(*k*) Antiquissimum ius feudale Saxonicum exhibet ve-

tus

Boioaria, & provinciis Rhenanis adscita sunt (*l*). In Britanniam primus fertur feuda invexisse Gulielmus Nortmannus, cognomento *Conquestor* (*m*). In Hispania fere nullus est feudorum usus, sed obtinent Maioratus (*n*). Quin & apud Turcas Jo:

tus Auctor de beneficiis, quem ex Codice Eybeniano sincerum evulgavit Thomasius cum eleganti *diss. de Libri veteris de beneficiis auctore, fatis, vetustate & usu*. Adde Schaumburgium in *Coniectura nova de Auctoris veteris de beneficiis vetustate*. Ad fontes iuris feudalis Germanici spectat *Constitutio Karoli II.* sive *Crassi de expeditione Romana*, quam edidit & explicuit Marquardus Freherus: inde cum Freheri, aliorumque notis, & Lud. Fabri de eadem commentario, ac de Constitutionis huius variis editionibus, auctoribus, & authentia, praemissa eleganti praefatione, edidit Christ. Gebaverus. Eam vero Constitutionem Conrado Salico adiudicant Schurtfleischius *diss. de Expeditione Romana Conrado Salico vindicata*, aliique. *Ius feudale Alemannicum & Saxonicum* cum eruditis commentariis edidit Io: Schilterus. Universum ius feudale Germanorum collegerunt Lunigius, & Senckenbergius in *Corpore Iuris feudalis Germanici*.

(l) De origine & natura feudorum Imperii videsis Io: Guil. Itterum *de feudis Imperii*, Iac. Wolfium *de feudis Imperii, eorum origine atque indole sub primis Francorum Regibus*, & Petr. Ludewigium *de iure clientelari Germanorum in feudis & coloniis*. In feuda diversarum Germaniae regionum multi commentati sunt, quos recenset Struvius *Bibliothec. Iur. cap. XIV. §. 7. seqq.*

(m) De feudis Angliae & Scotiae consule Thomam Cragium *de feudis*, qui multas feudorum antiquitates, variasque species exponit. Inter alias Regum Scotiae leges etiam feudales affert Io: Skenaeus in *Regia Maiestate Scotiae*.

(n) Maioratus Hispanicorum Regnorum adcurate exponunt Ludov. Molina *de Hispanorum primogeniturum origine & natura*, ac Melchior Pelaez a Meres *de Maioratibus*.

Digitized by Google

Io. Bodinus (39), & apud Iaponenſes Ludov. Molina (40), feuda admittere non dubitant.

CAP. V.

De primis legum feudalium conditoribus.

§. I. COnſtitutis feudis, leges de re feudali paſſim latae ſunt. Iam ſupra oſtenſum eſt, Francos primos fuiſſe auctores beneficiorum, quae tamen a recentioris aevi beneficiis, *feudi* nomine donatis, in nonnullis differebant. Hinc conſequitur, ipſos fuiſſe primos auctores iuris beneficiarii, quod ſane tamquam ius rerum non extitit ante beneficia, ſed tamen ſtatim res inſecuta eſt. Nihil dubii eſt, quin ortis inter Francos beneficiis, mox & aliqua cauſſarum beneficialium norma exiſtere coeperit, conventionibus & uſu introducta, nec non actibus ſaepe iteratis magis magiſque firmata. Sed Merovingicae ſtirpis Regum conſtitutiones de beneficiis omnino ignoramus. Certa Carolingiorum de beneficiis iura ſuperſunt. Prima conſtitutio beneficiaria, quam habemus, eſt Pipini (1): *Homo Francus accepit beneficium de Seniore ſuo, & duxit ſecum ſuum vaſſallum, & poſtea fuit ibi mortuus ipſe Senior, & dimiſit ibi ipſum vaſſallum, & poſt hoc accepit alius homo ipſum be-*

ne-

(39) *De rep. lib. I. cap. 9.*
(40) *De iuſt. & iur. tract. 2. diſput. 485.*
(1) *In Capitulari Compendienſi an. DCCLXVII. cap. V,* apud Baluz. *Collect. Capitul. T. I. p. 182.*

Digitized by Google

neficium, & pro hoc ut melius potuisset habere illum vassallum, dedit ei mulierem de ipso beneficio &c. Inde Carolus M. (2) inquit: *Auditum habemus, qualiter & Comites, & alii homines, qui nostra beneficia habere videntur, comparant sibi proprietates de ipso nostro beneficio, & faciunt servire ad ipsas proprietates servientes nostros de ipso nostro beneficio, & curtes nostrae remanent desertae, & in aliis locis ipsi vicinantes mala multa patiuntur.* Rursus (3) sanxit: *Quicumque ex eis, qui beneficium Principis habent, parem suum contra hostes communes in exercitum pergentem dimiserit, & cum eo ire, aut stare noluerit, honorem suum & beneficium perdat.* Ludovicus Pius (4) de beneficiis desertis cavit: *Quicumque suum beneficium occasione proprii desertum habuerit, & intra annum postquam ei a Comite vel a Misso nostro notum factum fuerit, illud emendatum non habuerit, ipsum beneficium amittat.* Insequuti Francorum Reges suas de beneficiis sanctiones tulerunt.

§. II. In Longobardiam a victoribus demum Francis feuda invecta sunt. Primum communi Francorum iure Longobardi usi videntur; deinceps nova & singularia iura a Germanis Impp., Italiae Regibus, illis imposita sunt. Huc spectat

(2) In *Capitul.* V. *an.* DCCCVI. *cap.* 7. apud Baluz. *ibid.*

(3) *In Capitulari II. an. DCCCXII. cap. V.* apud Baluz. *T. I. p.* 494.

(4) *Capitul. IV. an. DCCCLX. cap. III.* apud Baluz. *T. I. p.* 611.

Digitized by Google

stat Otto de S. Blasio (5), qui memoriae prodit, Fridericum I. *convocatis omnibus Italicis, Baronibus generalem curiam apud Roncaliam celebrasse, ibique renovatis antiquis legibus novas de suo promulgavisse:* ubi *antiquae leges* procul dubio sunt *Francicae*.

§. III. Adauxerunt leges feudales Germani Impp. Conradus I. Henricus III. Lotharius III. Fridericus I. ac II., quas Goldastus (6) collegit, & quaedam Corpori Iuris feudalis insertae sunt. Prima de veris propriisque feudis constitutio debetur Conrado I. (a) cognomine *Salico*, quod *Dux Francorum Orientalium* fuerit. Hic an. MXXXVII. edictum evulgavit de feudis maioribus & minoribus Regni Italici, quo ad parentum beneficia liberos vocavit. Scitissime Muratorius (7) observat: *Feudorum leges suum praecipue incrementum, ne dicam exordium debent Conrado I. Imp. cuius edictum argumento esse potest, inter veterum beneficia, & recentiorum beneficia, feudi nomine donata, non parum discriminis interceſſisse.* Integra Conradi sanctio legitur in Legibus Longo-

(5) *Cap. XIV.*

(6) *In Constitutionibus & Consuetudinibus Germaniae.*

(7) *Antiq. Italic. med. aev. diss. XI. p.* 610.

(a) Hanc tamen constitutionem Conrado II. vindicant Koppius in *histor. Iur. P. III. p. 96.* & Struvius *Syntagm. Histor. German. diss.* 14. Male Hotomanus eam adscribit Lothario I. Caroli M. nepoti. Omnes enim historici Conrado Salico tribuunt. Vippo in *eius vita edit. Pistor.* scribit: *Militum vero animos in hoc multum attraxit, quod antiqua beneficia parentum nemini posterorum auferri sustinuit.*

Digitized by Google

gobardicis (8), pars vero *I. F.* 1. §. 2., & emendatissima apud Muratorium (9). Eiusdem Conradi lex de feudi alienatione prostat *II. F.* 9. §. *ult.*, de contentione inter Capitaneos *II. F.* 34. & capitula de beneficiis in Romandiola publicata *II. F.* 48. Henricus III. Imp. sanxit vassallum feudo privari ob crimina quaedam quinque testium iudicio, *II. F.* 57. Lotharius III. Imp. cognomento *Saxo*, quod Saxoniae Dux fuerit, legem Conradi de successione in feuda confirmavit, *II. F.* 19.: vassallo interdixit feudum alienare iniussu domini, *II. F.* 52. (*b*): iussit fratrem plerumque non succedere fratri in feudo novo, *II. F.* 25.: nec vassallum feudo privari sine legitima culpa & caussae cognitione, *II. F.* 21.

§. IV. Complures vero de feudis leges condidit Fridericus I. Aenobarbus, sive Barbarossa. Cum feuda potius moribus, quam iure scripto regerentur, ac iura imperii & dominii directi absentia & indulgentia Imperatorum usurpata essent in Italia; Fridericus suprema iura vindicavit, legesque feudis dedit, quas Italiae Proceres in Comitiis probassent. Huc spectat Radevicus (10), qui de Friderico refert: *Ad ultimum de*

(8) *Lib. II. tit.* 8. *l.* 4.

(9) *Cit. diss. XI.*

(10) *De gestis Friderici I. Imp. lib. II. cap.* 7. apud Murator. *S. R. I. Tom. VI. p.* 788.

(b) Hanc sanctionem Lothario I. tribuunt Cragius *de feud. lib. I. diegesi VI.* & Hornius *lib. I. iurispr. feud. cap.* 20. Contra Lothario II. adiudicat Koppius *cit. loc. P. III. p.* 98. At eam Lotharii III. esse statuunt Struvius *hist. iur. feud.* §. 14. *in not.* & Schilterus *comment. in II. F.* 19. *n.* 10.

Digitized by Google

de iure feudorum, quod apud Latinos (Italos) *ſcripto nondum ſufficienter expreſſum fuerat, ET PENE omnes eam beneficiorum iuſtitiam in iniuſtitiam converterant, leges promulgavit.* Quae verba verſibus etiam expreſſit Guntherus (11). Celeberrima ſunt Italiae Procerum Comitia in Campis Roncalicis (c) an. MCLVIII. celebrata, in quibus quatuorviris Iſtis Bononienſibus Martino, Bulgaro, Iacobo, & Hugolino de Porta Ravennate, itemque Conſulibus univerſarum fere Longobardiae civitatum ſententiam ferentibus, iura Imperii in Italia fere labefactata vindicavit. Rem enarrat Otto de S. Blaſio (12) his verbis: *Fridericus Imp., convocatis omnibus Italicis Baronibus, generalem Curiam apud Roncaliam cum maximo Principum conventu celebravit: ibique, retroactis antiquis legibus* (Francicis) *novas de ſuo promulgavit, ac diverſis Imperii negotiis expeditis iura deſueta in conſuetudinem reduxit, & quo iuris genere civitates Italicae ſubiacerent Imperio, iudicialiter exquiſivit.* Fridericus itaque non-

(11) In *Ligurino*, ſeu *de geſtis Friderici I. Imp. lib. VIII. v.* 590. apud Reuberum *Script. Rer. German. p.* 671.

(12) In *Chronic. cap. XIV.* apud Murator. *cit. loc. p.* 873.

(c) Imperatores Occidentis conſueverunt conventus Procerum Italiae habere in Campis Roncalicis, dum Romam ad accipiendam Imperii coronam peterent, ibique de re feudali iura conſtituere. Sunt Roncalii campi Italiae latere patentes ſupra Padum, non procul a Placentia. De hoc more, deque Roncaliis confer Sigonium *de Regno Italiae lib. VII.* Saxium *notis ad Morenae hiſtor. Laudenſ.* apud Muratorium *S. R. I. tom. VI. pag.* 1019. *not.* 14. & Andr. Rivinum *de Maiumis, Maicampis, & Roncaliis.*

Digitized by Google

nonnullas leges feudales in Comitiis Roncalicis pro ſolis Italis tulit, & per ſcripturam promulgavit, quibus de prohibita feudorum alienatione, de poena inveſtituram feudi non petentium, eorumve, qui requiſiti ſervitia feudalia non praeſtant, item de poena dominum offendentium, de feudorum diviſione, & de iudicio feudali, aliave ſimilia ſanciuntur. Integras conſtitutiones exhibet Radevicus (13). Eaedem libris feudorum inſertae ſunt (14). Idem Auguſtus Iuris feudalis Longobardici maximus extitit praeco & promotor. Nam *librum Feudorum*, quo hodie utimur, Bononiam miſit, ut publice legeretur, ceu patet ex Kalendario vetuſtiſſimo Archigymnaſii Bononienſis (15). Friderici avi veſtigiis inſtitit magnus Fridericus II. qui etiam feudales leges condidit, & ſub eo Hugolinus *Conſuetudines Feudorum* Corpori Iuris civilis adnexuit, adiectis ipſius Friderici II. aliorumque Caeſarum conſtitutionibus.

§. V. Sed & quaedam de re feudali Romani Pontifices ſanxerunt. Romana enim eccleſia praedia ſua aliis concedebat; aliae quoque eccleſiae ſubinfeudare, ſibique valvaſinos comparare ſolebant. Urbanus II. in Concilio Placentino, ſive potius Claromontano, vetuit res & bona eccleſiarum in feudum concedi. Eius conſtitutio excitatur *I. F. 6.* In corpore iuris Pontificii proſtrant Ale-

(13) *Cit. loc.*
(14) Conf. *II. F.* 27. 53. 55. 56.
(15) Apud Alexandr. Machiavelli *not. ad Sigonii hiſt. Bononienſ. lib.* III. *Opp. tom.* III. p. 150. *not.* 84.

Digitized by Google

Alexandri III. (16), Innocentii III. (17), Honorii III. (18), & Alexandri IV. (19) decretales, quae de rebus quibusdam in feudum non dandis, de feudis eccleſiaſticis non alienandis, nec pignorandis, nec in dotem dandis, de cauſſis amittendi feudi, deque foro feudalium cauſſarum ſtatuunt.

CAP. VI.

De collectionibus iuris feudalis communis.

§. I. Feudales leges Itali ICti primi collegerunt, aliiſque gentibus hac in re exemplo praeiverunt. Corpus iuris feudalis, quo hodie in ſcholis & foro utimur, inſcribitur *Conſuetudines Feudorum*. Vulgo audit & ius *commune*, quod apud omnes fere populos, propriis legibus moribuſque attemperatum, eſt receptum; & *Longobardicum*, non quod a Longobardis ſit conditum, ſed quia mores de feudis continet, qui in Longobardia vigebant. Coaluit autem partim ex variis moribus Mediolanenſium, Mantuanorum, Cremonenſium, Placentinorum, aliorumque Longobardiae populorum, qui paſſim recepti fuerant; partim ex prudentum Italorum reſponſis, praeſertim Oberti de Orto & Gerardi Nigri Conſu-

(16) *Cap.* 5. *ext. de iudic., cap.* 6. & 7. *de foro compet.*
(17) *Cap.* 7. *extr. de conſtit., cap.* 1. 2. & 7. *de his quae fiunt a praelat., cap.* 7. *de donat. int. vir., cap.* 10. *de poenit.*, & *cap.* 1. & 2. *de feud.* (18) *Cap.* 73. *de ſent. excom.*
(19) *Cap.* 2. §. 2. *de decim. in VI.*

Digitized by Google

lum Mediolanensium libellis *de beneficiis*; partim ex quibusdam constitutionibus Impp. Germanorum Conradi I. Henrici III. Lotharii III. & Friderici I. Continet etiam Urbani II. constitutionem ex Synodo Claromontana de rebus ecclesiarum in feudum non dandis: & quaedam de forma fidelitatis ex Philiberto excerpta (*a*). Deinde huic compilationi sub Friderico II. Hugolinus de Presbyteris addidit constitutiones, quae deerant, Friderici I. Conradi III. Lotharii & Friderici II., eamque corpori iuris civilis attexuit sub *decimae collationis* nomine (*b*). Postea opera Jo: Ardizonis & Iacobi Alvarotti accesserunt post titulum LVIII. libri II. *Capitula extraordinaria*, sive fragmenta quaedam ex consuetudinibus feudalibus aeque collecta. Tandem agglutinatae sunt *Constitutiones extravagantes*, & *feudales glossae*. Hae *feudorum Consuetudines* cum glossa atque Codicis libris tribus posterioribus & Authenticis excusae sunt Moguntiae 1477. f. & cum Corpore iuris civilis sub *decimae collationis* titulo edi solent.

§. II. Initio consuetudines feudorum uno libro continebantur, & *liber feudorum* vocari solebant. In vetustissimo Kalendario Archigymnasii

(a) Fulbertus, seu Philibertus Episcopus Carnotensis, rogatus a Wilhelmo Aquitaniae Duce scripsit epistolam de *forma fidelitatis*, quam vassallus iurare domino debet; quae in *can.* 18. *c. XXII. q. V.* refertur, & quaedam II. *F. 6.* Claruit Philibertus ineunte saeculo XI. Caveus *Hist. Script. Eccl. p.* 418.

(b) Vid. infra cap. VII. §. 4. seqq.

Digitized by Google

fii Bononienſis (1) Hugolinus dicitur *Libri feudorum* gloſſator. Odofredus (2) *librum feudalem*; & Petrus Ravennas (3), ſaeculi XV. Ictus, *librum feudorum* adpellat. Antiquiſſimam editionem feudorum, quae eſt Tubingae in Bibliotheca ſtipendii Martiniani, unum ſolum librum feudorum agnoſcere, teſtatur Ericus Mauritius (4). Exinde feudales conſuetudines in duos libros diviſae ſunt; quorum primus titulos XX. ſecundus LVIII. continet: cuiuſmodi patitio Gloſſae debetur (c). Alvarottus, vetus horum iurium interpres, libros tres facit, tertiumque a titulo XXII. libri II. exorditur. Hotomannus duos uſitatos libros, eorumque ordinem & partitionem retinet: tertium dumtaxat adiungit, quo ſiſtit aliquot Germanorum Auguſtorum conſtitutiones de feudis, quae partim in hac collectione, partim apud Germanos quoſdam hiſtoricos proſtant. Guiacius ex Codicibus MSStis reperit quatuor feudorum libros; quintum vero ipſe addidit.

§. III. De huius compilationis auctore & tempore, mira eruditorum diſcrepantia. Eam interpretes veteres ac recentiores fere omnes adſcribunt Oberto de Orto & Gerardo Nigro, ſeu *Capagiſto*, qui Conſules Mediolanenſes ſub Friderico I.

(1) Vid. Alexandr. Machiavelli *in not. ad Sigon. hiſt. Bonon. lib. III.*

(2) *Ad Authent. caſſa C. de SS. Eccleſ.*

(3) In *Conſuetud. feud. p.* 1.

(4) In *Poſition. Iur. feud. dec.* 1. *n.* 8.

(c) Conf. Godofr. Hoffmannum *diſſ. de unico iuris feudalis Longobardici libro*, Tubingae 1754. 4.

Digitized by Google

fuerunt, teſte Ottone Friſingenſi (5). Cuiacius librum I. a Gerardo, librum II. & III. ab Oberto, atque librum IV. a variis incertiſque auctoribus, ut ipſe feudale ius diſtribuit, compoſitum adfirmat. Contra Thomaſius (6), Schilterus (7), Burch. Struvius (8), aliique auctorem huius compilationis faciunt Hugolinum, Ictum Bononienſem, qui ſub Friderico II. claruit. Tandem Hotomannus (9) incerto auctori adiudicat *hanc rapſodiam ex variorum auctorum ſcriptis ſuffarcinatam, ac potius inſcribendam*„ Farrago iuris feudiſtici ex variis auctoribus collecta„. Conſonat Duarenus (10): *Eſt ergo*, inquit, *rapſodia quaedam conſtituta ex variis libris ſtudioſorum, qui in foro Mediolanenſi verſabantur*. Eamdem a quodam privato tempore Friderici I. collectam, tradunt Spenerus (11), Georg. Struvius (12), Georg. Ludov. Boëhmerus (13), aliique.

§. IV. Qui libros Feudorum ab Oberto & Gerardo, aut librum I. a Gerardo, librum II. & III.

(5) *Lib. II. de geſt. Friderici I. cap.* 13. apud Murator. *S. R. I. tom. VI. p.* 720.
(6) In *Select. feud. tom.* 1. *p.* 66.
(7) *Praef. ad Mincuccium de feudis* §. 4.
(8) In *hiſt. iur. cap. VIII.* §. 10. & *iuriſpr. feud. cap. III.* §. 7.
(9) *In praef. lib. I. feudor.*
(10) *In cap.* 1. *de feud. n.* 4.
(11) *De feudalis iuriſprudentiae naevis* §. 3.
(12) In *Syntagm. iur. feud. cap.* 1. §. 5.
(13) *Comment. de aetate vetuſtae collectionis Conſuetudinum feudalium, quam vulgo libros Feudorum vocant.*

Digitized by Google

III. ab Oberto compilatos putant, fontes, e quibus illi collecti sunt cum collectione ipsa confundunt. Obertus videlicet libello *de beneficiis* ad institutionem Anselmi filii exposuit *non Regni Italiae consuetudines*, quas brevi libello vix comprehendi posse censebat, sed usum feudi, qui in *nostris partibus*, hoc est, Mediolani, obtinet, ut ipsemet fatetur (14). Gerardus etiam consuetudines feudales Mediolanenses recensuit peculiari libello, ut innuitur II. F. 32. & 36. Cum autem Oberti & Gerardi libelli tantum consuetudines feudales Curiae Mediolanensis exhibuerint, contra *libri Feudorum* communia *Regni Longobardici* iura feudalia sistant, apparet utriusque scripti diversitas. Accedit, quod utriusque Consulis sententiae in libris Feudorum saepe citantur & laudantur, & nonnunquam reiiciuntur: quod ab alio eoque diverso auctore factum fuisse oportet. Sic II. F. 51. §. 3. diversa utriusque Consulis sententia refertur. II. F. 25. utriusque testimonium laudatur: *Tale est sapientum nostrae civitatis consilium, videlicet Oberti de Orto & Gerardi Capagisti*. II. F. 32. relata Gerardi & Oberti sententia, mox reiicitur: *Consules tamen Mediolanenses nuper in quibusdam omnia contra rescripserunt, in quo fere omnes Mediolanenses consenserunt & consentiunt*. Nullibi Compilator librorum feudalium clarius se prodit, quam II. F. 51. §. 1.: *Quaesitum apud me esse scio: si filius, vivente patre, dominum offenderit, ita quod*

(14) *In epistola ad Anselmum filium II. F. 1.*

Digitized by Google

feudum amitteret, ſi pater deceſſiſſet, utrum feudum amittat vel non: ſecundum iſtos ſic, ſecundum Gerardum non, & Obertum ſimiliter. Praeter Oberti & Gerardi alia etiam extitiſſe *de beneficiis* ſcripta, colligitur ex II. F. 32. & 36. ubi multorum ſententiae referuntur, ibi: *Obertus & Gerardus, & multi alii.* Porro qui compilatorem conſuetudinum feudalium faciunt Hugolinum, Odofredi teſtimonio nituntur. Sed eos labi, infra cap. VII. §. 7. oſtendetur.

§. V. Itaque nec Gerardus & Obertus, nec Hugolinus, ſed incertus quidam privatus fereque indoctus ſub Friderico I. Conſuetudines Feudorum conſarcinavit, uti probat ſcriptorum illius aevi aequalium de collectione hac eiuſque auctore ſilentium. Tota quidem compilatio confecta eſt ex genio ſaeculi XII. quo in variis iuribus ex legum variarum praeceptis & ex ſcriptorum ſententiis colligendis induſtriam & famam collocabant auctores. Canonum compilationem eodem ſaeculo anno MCLI. adornaverat Gratianus, undique ex ſententiarum, canonum, legum fragmentis conſarcinatam, magno plauſu Bononiae exceptam. Simili fere conſilio, vel eius exemplo, excitatus Feudorum compilator, ne & iuris feudalis collectio deeſſet, & Legiſtae non minori diligentia ad uſum feudorum docendum & excolendum in Academia Bononienſi ducerentur, ex Oberti & Gerardi, aliorumque ſcriptis, Imperatorum conſtitutionibus, rebus in curiis feudalibus iudicatis, undique collecta fragmenta in titulos, ordine non ubique idoneo, nec limato ubivis iudicio, digeſſit. Quicumque

vero

Digitized by Google

vero fuerit huius rapſodiae auctor, quem vulgo *Feudiſtam* appellant, is Mediolanenſis fuit; nam paſſim mores feudales curiae Mediolanenſis, quam *noſtram* vocat, cum iure communi componit. Sic II. F. 24. cauſſis amittendi feudi accenſet neglectam inveſtiturae renovationem, ſubditque: *Sed in noſtra Curia Mediolanenſi non obtinet*. Pariter II. F. 5. Obertum & Gerardum, quos conſules Mediolanenſes fuiſſe conſtat, *Sapientes noſtrae civitatis* adpellat. Ceterum compilationem hanc ſub Friderico I. intra annum MCLVIII., quo Comitia apud Roncalias acta, & annum MCLXVIII. quo obiit Hugolinus, libri feudorum gloſſator, prodiiſſe, non ſine fundamento coniicit Boëhmerus [15].

§. VI. Huius rapſodiae vitia potiſſimum quatuor. (I) Ἀταξία *confuſio*. Fere nullus in ea ordo & diſtinctio adhibetur, etſi nonnulli in eo monſtrando fuerint operoſi. Eiuſdem plaſtes & compilator inſtar imperiti figuli in unum chaos retulit coegitque omnia. Merito *farrago iuris feudiſtici* dicitur Hotomano. Confuſio haec interpretes quoſdam induxit, ut ea rapſodia omiſſa, ipſi alio & meliore ordine ſingulares de feudis libros conſcripſerint. (II) Ταυτολογία repetitio eiuſdem rei frequens & ad nauſeam uſque. (III) Ἀντιλογία repugnantia & abſurda multa, uti prae ceteris Hotomanus, perpetuus Feudiſtae cenſor, adnotavit (c). (IV) Ἀδιαλυσις indeciſa & varia

(15) *Cit. comment.* §. 8.

(c) Eiuſmodi antinomiae ſeu contradictiones leguntur cum alibi, tum *I. F. 9. II. F.* 28. *pr.* §. 2, & 3. *II. F.* 30. *II. F.* 36. & *I. F.* §. 2.

Digitized by Google

complura; nam saepe Feudista diversas plurium sententias refert, atque ipse dubius, quae ex iis sit tenenda, non definit. Nihil vero est, cur eo nomine morosus aliquis Feudistae nostro succenseat, cum in eam inciderit litterarum infelicitatem, ut Daedaleum opus & quovis Phidiae signo perfectius elaborare non potuerit. Immortalem potius gratiam inire ab omnibus meretur, qui sacra haec colunt, quod privata industria sua, posteritati prodiderit feudales Regni Longobardici consuetudines, & ab oblivione vindicaverit. Eleganter noster Ioseph Aurelius de Ianuario (16): *Maior tamen*, inquit, *mea quidem sententia, iuris feudalis collectores manet gloria: uti maior ab ipsis adhibita diligentia, maius a nobis acceptum beneficium. Ceteri ius certum, ius cognitum, ius constans simul componere, curae suae dederunt: Nostri ius non scriptum, ius varium, ius pene obscurum; cuius, si hoc ipsis defuisset nobile propositum, peritura in posterum memoria, vel ita tenebris misere obruta ad nos fuisset perventura, ut variis prorsus barioldtionibus, implicatisque mysteriis campus pateret latissimus, singulorum fluctuaret opinio; neque ea, quae foret modesta, difficultates fugeret, neque audax careret patrocinio.*

§. VII. Quod vero *consuetudines Feudorum* male ordinatae essent, reformationem tentavit Antonius Mincuccius de Prato-veteri, Ictus Bononiensis. Hic sub Sigismundo Imper. circa an. MCC.

(16) *In orat. de Iure feudal.*

Digitized by Google

MCCCCXXXI. *consuetudines feudorum* meliori ordine libris sex digessit, dicavitque Sigismundo libellum suum; a quo tamen imperiali auctoritate probatus non fuit, nec etiam usu receptus. Mincuccii opusculum avide expetiverunt Icti, praecipue Hotomanus & Rittershusius; sed tandem Schilterus (17) evulgavit. Eodem fere tempore Bartholomaeus Baraterius, Ictus Placentinus, integrum feudorum textum aptiori ordine disposuit in *libello Feudorum reformato*, quem tamen nec usus recepit. Eum ex Codice bibliothecae R. Parisiensis primus edidit idem Schilterus (18).

§. VIII. Novam iuris feudalis collectionem concinnavit Cuiacius (19) in libros quinque tributam; quorum primus est Gerardi Nigri: secundus & tertius Oberti de Orto (ita scilicet ipse putat); quartus continet quae a variis antiquis auctoribus tradita sunt; quintus tandem Imperatorum constitutiones, quae ad feuda pertinent, complectitur. Veterem feudalis disciplinae ordinem turbavit Cuiacius, novum ingressus. Pepercit primo vulgatae editionis libro. Secundo, qui capitibus LVIII. constat, quaedam extraordinaria ex Alvarotto & Ardizone addidit, inque tres libros tribuit. Ita ex Cuiacii divisione liber secundus desinit in titulo XXI., tertius constat titulis XXIV.: quartus non desinit in titulo

(17) In *Codice iuris feudalis Alemannici*.
(18) In *cit. Codice*.
(19) *Libris quinque de feudis*, *Lugduni* 1566. *f.*

Digitized by Google

lo LVIII. vulgatae editionis (qui tamen apud Cuiacium est LXXI.) sed quia continet etiam extraordinaria capitula ad titulum CIX. excurrit: quintus tandem liber, qui constitutiones Imperatorum sistit, titulis XVI. coalescit.

§. IX. Novae istae iuris feudalis collectiones, praesertim Cuiaciana (quae ordine, rerumque copia praestat) usu adprobatae non fuerunt. Caussa in proclivi est. Feudistae veteri collectioni iamdiu adsueti textum feudalem cum Glossa allegare solebant, quam confundere, superinductis libris novo ordine conscriptis, nolebant, uti scite Schilterus (19) observat. Rem conficit Jason (20): *Ego autem*, ait, *considero, quod renovare praesentem librum, esset confundere glossam utriusque iuris, quod utriusque censurae doctores allegant istum librum, secundum formam & ordinem, quem habemus, & illum sequendum duxi, & noviter commendandum*. Accedit etiam, quod consuetudinum feudalium compilatio ab Hugolino addita fuerat iuri Iustinianeo, quod auctoritatem ubique sibi conciliaverat. Quare duobus illis Feudorum libris suus ad haec usque tempora manfit honos.

CA-

(19) *Praef. ad Mincuccium* §. 15.
(20) In *praelud. feudalib.*

Digitized by Google

CAP. VII.

De uſu & auctoritate iuris feudalis communis.

§. I. NUuc de receptione Iuris feudalis Longobardici, eiuſque auctoritate, differamus. Principio, certum eſt, pro Italis conſcriptos fuiſſe libros feudales; adeoque dubitandum non eſſe, quin apud Italos viguerint. Inde in diverſa Europae regna ſub nomine iuris *Longobardici* ſenſim introducti ſunt tacito uſu & conſuetudine, ſalvis tamen patriae legibus. Cumque hoc ius in commune receptum ſit, ius *feudale commune* audiit. Tribus potiſſimum cauſſis factum, ut Conſuetudines feudorum fere ubique reciperentur. Prima fuit Bononienſis Academia. Etenim Fridericus I. eum *librum Feudorum* Academiae Bononienſi in uſus praelectionum commendavit, inque celebri illo Archigymnaſio publice praelegebantur. Nota eſt conſuetudo ſtudioſorum, qui ex omni Occidente, perciti fama & admiratione iuris Romani, ſe ſe recipiebant Bononiam. Quanti his temporibus ibi fuerit ſtudioſorum numerus, vel ex uno Sigonii (1) teſtimonio intelligitur: *Azonis tempore Bononiae vixerunt decem ſtudioſorum millia, quae multitudo indicat* variarum gentium ſtudioſos *ibidem ſtudiis operam navaſſe*. Hi autem in patriam reverſi, nihil niſi Longobardica & Roma-

(1) *Hiſt. Bonon. lib. IV. in fin.*

Digitized by Google

mana in laribus iudicialibus resonabant. Altera fuit glossatorum auctoritas. Hugolinus a Porta Ravennate, Pylaeus, Columbinus, aliique magni nominis Icti, glossis suis magno plausu exceptis libris feudorum pretium & usum conciliarunt. Exteri, Bononiae studiorum causſa degentes, glossatoribus Iuris Longobardici & Romani se manciparunt, & ad patrios focos reduces non nisi Italica recitare sciverunt. Insecutis etiam temporibus, quot fere exterorum doctorum feudale ius tractarunt, secuti Italos *illustrissimos*, & *magnificos*, *incomparabiles* & *iuris feudalis monarchas*, *patres* & *aurigas*, uti vulgo adpellabantur, effecerunt, ut ius Longobardicum ubique reciperetur. Tertia causſa inde repetenda est, quod opera Hugolini de Presbyteris sub Friderico II. consuetudines feudales pars Corporis Iuris civilis fieri coeperint. Id non parum ad illarum receptionem contulit; ut enim ius Romanum, ita & Italicum de feudis in Germania (a), Gal-

(a) Saeculo XIII. ius feudale Longobardicum in Germaniae foris receptum tuentur Augustinus de Balthasar *disquisit. de tempore, quo in Germania receptum fuit ius feudale Longobardicum*, Ludewigius *Aureae Bullae Tom. II. tit.* 29. §. 1. & Hornius *Iurisp. feudal. cap.* 1. §. 27. Contra Conringius *de origin. iur. German. cap.* 32. statuit, Consuetudines feudales una cum iure civili initio saeculi XV. ad Germanos transiisse. Suam de hac re sententiam aperuit Ricciardus de Antiquis (quo nomine latet Senckenbergius) in *Epistola, qua Hermanni Conradi F. Sinceri sententia de usu iuris feudalis Longobardici in Germaniae terris exponitur, & trutinatur*. Ceterum feudales Italiae leges non posse feudis Germaniae applicari, contendunt Christ. Willerdingius *diss. de incongrua applicatione*

Digitized by Google

Gallia, Belgio, aliiſque regionibus, alibi citius, ſerius alibi, receptum eſt.

§. II. Auctoritas feudalium conſuetudinum quae ſit, videamus. Non dubium eſt, quin eae iure originario & legislatorio Italos obligaverint. Num apud alias gentes vim legis ſortitae ſint, quaeritur? Exploratum eſt, privato ſtudio feudales conſuetudines fuiſſe conſarcinatas: quod earum ſtructura ſatis prodit. Illud auctori familiare, multorum ſententias exponere, omnibus nonnumquam in medio relictis, vel etiam non ſine contradictionis nota allatis: quod non eſt legislatoris. Certum quoque eſt, veteres Ictos opus illud tantum pro privato habuiſſe, utrum ex eo cauſſae feudales decidi iure poſſent, dubitaſſe, eiuſque auctoritatem non niſi ex longaeva receptione, velut ab immemorabili praeſcriptione, adſtruxiſſe. Quam in rem aevo Maximiliani I. haec ſcripſit Petrus Ravennas (2): *Dubitatur primo, an Liber feudorum ſit auctorizabilis, ita quod in cauſſis & iudiciis & in Scholis poſſimus allegare ea, quae continentur in ipſo, ſicut ea, quae continentur in ceteris libris legalibus? Et circa hoc doctores effundunt multa verba. Tu breviter concludas, quod ſic: quia ita eſt communis opinio in omnibus ſtudiis Ultramontanis & Citramontanis, & omnes doctores ita tenent, quia nos videmus multas leges Imperatorum in hoc volumine*

(2) In *Compendio Conſuetud. feud. in praetione Iuris Longobardici ad feuda Germaniae*, Chriſtian. Baſtillenerus *diſſ. de praeiudicio Principum ex abuſu Iuris feudalis Longobardici*, aliique.

Digitized by Google

ne insertas, & etiam aliae decisiones sunt servandae: quia semper ita est observatum, & a tanto tempore citra, cuius initii non extat memoria in contrarium.

§. III. Nemo Imperatorum libris feudorum vim legis attribuit. Qui eos imperiali auctoritate confirmatos adfirmant, non consentiunt, cuinam Imperatori confirmatio sit deferenda. Alii a Friderico I., quidam a Friderico II. confirmatos putant. Nonnulli usibus feudalibus vim legis inde conciliant, quod Antonius Mincuccius eosdem in ordinem redegerit, & ab Impp. Sigismundo & Friderico III. fuerint probati. Omnes toto caelo decrrant. Sane a Friderico I. librum Feudorum Bononiam missum, adparet ex vetustissimo Kalendario Bononiensis Archigymnasii. Ex hac transmissione id unum colligitur, Fridericum pro huius aevi more Academiae Bononiensi librum feudorum commendasse, ut eodem in praelectionibus uterentur. Consueverunt Bononienses iuris antecessores, ex publica indulgentia recitationes publicas ad Librum aliquem instituere, eamque concessionem vel ab Augustali auctoritate in iure civili, vel a Sede Apostolica in iure canonico, impetrare. Ita Gratianus ab Academia Bononiensi petiit, ut ab Eugenio III. impetraret, Decretum *venia eius posse legi & explicari;* idque Pontifex indulsit, litteris ad eam Academiam anno MCLII. missis, *per quas dabat suum PLACET super hoc, quod compilatio magistri Gratiani, superiori anno per eum huic lyceo oblata, & a dicto Domino Archidiacono Romam missa, ut sana & canonica, publice*

Digitized by Google

blice posset legi & explicari, ceu patet ex laudato Kalendario Archigymnasii Bononiensis. Eamdem veniam a Friderico I. Libri feudorum Auctor eo facilius impetraverat, quod nova placita feudalia, in campis Roncalicis non ita pridem lata, eidem inseruissent. Haec autem Libelli ad Academiam transmissio & commendatio immane quantum ab authentica confirmatione distat. Illa namque praelectionum publicarum veniam facit; haec vim legis tribuit: illa usum academicum & doctrinalem; haec publicum in foris & iudiciis spectat. Adhaec legum in Italiae regno ferendarum potestas non ab uno Imperatoris arbitrio pendebat, sed opus erat, consilio & consensu Ordinum & Primatum Regni, ut ostendit Muratorius (3). Frustra vero sunt qui vim legis libro feudorum ex eo attribuunt, quod iussu & auctoritate Friderici II. ab Hugolino confectus sit, ob testimonium Odofredi; itemque Gobelini Personae (4), & Theodorici Engelhusii (5), qui ambo saeculo XV. floruerunt, traduntque *Fridericum II. fecisse quemdam librum de feudis*. De mente Hugolini videbimus infra. Alii scriptores testimonio Hugolini male intellecto decepti, librum Feudorum a Friderico II. factum asseruerunt. Quae vero testibus, qui duobus

(3) *Diss. XII. de legibus Italicorum*, *T. II. Antiquit. Italic. p.* 236.

(4) In *Cosmodromio aetate 6. cap.* 64. apud Meibomium *Rer. German. T. I. p.* 280.

(5) In *Chronico* apud Leibnitium *Script. Rer. German. tom. II.* p. 1115.

Digitized by Google

bus poſt Fridericum ſaeculis ſcripſerunt, hac in re habenda fides? Tandem male Mincuccii liber de feudis cum antiqua conſuetudinum feudalium compilatione confunditur, & gratis eiuſdem Mincuccii libellus ab Imp. Sigiſmundo, vel Friderico III. confirmatus adſeritur.

§. IV. Equidem aio, de feudalium librorum auctoritate iniuria nunc dubitari. Cum enim fere ubique ſint recepti, inque academiis & tribunalibus citentur, eoſque in dirimendis litibus magiſtratus ſequantur eadem ratione, prout de iure Iuſtinianeo factum eſt, & longa temporis diuturnitate obſervati ſint; profecto iuris auctoritatem habent non ob id quidem, quod conſuetudines contineant alibi introductas, & latas ab exteris principibus conſtitutiones, ſed quia probati ſunt aliorum quoque populorum conſenſu, ut libri Pandectarum & Codicis. Si quid ibi inveniatur, a Romani iuris principiis alienum, omnino ſervandum eſt, & ad civiles leges, deficiente iure feudali, tandem confugiendum. Utrique autem leges & mores patriae anteferendae ſunt; cum propriis civitatis legibus obſequendum ſit, & in iure univerſo ſanctio ſpecialis deroget generali. Quod vero ad *Capitula Extraordinaria*, quae libro II. Feudorum poſt titulum LVIII. vulgaris editionis, Cuiacianae vero LXXII. addita ſunt, ea non eamdem vim habent ac cetera. Quare nec gloſſis illuſtrata, nec uſu probata fuerunt, ſecundum vulgare illud, *quod non agnoſcit gloſſa, nec Curia*. Nihilominus declarandis dubiis quaeſtionibus feudorum plurimum prodeſſe poſſunt, cum

etiam

Digitized by Google

etiam ex moribus Longobardorum deſumta praeſumantur (*b*).

§. V. Ad ea, quae de auctore, tempore, & auctoritate feudalium conſuetudinum ediſſerta ſunt, magis confirmanda, errores quorumdam explodendos, ac varia illuſtranda, expendam opportuno hoc loco ſatis vexatum Odofredi, Icti ſaeculi XIII., teſtimonium (*c*): *Ut unum ſciatis; Authenticum, quod fuit compoſitum a Juſtiniano, habet novem Collationes. Poſtea quum venit Imp. Federicus Junior, miſit has conſtitutiones* (Novellas Juſtiniani) *ad civitatem iſtam* (Bononienſem) *doctoribus legum, ut aptarent eas ſingulis legibus ſuis congruentibus titulis, & ita fecerunt Doctores, dum convenerunt in S. Petro, quum iſtam aptaverunt ad legem iſtam. Poſtea quid fecerunt? Dom. Hugolinus poſt nonam collationem poſuit librum feudalem, & omnes Conſtitutiones Federici antiqui & iunioris, & aliquas leges Conradi Imp., & vocatur* decima Collatio. *Sed pauci ſunt, qui habeant ita ordinate in libris ſuis, ſicut Odofredus.* Hinc quidam colligunt, ab Hugolino Friderici II. auctoritate confectos fuiſſe libros feudorum, qui ſub *decima Collatione* corpori Juris adnexi ſunt; ſed contra Odofredi mentem.

§. VI. Duo praecipue Odofredus heic habet. Primum agit de Iuſtiniani Novellis, in novem

(b) Sine fundamento Cuiacius ad IV. *F.* 73. capitibus extraordinariis eamdem tribuit auctoritatem, quam ipſis conſuetudinibus.

(c) In *comment. ad Auth. caſſa C. de SS. Eccleſ.*

Digitized by Google

collationes digestis, aitque illas a Friderico II. Bononiam missas, ut *Doctores legum singulis legibus sub congruentibus titulis aptarent.* Hactenus Imperatorium praeceptum: quod Icti Bononienses exsecuti sunt. Deinde quasi ea narraturus, quae praeter praeceptum Imperiale egerant, e vestigio subdit. *Postea quid fecerunt Doctores? Dom. Hugolinus post nonam collationem posuit* LIBRUM FEUDALEM, *& omnes constitutiones Friderici antiqui & iunioris, & aliquas leges Conradi Imp., & vocatur decima collatio.* Librum ergo Feudorum, iam sub Friderico I. conditum, & olim ab Hugolino de Porta Ravennate glossis illustratum, Hugolinus de Presbyteris sub Friderico II. adnexuit corpori iuris Iustinianei post nonam collationem, adiectis, quae deerant, Friderici I. Conradi & Friderici II. constitutionibus (*c*). Id ab Hugolino factum iussu Friderici II., aut huius confirmationem accessisse, haud innuit Odo-

(c) Buderus *Amoenit. iur. feud. obs.* 1. hariolatur, delineationem collectionis feudorum, quae *decimae collationis* nomine venit, factam fuisse iussu & auctoritate Friderici I. in Comitiis Roncalicis, sed auctam postea, & demum ab Hugolino de Presbyteris sub Friderico II. additam Novellis Iustiniani. Ei adsentitur Car. Gottl. Knorrius in *observatione nova de Hugolino decimae collationis auctore:* Sed hanc coniecturam ipsa compilationis structura, quae magis Miscellionem, quam Legislatorem auctorem redolet, inverisimilem reddit. Nec ex eo, quod nonnullae particulares de feudis constitutiones in Comitiis Roncalicis latae sint, quodve de iuribus Imperii & dominii directi ex quatuor virorum Bononiensium Ictorum suffragiis quaedam statuerit Fridericus, compilatio haec, cui particulares constitutiones insertae sunt, Comitiis Procerum Italiae vindicari potest.

Digitized by Google

Odofredus. Neque ex verbis *poſt collationem nonam poſuit librum feudalem* colligi poteſt, Hugolinum librum feudalem compoſuiſſe. Appoſuit idem conſtitutiones Friderici I. & II.; an Hugolinum earumdem auctorem iactabis? Tandem concludit: *Sed pauci ſunt, qui ita ordinate habeant in libris ſuis, ſicut Odofredus*, ut nempe liber Feudorum tamquam decima collatio poſt Authenticorum librum ſit poſitus. Hinc habes, Hugolinum conſuetudines feudorum corpori iuris civilis addidiſſe proprio conſilio, nec Friderici II. auctoritate probatas fuiſſe; quippe multi Doctorum ſuis librorum iuris civilis exemplis placita feudorum adſcribi non curarunt; atque olim dubitatum fuit, an liber feudorum ſit *authenticus*, ſeu *auctorizabilis*. Mentem Odofredi recte aſſecutus eſt Io: Baptiſta de Caccialupis, Ictus ſaeculi XV. (7): *Poſtea Dominus Hugolinus de Pratis, gloſſator antiquus, poſt nonam Collat. authent. poſuit iſtum librum feudalium, compilatum per Obertum de Horto* (de quo errore vide ſupra) *& omnes conſtitutiones Federici antiqui & iunioris Imperatoris, & aliquas leges Conradi Imp., & appellatur decima collatio. Et pauci ſunt, qui ita habeant ordinationem in libris ſuis ſecundum Odoffre: quia liber Feudorum, ex quo eſt decima collatio auctен. debet eſſe poſt librum Auctenticorum. Deinde ſequi debent tres libri Codicis; licet communiter non ita habeantur.*

§. VII. Nunc quanti adſcriptum Odofredi te-

(7) In *repetitione ad cap. 1. de feudi cognitione art. 1. n. 4.*

Digitized by Google

ſtimonium ſit habendum, diſpiciamus. Et tantum eſſe tribuendum, quantum tribui ei, qui *de uſu & de his, quae ſuis temporibus geſta ſint, teſtatur*, ſcribit Antonius Monachus (8). Contra Molinaeus (9) Odofredi teſtimonium *fictum commentum* appellat, *cui non ſit credendum*. Eidem fidem quoque denegat Chriſt. Gottl. Buderus (10), propterea *quod imperante Friderico II. nullus reperitur Hugolinus Ictus, cui digerendarum auctoritate Imperiali conſuetudinum feudalium poteſtatem tribuere potuerit*. Sed ambo ſplendide mentiuntur. Etenim tempore Friderici II. Bononiae floruerunt duo Hugolini, alter Hugolinus de Vrſo eques Bononienſis, alter Hugolinus de Presbyteris, ſeu de Pretis, in Bononienſi Archigymnaſio iuris Anteceſſor. Uterque anno MCCXV. Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. celebrato, nomine civitatis Bononienſis interfuerunt, ut ex vetuſtiſſimo Kalendario Bononienſis Archigymnaſii patet (11). Floruit ergo Hugolinus Ictus aevo Friderici II., qui anno MCCXII. Rex Romanorum electus eſt: idemque fuit, quem laudat Odofredus, dominique titulo ornat. Odofredus autem Azonis diſcipulus aevo eiuſdem Friderici II. in Academia Bononienſi docuit, & anno MCCLXV. obiit (12). Ei itaque fides

(8) *De recta feudorum interpretatione cap.* 3. §. 46.
(9) *Ad Conſuetud. Pariens. tit.* 1. *n.* 103.
(10) In *Amoenitatib. Iur. feudal. obſ.* 1. *p.* 3.
(11) Conf. Alex. Machiavelli *not. ad Sigonii hiſt. Bonon. n.* 65.
(12) Vid. Sigonium *hiſt. Bonon. lib. IV.* & Pancirolum *de claris Legum interpretibus lib. II. cap.* 235.

Digitized by Google

fides deneganda non est in iis, quibus ipse interfuit, quaeque eo, quo vixit, tempore gesta sunt: nec credendum est, Odofredum ignorasse, quos habuit collegas, aut finxisse Hugolinum quemdam, doctorem Bononiensem.

CAP. VIII.

De interpretibus iuris feudalis.

§. I. COllectores usuum feudalium excipiant qui eosdem enuclearunt, cuiusmodi notitia praeteriri sine piaculo nequit. Iuris feudalis interpretes in veteres & recentiores distinguemus. Veterum alii *glossas* de more temporum, alii *summas*, alii *commentaria in consuetudines feudorum* conscripserunt. Glossas primus sub Friderico I. elaboravit Hugolinus a Porta Ravennate, tum Bulgarus & Pilaeus, Bononiensis Academiae antecessores magni nominis. In vetustissimo Kalendario Archigymnasii Bononiensis (1) mentio fit *Hugolini de Portâ Ravennate Ictti, & libri Feudorum, Bononiam a Friderico I. AEnobarbo Caesare missi, glossatoris, ac publici legum in nostro Archigymnasio interpretis*, & mortuus dicitur anno MCLXVIII. Sed eius glossae aetatem non tulerunt. Palmam omnibus praeripuit Iac. Columbinus, cuius in libros Feudorum glossas tanto plausu sequior aetas excepit, ut praecedentium glossatorum luminibus

(1) Apud Machiavelli *cit. loc.*

Digitized by Google

us offecerit. Testatur Iason, saeculi XV. Ictus (2): *Super hoc opere plerique antiquorum glossas scripserunt, sed ceteris plenius Iac. Columbinus de Regio glossas plenas & utiles adiecit, quas nostris cordibus inscriptas vel hodie insculptas, habemus: & illis utimur.* Et ex Alvarotto (3) patet, tanta, pro huius aevi ratione, eruditione glossas Columbini in feuda compositas fuisse, ut post eum nemo glossas in hoc opus scribere sit ausus. Qua igitur auctoritate ceteris iuris civilis glossatoribus Accursius, eadem iuris feudalis interpretibus praestitit Columbinus.

§. II. Summam in usus feudales elaboravit Iacobus de Ardizone, Veronensis Ictus saeculi XIII. (4), Petrus Ravennas (5), & Franc. Curtius (6). Ampliora vero commentaria in feuda ediderunt Io: Antonius a S. Georgio, *Praepositus* nominatus, quod eo munere in Ecclesia Mediolanensi sit functus (7): Iacobus de Belvisio, qui primum Bononiae an. MCCCXXX. deinde Neapoli sub Roberto Rege ius feudale docuit (8): Baldus Perusinus, qui in senili aetate de feudis scripsit (9): Iacobus Alvarottus, Pa-

(2) In *praeludiis feudorum*.
(3) In *proemio feudorum*.
(4) In *Summa usus feudorum* Colon. 1369. 8.
(5) In *Compendio consuetud. feudor.*, quod Maximiliano I. Imp. dedicavit, Colon. 1767. 8.
(6) In *tractatu feudali*, cum notis Io. Havichorstii, Colon. 1579. 8.
(7) In *Lectura aurea & rarissima*, summariis illustrata & aucta, Francof. 1629. f.
(8) *Apparatu in usus feudorum*, Lugdun. 1511. f.
(9) *De feudis*, Lugdun. 1593. f.

Digitized by Google

Patavinus (10): Andreas de Isernia, qui sub Carolo II. Andegavensi claruit (11): Matthaeus de Afflictis Neapolitanus, Regius Consiliarius, & in nostro Archigymnasio iuris feudalis interpres, Ferdinando I. Rege (12): Bartholomaeus Camerarius, Beneventanus, R. Camerae praeses sub Carolo V. Imp., qui in nostra Academia libros feudorum per annos XXIV. interpretatus est (13): Marinus Freccia, patricius Neapolitanus (14): Paris de Puteo, Ferdinandi I. Magister (15). His addantur Camillus de Curte, Thomas de Marinis, Horatius Montanus, Camillus de Laratha, Ioseph de Rosa, Franciscus de Andreis, ceterique nostrates, qui in iure feudali explicando operam contulere suam. Alii veteres Icti operae pretium non habuerunt ex instituto docere consuetudines feudales; sed illas ablegarunt ad argumentum iuris emphyteutici, adeoque adglutinarunt Codicis libro quarto, ut Imola, Bartolus, Baldus, Iason, Azo, Cynus, Salycetus, aliique: vel ius feudale appendicis loco interpretati sunt per transennam in iure canonico, uti fecerunt Henricus Hostiensis, Petrus de Ancharano, Aegidius Bellamera, Sinibaldus Fliscus, Ioannes Andreae, aliique decretalium interpretes.

(10) *Lecturis in usus feudorum*, Venet. 1477. f.
(11) *Commentariis in usus feudorum*, Lugd. 1629. f.
(12) In *Commentario super III. libros feudorum*, Venet. 1534. f.
(13) *De prohibita feudi alienatione*, Romae 1561. f.
(14) *De subfeudis lib. II. Neap.* 1554. f.
(15) In *operibus feudalibus*, quae recusa sunt Noribergae 1677. 4.

Digitized by Google

§. III. Venio nunc ad recentiores iurisprudentiae feudalis interpretes, qui a renatis in Occidente litteris floruerunt. Horum magnus est numerus, dispar ingenium, & diversum iter. Alii enim *commentaria* in usus feudales, alii *compendia* & *institutiones*; quidam *controversias* & *observationes*; complures *decisiones* & *consilia*; non pauci *dissertationes* & *opuscula* de peculiaribus feudorum materiis, conscripserunt. Inter consuetudinum feudalium commentatores eminent Iac. Cuiacius (16), Franc. Hotomanus (17), Franc. Duarenus (18), Conradus Rittershusius (19), Hubertus Giphanius (20), Henricus Zoesius (21), Eguinarius Baro (22), Iac. Ritterus (23), Petrus Gudelinus (24), Henric. Ro-

(16) In *libris quinque de feudis*, Lugd. 1566. f.

(17) Huius extant *Commentaria de feudis tripartita*, quibus prima *disputationem de iure feudali*, secunda *Commentarium in usus feudorum*, tertia *dictionarium verborum feudalium* continet, Lugdun. 1573. f. Ab hac diversa sunt eiusdem *elementa iuris feudalis*, quae una cum Fornerii & Contii tractatu de *feudis*, & Caroli Crassi Constitutione de *expeditione Romana* Marq. Freheri commentario illustrata, edidit Cor. van Eck, Ultraiecti 1698. 8.

(18) *Commentario in Consuetudines feudorum*, Colon. 1564. 8.

(19) In *partitionibus iuris feudalis*, quae cum nova accessione VIII. Dispp. feudalium eiusdem Auctoris aucta, & praefatione Huberti Giphanii recusae sunt Argentorati 1659. 8.

(20) In *disputationib. iur. feudal.*

(21) In *praelectionibus de iure feudorum*, Lovan. 1691. 4.

(22) *Libris II. Observationum in Consuetudines feudorum* Colon. 1566. 8.

(23) In *lucubrationibus iuris feudalis*, Halae 1664. 4.

(24) In *Commentario de iure feudorum*, Colon. 1663. 8.

Digitized by Google

Roſenthalius (25), Caſp. Bitſchius (26), Io. Frid. Rhetius (27), Erneſt. Theoph. Meierus (28), aliique.

§. IV. Compendia & inſtitutiones iuriſprudentiae feudalis elaborarunt Herm. Vulteius (29), Gul. Fornerius (30), Ant. Contius (31), Vdalricus Zaſius (32), Matthaeus Weſembecius (33), Wilhelmus Ludovici (34), Iac. Wiſſembachius (35), Arnold. Corvinus (36), Georg. Schultzius (37), Io. Stuckius (38), & Sam. Strykius (39). Meliores iuris feudalis compendiariae expoſitiones habendae ſunt Henrici Cocceii (40), Io. Schilteri (41), Georg. Adami Struvii

(25) In *tractatu de feudis*, recuſo cum praefatione Gregor. Melch. a Ludolf., *Francof. ad Moen.* 1722. *f.*

(26) *Commentario in ius feudale*, *Argentorati* 1673. 4.

(27) In *Commentario in uſus feud. Francof. ad Viadr.* 1681. 4.

(28) In *Commentario theoretico-practico ad ius feudale commune*, *Tubingae* 1714. 4.

(29) In *libris II. de feudis*, *Francof.* 1670. 8.

(30) *Tractatu de feudis*.

(31) In libello *de feudis*, qui cum Fornerii opuſculo, & praef. Magni Wedderkop. prodiit Francof. 1669. 12.

(32) *Epitome in uſus feudorum*, *Lugdun.* 1588. 8.

(33) *Tract. de feudis*.

(34) In *Synopſi iuris feudalis*, *Altdorfii* 1653. 8.

(35) In *Compendio iuris feudalis*, *Francofurti* 1666. 4.

(36) In *iure feudali per aphoriſmos explicato*, *Lugd. Batav.* 1655. 12.

(37) In *Synopſi iuris feudalis*; *Witteberg.* 1631. 12.

(38) In *Syſtemate iuriſprudentiae feudalis*, *Baſil.* 1620. 8.

(39) In *Examine iuris feudalis*, *Francof. ad Viadr.* 1721. 12.

(40) In *Hypomnemat. iuris feudalis*, *Francof. ad Viadr.* 1707. 8.

(41) In *inſtitutionib. ad ius feudale utrumque Germanicum & Longobardicum*, *Argentorati* 1695. 8.

Digitized by Google

vii (42), Casp. Henric. Hornii (43), & Burcard. Gottelf. Struvii (44).

§. V. Controversias & observationes de iure feudali elaborarunt Statius Borchot (45), Georgius Beatus (46), Hubertus Giphanius (47), Io. Niellus (48), Henricus Pistorius (49), Gothofredus Antonius (50), Ericus Mauritius (51). Selectiora tradunt, praesertim quae ad originem, antiquitates & feuda Imperii pertinent, Henricus Eybenius (52), & Petrus de Ludewig (53). Eruditae vero sunt, & varia antiquaria iuris feudalis argumenta illustrantes, Io. Caroli Spene-

ri

(42) In *Syntagmate iuris feudalis*, cum cl. Senckerbergii *Prodromo iuris feudalis*, *Francof.* 1734. 4.

(43) In *iurisprudentia feudali Longobardico Teutonica*, *Witteberg.* 1705. 4.

(44) In *iurisprudentia feudali*, *ex iure Germanico*, *Longobardico*, *legibus Imperii & moribus Curiarum feudalium hodiernis demonstrata*, *a.* 1737. 8.

(45) In *disputationibus feudalibus*, *Ienae* 1600. 4.

(46) In *Antinomiarum iuris decisionibus*, *Lipsiae* 1606. 4.

(47) In *Antinomiis iuris feudalis*, *sive disp. XI.* ex eius praelectionibus desumtis, & in ordinem redactis Conrado Ollemanno *Francofurti* 1508. 4.

(48) In *Controversiis iuris feudalis*, *Lipsiae* 1624. 4.

(49) In *quaestionib. de iur. feud.*

(50) In *iure feudali*, quod succinctis additamentis ex novissimis feudorum interpretibus auctum cura Io. Sam. Strykii prodiit Halae 1736. 4.

(51) In *Positionibus iuris feudalis controversis*, *Kilonii* 1602. 4.

(52) In *Electis iuris feudalis*, *Giessae* 1669. 4.

(53) In *Observationibus ad Sam. Strykii Examen iuris feudalis*, *cum diss. de feudorum Germaniae & Longobardiae differentiis*, *Francof.* 1751. 8.

Digitized by Google

ri (54), Io. Georgii Eſtoris (55), Chriſt. Thomaſii (56), Io. Adam. Koppii (57), Caſp. Henrici Hornii (58), & Car. Ferdinandi Hommelii (59), obſervationes. Deciſiones & conſilia de re feudali ſcripſerunt Albertus Bruno (60), Octavius Corſettus (61), Iacobus Cramerus (62), aliique non pauci, qui in hac ſe palaeſtra exercuerunt. Tandem diſſertationes & opuſcula de ſpecialibus feudorum argumentis plurimi viri docti conſcripſerunt, quos recenſet Burch. Gotthelf. Struvius (63). Selectiſſima vero opuſcula plurima, quibus feudale ius explicatur, illuſtratur, emendatur, optimo ſane conſilio collegit Gottlob Auguſtus Ienichen (64).

PARS

(54) In *Primitiis obſervationum hiſtoricо-feudalium*, *Hallae* 1719. 4.

(55) In *Obſervationibus iuris feudalis*, *Ienae* 1739. 4.

(56) In *Select. iur. feudal.*, *& de origin. feudor.*

(57) In *hiſt. iur. part. III.* quae eſt *iuris feudalis*.

(58) In *Decad. Obſervationum feudalium*, *Witteberg.* 1717. 4.

(59) In *Oblectamentis iuris feudalis*, *Lipſiae* 1755. 4.

(60) In *Conſiliis feudalibus*, *Franceſ. ad Moen.* 1758. *f.*

(61) In *Conſiliis feudalibus*, *Venet.* 1617. *f.*

(62) In *Conſiliis feudalibus*, *Venet.* 1567. *f.*

(63) In *Bibliotheca iuris ſelecta cap. XIV.* §. 15. *ſeqq.* *& Biblioth. ſelectiſſima cap. XVIII.* §. 20., *Ienae* 1756. 4.

(64) In *Theſauro iuris feudalis*, *Franceſ. ad Moen.* 1750. *tom. III.* 4. *mai.*

Digitized by Google

PARS POSTERIOR

De origine & progreſſu feudorum in Italia & Regno Neapolitano.

CAP. I.

Feuda ab Herulis & Oſtrogothis in Italia haud inſtituta.

§. I. QUae gens in Italiam, & provincias, e quibus Regnum noſtrum coaluit, feuda intulerit, mira eruditorum diſſenſio. Montanus (1), Iannonus (2), Gudlingius (3), Spenerus (4), Hotomanus (5), aliique ſtatuunt, ab Herulis, & Oſtrogothis Italiae dominis id factum. Struvius (6) ſcribere non dubitat: *Francos vel imitati, vel ſecuti ſaltem fuerunt Gothi, qui Italia occupata ſub Theoderico iamdum Oſtrogothorum Rege idem ſervarunt inſtitutum* [feudale]. Haec ſententia iure diſplicuit Giphanio (7): *Quod etiam Gothis*, inquit, *feuda tribuit Hotomanus*, ei

(1) *In praeludiis feudorum.*
(2) *Lib. IV. hiſt. civ. Regni Neap. cap. 1. §. 3.*
(3) *In Gudlingian. part. 1. n. 2. & part. XV. n. 2.*
(4) *De nacvis iuriſpr. feud. §. 5. act. 1.*
(5) *Comment. de feudis.*
(6) *Hiſt. Iur. feud. §. 6.*
(7) *De Iur. feud. cap. 2.*

Digitized by Google

ei non adſentior; tum quia Gothi non fuerunt Germani (quamquam id contendat Rhenanus) ut alibi demonſtratum eſt; tum etiam quia in Gothorum legibus, quarum XII. libri nuper ſunt editi, feudorum nulla mentio.

§. II. Qui feuda Herulea & Oſtrogothica in Italia admittunt, expromiſſores dant Procopium, & Caſſiodorum. Narrat Procopius (8), quaſdam gentes Gothicas militaſſe pro Auguſtulo Imp., & *hanc barbaram militiam agres omnes Italiae dividere inter ſe voluiſſe. Inter ipſos*, addit, *quidam erat Odoacer nomine, Protector Caeſarianus, qui tunc, ſi illorum opera principatum conſequeretur, ſe voti compotes facturum recepit. Qua via arrepta tyrannide, Auguſtulum depoſuit, tertiaque agrorum parte conceſſa barbaris eos ſibi devinxit penitus, ac tyrannidem per annos decem firmavit.* Idem Procopius (9) prodit, Theodoricum Regem, qui Italiam an. CCCCXCII., victo Odoacre, invaſit, iniurias a ſubditis amoviſſe, *demto, quod partem agrorum, quam Odoacri milites poſſederant, inter ſe Gothi partiti ſunt*. Caſſiodorus (10) ad Valerianum ſcribit: *Ut nemo vobis vendat beneficium, quod publica noſcitis largitate collatum*. Ubi *clariſſime patere*, Spenerus ait, a Caſſiodoro, *beneficii* nomine compellari feudum, a Theodorico Rege paſſim bene meritis collatum. Hinc etiam colligit Gudlingius, *Longo-*

(8) *De bello Gothico lib.* 1. apud Murator. *S. R. I. T. I. p.* 246.

(9) *Cit. loc.*

(10) *Lib. XII. form.* 5.

Digitized by Google

gobardis non posse tribui feudorum inventum, cum Theodoricus Ostrogothus beneficia dederit.

§. III. Adscripta hactenus restimonia rem non conficiunt. Tertiam agrorum partem Romanis ademtam militibus suis distribuit Odoacer. Quid tum? Ex possessionis traditione non statim lex feudalis consequitur. Nec liquet, utrum tertia illa agrorum pars, feudi, an allodii iure fuerit militibus concessa. Ea simulacrum quoddam praefert feudi in eo, quod res immobilis militibus sit data; a feudi autem indole admodum abludit. Etenim in praeteritam causſam data est; cum contra feuda tam in praeteritam, quam futuram causſam concedantur: nec specialis fidelitatis lex imposita est, ut in feudis fit. Quid quod praedia illa in milites translata sunt pleno iure, cum contra in feudis utile dumtaxat dominium transferatur? Eamdem tertiam agrorum partem veteribus possessoribus ereptam militibus suis distribuerunt Wisigothi & Burgundiones, ut ex eorum legibus docemur. Illam etiam Odoacri militibus ademtam inter suos partitus est Theodoricus.

§. IV. Ostrogothis autem feuda fuisse, ex Cassiodoro non eruitur; integram enim epistolam expendenti adparet, ibi *beneficium* non feudum, sed regiam benevolentiam significare, uti scite Gebaver (11). Quae propius ad rem nostram accedunt, ex ea seligam: *Generaliter quidem amplissimum Cognitorem* (nempe ipsum Praefe-

(11) *Diss. de originib. feudi Germanicis §. XI.*

Digitized by Google

fectum Praetorio Caſſiodorum) *decet beneficia dilatare . . . . . Veniens itaque numeroſus exercitus , qui ad defenſionem Reip. noſcitur deſtinatus , Lucaniae Brutiorumque dicitur culta vaſtaſſe , & abundantiam regionum ſtudio tenuaſſe rapinarum . Sed quoniam & illis* (Lucanis Brutiiſque) *dare , & iſtis* (copiis adductis) *ſumere pro temporis qualitate neceſſe eſt ; pretia quae antiquus ordo* (mos vetus regionis) *conſtituit ex iuſſione Rerum Domini* (Regis Theodorici) *cognoſcite temperata ; ut multo arctius* (multo viliore pretio) *quam vendere ſolebatis , in aſſem publicum praebita debeant imputari* (militibus praebita cum tributis reip. ſolvendis debeant penſari) *quatenus nec poſſeſſor* (fundorum in Lucania & Brutiis tributariorum) *diſpendia* (quamvis forte lucro conſueto careat) *nec exercitus laborans* (nimio forte eorum , quae ad victum pertinent pretio) *ſuſtineri poſſit inopiam . Nolite igitur eſſe ſolliciti* (ob iſtum tranſitum) ; *evaſiſtis exigentium* (publicanorum manus) : *tributa vobis praeſens adimit apparatus* (militi praebitus commeatus) . *Sed quo facilius inſtrueretur veſtra notitia , imputationum ſummas* (ideſt , quo pretio , qua pecuniae ſumma , unaquaeque res militi exhibita in tributa poſſeſſoribus praebentibus ſit imputanda) *infra ſcriptis brevibus credidimus exprimendas : ut nemo* (eorum , qui huic negotio praepoſiti ſunt) *vobis vendat* (pretio forte iuſſione regia minori vendere veſtra imperet , adeoque non gratis vobis permittat) *beneficium* (obtentam per imputationem apparatus a tributis immunitatem) *quod publica* (regia)

Digitized by Google

noscitis largitate collatum. Continete ergo (vos provinciae Magistratus) *possessorum* (colonorum conductorumque) *intemperantes motus* (tumultus & rixas inde ortas, quod iis grave videretur, & militem recipere, & res suas viliori pretio vendere). Et infra: *Additum etiam est beneficii* (non quidem feudi, sed regiae benevolentiae) *genus, ut a praesenti devotione, praeceptis Regis, nec divina domus videatur excepta.* Concidant ergo feuda Ostrogothica, eorumque auctor Theodoricus, necesse est. Ostrogothos sane tam in patria sua, quam in Italia ignorasse feuda, id argumento est, quod illorum nullum in Gothicis legibus & monumentis vestigium occurrat.

CAP. II.

Feuda a Longobardis in Italiam & regiones nostras invecta non fuere.

§. I. LOngobardos primos fuisse feudorum auctores, communis quondam doctorum fuit sententia. Ita e veteribus censuerunt Alvarottus (1), Belvisius (2), Isernia (3), Afflictus (4), Montanus (5), ceterique. Crudam hanc sententiam e recentioribus permulti amplexi sunt. Dua-

(1) In *usus feud.*
(2) In *cap.* 1. §. *ult. de his qui feuda dare poss.*
(3) In *praelud. feud. q.* 4.
(4) In *cap.* 1. *de consent. int. domin. & vassall. n.* 3.
(5) *Lib.* 1. *cap.* 1.

Digitized by Google

Duarenus (6), Fornerius (7), Giphanius (8), Weſembecius (9), Borcholten (10), Schultzius (11); alique adfirmant, feuda paullo ante Caroli M. tempora coepiſſe, & ex iure Longobardorum, qui a Carolo M. devicti ſunt, originem duxiſſe. Pancirolus (12) putat, feudorum, quae nunc habemus, formam a Longobardis emanaſſe. Iannonus (13) quoque ſtatuit, Longobardos in Italia conſtituiſſe feuda, certamque formam iis dediſſe, atque Longobardis deberi leges & mores feudales, quibus ceterae gentes ſunt uſae. Nec aliud viſum eſt Vincentio Cabotio (14), ac Petro Heigio (15), qui ſententiam, quae feudorum originem Longobardis attribuit, difficillime convelli poſſe ſcribit.

§. II. Sed non deſunt docti viri, qui, communi errore relecto, feuda Longobardis incognita fuiſſe docent. Horum numero eſt Muratorius (16): *Sunt*, inquit, *qui e Longobardis Germaniae populis feudorum uſum derivant; quibus aſſentiri nequeas, cum neque in Longobardorum Regum legibus, neque in vetuſtis gentis illius mo-*

F nu-

(6) *Comment. in Conſuetud. feud. cap. 3. n. 4.*
(7) *De feudis, tit. de orig feud.*
(8) *Diſput. 2. Iur. feud.*
(9) *In proem. cap. 3.*
(10) *In cap. II. Feud. n. 2.*
(11) *In Synopſ. Iur. Feud. cap. I. n. 2.*
(12) *In theſaur. var. lect. lib. I. cap. 90. fin.*
(13) *Hiſt. civ. Regn. Neap. lib. IV. cap. 1. §. 3.*
(14) *II. diſſ. cap. 30.*
(15) *Quaeſt. 1. n. 11.*
(16) *Cit. diſſ. XI.*

Digitized by Google

numentis quidquam occurrat, unde eluceat apud eos populos feuda in uſu fuiſſe. Et Spenerus (17): *Qui*, ait, *Longobardos prima conſtituiſſe feuda iuriſconſulti pene omnes olim narrarunt, non pene minus lapſi hiſtoriae ignorantia . . . . . Cur nulla enim beneficiorum in Longobardicis vetuſtis, qualia in Francicis legibus, occurrunt veſtigia? niſi hanc cauſſam admiſeris, quod inſtituta illa Longobardis tum temporis fuerint incognita.* Longobardos Italiae dominos feuda ignoraſſe, Brunnquellus (18), Struvius (19), aliique conſentiunt.

§. III. Qui ex moribus inſtitutiſque Longobardorum feuda deducunt, haec potiſſimum urgent. (I) Mutius (20) de Alboino primo Longobardorum Italiae Rege refert: *Poſt haec Inſubriam & Mediolanum capit, & ſic deinceps omnia diripit, agros ſuos dividit, quotidie ſine intermiſſione ex Germania plures ſequebantur, quibus omnibus poſſeſſiones dabantur.* (II) Paulus Warnefridus (21) de Auctari tertio rege electo, ſcribit: *Huius in diebus ob reſtaurationem Regni, Duces, qui tunc erant, omnem ſubſtantiarum ſuarum medietatem regalibus uſibus tribuunt, ut eſſe poſſit, unde Rex ipſe, ſive qui ei adhaerent, eiuſque obſequiis per diverſa officia dediti, alerentur.* (III) Feu-

(17) *De feudalis iuriſprudentiae naevis* §. 5.
(18) *De uſu linguae Germanicae veteris in ſtudio iur. feudalis p.* 2.
(19) *Hiſt. Iur. feud. cap.* 8. §. 3. *ſeqq.*
(20) *Chronic. lib. V. p.* 40.
(21) *Hiſt. Longob. lib. III. cap.* 16.

Digitized by Google

Feudiſta (22) *antiquiſſimo tempore* feuda extitiſſe adfirmat: quod ſi non ad Romanos, ſaltem ad Longobardos, referendum eſt. (IV) Vulgo Doctores ius feudale *Longobardicum* crepant; ſucceſſionem iuris Longobardici, idque genus alia, obtrudunt.

§. IV. Haec quam levia & ad adſerendam Longobardicam feudorum originem moreſque feudales imparia ſint, res per ſe loquitur. Mutius quidem feudis ab Alboino in Italia conſtitutis nullo verbo fidem facit, nedum fidem facere, quod recentior ſcriptor eſt, aptus foret: nec porro ex poſſeſſionum traditione ſtatim lex feudalis ſequitur, cum non quaelibet praedii conceſſio ſit feudum, ſed quae ſpeciali fidei & militiae onere fit. In adſcriptis Warnefridi verbis nihil eſt, quod feudis conſtitutis vel leviſſimam fidem faciat. Ipſi Duces non acceperunt, ſed tribuerunt redituum ſuorum dimidium pro ſuſtentando Rege: nec, quouſque id duraverit, compertum eſt. Eam vero medietatem Italiae Regi olim exſolverunt Longobardici Duces, tamquam *tributarii*, non *feudatarii*, quippe qui abſoluti & independentes dynaſtae fuerunt, eorumque Ducatus natura feudi caruerunt. Feudiſta verbo *antiquiſſimo* non vetuſtiſſimos mortales, nec Romanos, aut Longobardos ſpectat; ſed vel conſuetudines, quae ſemper vocantur antiquiſſimae, vel iſtarum compilationem ſaeculo XII. factam, pro cuius temporis ratione Carolinum tempus, quo

(22) *I. F.* 1.

Digitized by Google

feuda in Italia erant, antiquissimum est censendum, uti scite Thomasius (23) : vel certe *antiquissimum* dicitur ratione subsequentium iurium, quorum mentio fit *I. F.* 1. §. 1., ut Bitschio (24) visum est. Nullum denique faceſſit negotium vulgaris interpretum cohors, quae nondum accensa ad illustranda haec iura historiae face, Longobardis feudorum originem, feudales leges moresque, successionis iura, aliaque feudalem disciplinam spectantia, adscripsit; constat enim Longobardos nihil de feudis sanxisse, quae demum in Italiam & Regnum Longobardicum a Francis illata fuere.

§. V. Iam vero Longobardos tam in patria sua, quam in Italia feudis caruisse, eorum leges, regimen, & feudale idioma luculenter evincit, & historia plane confirmat. Eos in patria sua feudalium institutorum ignaros fuisse, ne ambigas: proinde e patrio solo in Italiam feuda advehere non potuerunt. In ipsa vero Italia Longobardos feuda instituisse, falsum est. Sane apud Longobardos scriptores altum de feudis silentium est. In legibus Longobardorum, quas Goldastus, Lindebrogius, & Muratorius ediderunt nullum iuris feudalis vestigium, si demas quas Carolus M. aliique Franci & Germani Principes addiderunt, deprehendere licet: quod certe, si feuda Longobardis nota fuissent, non evenisset. Immo ius Longobardicum non diversum modo, sed saepe contrarium est moribus Feudorum de successi-

(23) *De originibus feud.* §. 4.
(24) *In comment. Inv. feud.* p. 27.

Digitized by Google

ceſſionibus hereditariis, atque contractibus, ut multis exemplis confirmari poteſt (a). Profecto corpus legum Longobardarum non conſtat ſolis Longobardorum, ſed etiam Francorum Regum

(a) Legibus Rotharis & Grimoaldi *lib. II. Leg. Longob. tit.* 14. *l.* 2. *&* 18. filii naturales ſive ſoli, ſive cum iuſtis liberis, ad paternae hereditatis trientem vocantur. Legibus Liutprandi & Aſtulfi *ibid. l.* 21. *&* 27., deficientibus filiis & filiabus, aeque ſuccedunt ſorores nuptae & virgines. Lege ipſius Liutprandi *cit. loc. l.* 19. 22. 24. 26. deficientibus iuſtis filiis, ex aequo ſuccedunt filiae legitimae, & ſorores virgines; filiabus vero ſolis extantibus, tam nuptae, quam innuptae paternam capiunt hereditatem. Eiuſdem Regis conſtitutione *cit. loc. l.* 1. *&* 2. pater unicam habens filiam innuptam ſine maribus, nequit ultra beſſem ſtatuere de rebus ſuis, filiaeque trientem relinquere cogitur. Contra iure feudali naturales, licet legitimati, nec ſoli, nec cum legitimis filiis ſuccedunt feudo. *II. F.* 26. §. 4.: filiae & nepotes ex filiabus a feudo arcentur, niſi ſecus cautum ſit; tumque filia non cum maribus, ſed, his demum deficientibus, ſuccedit; vel cum onera feudi mulieres aeque ac mares implere poſſunt, *I. F.* 1. §. 3. *II. F.* 11. 12. 30. 50. 95. 104.: nec feudum pater poteſt filiae in dotem dare, *II. F.* 9. §. 11. Legibus Longobardicis *cit. loc. l.* 6., deficientibus legitimis filiis, hereditatis trientem filia legitima, alterum naturales filii, tertium adgnati proximiores, veluti fratres, capiunt: contra frater ſuccedit fratri ſine liberis mortuo tantum in feudo antiquo, non novo, niſi ita pactum ſit, *I. F.* 8. §. *ult. &* *II. F.* 90. Iiſdem legibus *cit. loc. tit.* 1. *l.* 4. *tit.* 4. *l.* 1. 2. *&* 3. licet marito quadrantem bonorum ſuorum uxori donare *morgingae* nomine: cuiuſmodi donatio in bonis feudalibus nulla eſt, *II. F.* §. 8. *ult.* Tandem legibus Longobardorum quiſque de re ſua pro arbitrio ſtatuit: at vaſſallus ſine conſenſu domini vetatur feudum alienare, donare, legare, alteri ſubinfeudare, niſi maiorem ſibi partem retineat, *II. F.* 9. 48. 55. 93.

Digitized by Google

& Imperatorum constitutionibus. Etenim post leges Regum Longobardorum Rotharis, Grimoaldi, Liutprandi, Rachis & Astulfi adduntur multae leges Caroli M., Pipini, Ludovici, & Lotharii; quas, pulsis Longobardis, non tamquam Reges Franci, aut Imperatores Occidentis, sed Italiae Reges condiderunt, quaeque in Regno Longobardico observatae sunt, & corpori iuris Longobardici adiectae. In his scilicet Regum Francorum legibus, non secus ac in eorum Capitularibus & legibus Salicis, prostant de re feudali sanctiones, non vero in Regum Longobardorum legibus. Quum id non observassent vulgares doctores, eosque historiae defectu latuisset, feuda a Francis in Regnum Longobardicum invecta fuisse, Longobardis originem feudorum & legum feudalium adscripserunt, Longobardicas adpellarunt *Consuetudines Feudorum*, quae in Longobardia obtinuerunt, aliaque instituta Longobardis attribuerunt, quae revera a Francis profecta sunt. Falsa haec doctrina a barbaris, interpretibus diu tradita, altas in scholis & foro radices egit.

§. VI. Longobardos feudis caruisse, ipsorum quoque politia demonstrat. Opus non erat Longobardis feuda constituere ad terras adquirendas, possidendasque. Eorum enim non exigua cohors instar exercitus, sed ingens familiarum caterva ad formam coloniarum, in Italiam confluxit, non quidem ad moenia inter se dividenda, sed ad incolendam populandamque regionem, quam adquisiverunt. Nulla fuit apud Longobardos distinctio *civium* & *militum*: omnes uti armis debe-

Digitized by Google

bebant, ita ut ſub Regno Longobardorum omnes ſubditi aeque milites erant. Gaſtaldi, licet rectores terrarum Regis eſſent, tempore tamen belli erant miniſtri militiae, & ad hoſtem ire debebant: unde tamquam *Officiales* miniſtri memorantur in Legibus Longobardicis (25). Quoſcumque Iudices, qui tempore pacis ius dicebant, ingruente bello militare debuiſſe, conficiunt Liutprandi Regis (26) verba: *De omnibus Iudicibus, quando in exercitu ambulandi neceſſitas fuerit &c. uſque dum ipſe Iudex de exercitu revertatur.* Longobardis itaque opus non erat feudatarios habere ſacramento ob praedium obſtrictos ad militiam praeſtandam, tuendunque dominum, cum Gaſtaldi, Iudices, & praefecti civitatum, ceterique iuſtitiae miniſtri eſſent Officiales belli, ac ſubditi omnes militare deberent.

§. VII. Sed & feudale idioma evincit, Longobardos feuda prorſus ignoraſſe. Praecipua vocabula & formulae, modus concedendi feuda, finis ob quem conceduntur, conditio qua accipiuntur, iudicium cauſſarum feudalium, ac iſtiuſmodi cetera, quae in iure feudali habentur, deſunt in legibus Longobardorum, inque unis Francorum legibus occurrunt. Nuſpiam in legibus Longobardicis comparent nomina *beneficium, feudum, vaſſallus, allodium, demanium, regalia*, quae in iure feudali habentur: item ritus, nomenque ipſum *inveſtitura*, ſive *veſtitura*, crebro in libris

(25) *Lib. I. tit. 14. l. 3. & 5.*
(26) *Ibid. l. 7.*

Digitized by Google

feudorum adhibitum. Naturam & proprietatem feudorum, ut scilicet concedantur sub onere fidei & militiae, atque ob eam non exhibitam, aut ob feloniae crimen, adimantur, frustra apud scriptores Longobardos quaeres. Ipsum militiae servitium in libris feudorum exprimitur formula, *hostem facere, in hostem vadere*; quae in Longobardicis legibus deest. Fidelitatis iusiurandum, quo vassallus pollicebatur *hominium*, idest, dominum accepti feudi agnoscere, bello sequi, ac defendere, in legibus Longobardorum non occurrit. In iisdem deest etiam iudicium caussarum feudalium, quod expediebatur in curia Regis coram *Paribus Curiae*, puta convassallis, ad eas causas iudicandas deputatis.

§. VIII. Ex Longobardorum etiam historia proclive conficitur, eos feudis caruisse cum in Longobardiae Regno, tum in ducatibus Italiae. Norunt omnes, Longobardos magnam occupatae Italiae partem, in tot ducatus tributam, ducibus suis adsignasse, ut tamquam res suas curacius tuerentur adversus Graecos inde depulsos. Primus eorum Rex Alboinus civitate Foroiuliensi potitus, ducem ei praefecit Gisulfum, nepotem suum. Post Clephi secundi Longobardorum Regis necem iam in Italia duces erant triginta sex. Eo autem interfecto, Longobardi Rege caruerunt per annos decem, vixeruntque sub aristrocatia ducum, qui diversis civitatibus praeerant. Inde Regnum instaurarunt, renuntiato Rege Auctari, Clephi filio, cui pro dignitate exhibendo Duces dimidium redituum suorum quotannis contribuere sponte promiserunt. Hi Longo-

Digitized by Google

gobardorum Duces, si sub Alboino spectentur; fere civitatum rectores fuerunt. Si vero sub decennali interregno, tamquam reguli & triginta sex tyranni censendi sunt; namque Regem sibi eligere respuentes, cunctas Longobardiae civitates administrarunt, & quisque coepit tamquam supremus suae civitatis dominus haberi, imperium in finitimas regiones pro virili dilatare, oppida subruere, populos delere, ipsas spoliare ecclesias. Si tandem sub Auctari, & successoribus Regibus considerentur, velut absoluti & independentes dynastae habendi sunt; quam enim stante decennali aristocratia potestatem usurpaverant, eam electis inde Regibus retinuerunt. Hinc arma ducebant, iura dabant, ducatum quisque suum iure proprio administrabat, & regalia omnia exercebat (27). Vides iam, Ducatus Longobardorum veram feudi naturam non habuisse.

§. IX. In nostris autem regionibus tempore Longobardorum Ducum feuda incognita fuere. Tres scilicet apud nos Longobardici principatus extitere, Beneventanus, Salernitanus, & Capuanus. Horum dominos non tamquam vassallos Regis, aut Imperatoris, sed dynastas αὐτοκρατορας, Longobardorum historia describit. Nullum hic vestigium investiturae, non sacramentum fidelitatis, non onus bello tuendi ullum dominum, nulla denique subiectio, quae feudi indicium praebeat. Contra Principes nostri, velut summi domini, leges condiderunt, privilegia in-

(27) Conf. nostra *Elementa Iuris privat. Neap. in histor. part. I. cap. 4. §. 4. seq.*

Digitized by Google

indulſere, diplomata annis imperii ſui conſignarunt, monetas cuderunt, tributa indixerunt, milites aggregarunt, bella geſſere, foedera icerunt, atque regalia omnia exercuerunt. Subditi Longobardorum male habiti, aut oppreſſi, ad nullum tribunal, aut Principem ſuperiorem confugere ſolebant, ſed per ſe iniuriam ulciſcebantur. Hinc multi Duces & Principes interfecti, aut gradu ſuo deiecti ſunt, iiſque ſuffecti qui nec ipſorum filii, nec legitimi ſucceſſores erant, a ſolis populis noſtris, nullo expetito Regis aut Imperatoris conſenſu: quod pluribus collatis exemplis confirmat vir doctus Ianuarius Grande (28).

§. X. Nullum faceſſit negotium, Duces Longobardorum quondam Italiae Regi dimidium reddituum ſuorum tribuiſſe; id enim fecerunt tamquam principes *tributarii*, non *vaſſalli* feudatarii; cum eorum ducatus vera feudi natura prorſus caruerint. Occidentis quidem Auguſti, tamquam Italiae Reges, poſtularunt principatum quemdam in ducatus Beneventanum, Salernitauum, & Capuanum: Principes nonnullos depoſuerunt, ſuffectis aliis; at id conſenſu & voluntate populorum, vel armorum vi factum eſt. Impoſuerunt etiam iiſdem varia onera; ſed tales pactiones in foederibus pacis ſancitas Longobardi Principes noſtri non obſervarunt: tantum urgente neceſſitate auxilio & interceſſione Regum Italiae utebantur: illos haud agnoſcebant pro ſuis

(28) In *Origin. cognomin. gentilit. Regn. Neap. part. IV. diſſ.* 2.

Digitized by Google

suis dominis; quin nonnunquam bellum iisdem intulerunt. Quaecumque vero fuerit superioritas, quam in nostros Ducatus Longobardi Italiae Reges, & postea Imperatores Occidentis quandoque exercuerunt sive vi, sive consensu populorum, nihil aliud inde colligi potest, quam Principes nostros aliquo tempore fuisse tributarius, non feudatarios illorum Regum. A tributariis feudatarios admodum differre, notius est quam ut testato agi sit opus.

CAP. III.

Feuda in Regnum Italicum a Francis invecta fuerunt.

§. I. LOngobardorum in Italia Regnum a Carolo M. Francorum Rege anno DCCLXXIV. eversum est, devicto Desiderio, secumque in Franciam abducto cum uxore, & filia. Ita Longobardicum Italiae Regnum ad Francos transiit. Franci autem feuda e Regno Francico in Italicum invexerunt. Scite Brunnquellus (1) *primaevam feudorum originem speciatim a Francis* repetit, *qui milites suos non auro, sed praediis prosecuti sunt, ex Franciae vero Regno feudorum instituta in Italiam & Regnum Longobardicum transiisse* adfirmat. Et Weltphal (2) feudorum ortum Francis

(1) *De usu linguae Germanicae veteris in studio iuris feudalis in princ.*

(2) *De fatis & usu studii iuris feudalis in Germania* §. 8.

Digitized by Google

eis tribuit, & *ex Franciae Regno in Italiam & Regnum Longobardicum deinde transiisse haec instituta* scribit.

§. II. Ut cauſſae iugulum petamus, iam ſatis, opinor, oſtenſum eſt, Gothos & Longobardos feuda tam in patria ſua, quam in Italia ignoraſſe. Reſtat, ut eiuſmodi inſtitutum ad Francos Italiae dominos referatur. Id ipſae Francorum Italiae Regum leges perbelle adſtruunt. Sane in toto corpore iuris Longobardici nulla Regum Longobardorum ſanctio de rebus ad feuda pertinentibus agit; ſed tantum leges Caroli M., Pipini, Ludovici, & Lotharii, quas non tam quam principes Franci, aut Imperatores Occidentis, ſed Italiae Reges, condiderunt. Praeterea iure feudali, quod in Longobardia viguit (3), mulieres arcentur a ſucceſſione feudorum; immo feuda eis nec donari, nec in dotem dari, nec teſtamento relinqui poſſunt. Eiuſmodi conſuetudo, utpote Longobardorum legibus moribuſque contraria, ab iiſdem profecta non eſt, ſed a Francis per Longobardiam diſſeminata. Apud Francos enim ex lege Salica, quamvis, deficientibus filiis, in bona allodialia ſuccederent mater, ſorores, amitae & materterae (4), a ſucceſſione tamen terrae Salicae prorſus excludebantur (5): *De terra vero Salica nulla portio hereditatis mulieri veniat, ſed ad virilem ſexum*

toto

(3) *II. F.* 9. 38. 52. 55. 93.
(4) *Leg. Salic. tit.* 62. *de alode cap.* 1. *ſeqq.*
(5) *Cit. loc. cap.* 6.

Digitized by Google

tota terrae hereditus perveniat (*a*).

§. III. Feudale quoque idioma evincit, feuda non nisi a Francis in Longobardicum Regnum invecta fuisse. In solis Francorum Italiae Regum legibus, quae superadditae sunt Longobardorum sanctionibus, occurrunt praecipua vocabula & formulae loquendi, in re feudali usitatae. Sic nomen *beneficii*, quod postea *feudum* audiit, invenitur in legibus Caroli M. & Ludovici Pii (6). Vox *vassallus* legitur in constitutione Pipini (7), & Capitularibus Regum Francorum (8). Nomen *allodium* pro praedio burgensatico, a feudali diverso, occurrit in constitutione Caroli M. (9), in Capitularibus Francorum, & legibus Salicis. Vocabulum *regalia* pro praedio Regis, aliove Fisci iure, nemini in feudum dato (quod postea *demanium* audiit) comparet in constitutione Pipini (10): unde habes, a Francis ortam fuisse distinctionem bonorum *demanialium*, *feudalium*, & *allodialium*. Vox *investitura* legitur

(6) *Lib. II. Leg. Longob. tit.* 39. *l.* 3. *tit.* 41. *l.* 7, *tit.* 43. *l.* 1. & alibi.

(7) *Leg. Longob. lib. III. tit.* 4. *l.* 9.

(8) *Lib. II. cap.* 24. *lib. IV. cap.* 22. *lib. V. cap.* 147.

(9) *Leg. Longob. lib. II. tit.* 8. *l.* 9.

(10) *Leg. Longob. lib. III. tit.* 1. *l.* 30.

(a) Terra Salica erat Francorum Orientalium, qui *Salii* dicuntur Ammiano Marcellino *lib. XVII.*, unde eorum lex *Salica* vocata fuit. Hinc etiam Imp. Conradus, primus legum feudalium conditor, *Salicus* cognominatus est, quod Dux Francorum Orientalium fuerit. Ab iis differebant Franci Occidentales, proprie dicti *Franci*, quorum lex *Francica* audiit.

Digitized by Google

tur in legibus Ludovici Pii (11), & Capitularibus Regum Francorum. Servitium militare, quod consuetudines feudales exprimunt formula, *hostem facere*, *in hostem vadere*, saepe occurrit in legibus Caroli M., Pipini, & Ludovici (12), inque Francorum capitularibus. Tandem sacramentum fidelitatis, quod vassallus domino praestat, invenitur in constitutione Ludovici Imp. (13).

CAP. IV.

Feuda in Regnum Neapolitanum a Nortmannis primum illata.

§. I. QUae gens feuda in nostras regiones invexerit, disputatur. Jannonus (1), aliique statuunt, feuda in Samnium & Campaniam a Longobardis, in Apuliam & Calabriam a Nortmannis introducta fuisse. Nae ii egregie labuntur. Iam enim ostensum est, Longobardos feuda ignorasse, adeoque nec in Italiam, nec in regiones Regni nostri, cuius magnam partem occuparunt, feuda intulisse. Franci quidem post deletum Longobardorum Regnum feuda in Longobardiam induxerunt, non item in provincias, quibus Regnum nostrum coaluit, quippe quae ma-

(11) *Leg. Longob. lib. I. tit.* 25. *l.* 78. *tit.* 34. *l.* 3. *lib. II. tit.* 18. *t.* 7. *tit.* 52. *l.* 17.

(12) *Leg. Longob. lib.* 1. *tit.* 14. *l.* 11. 13. & 16. *lib. II. tit.* 18. *l.* 5. & alibi.

(13) *Leg. Longob. lib. I. tit.* 34. *l.* 3.

(1) *Lib. IV. hist. civ. Regn. Neap. cap.* 1. §. 3.

Digitized by Google

magnam partem a Longobardis Ducibus & quaedam a Graecis poſſidebantur. Scite Molinaeus (2) tradit, Nortmannos, qui e Neuſtria, parte Occidentali Franciae, egreſſi ſunt anno MVIII., feuda in Regnum Neapolitanum invexiſſe.

§. II. Profecto Nortmannos primos feudorum auctores in noſtris regionibus extitiſſe, quocumque adſpectu res expendatur, liquido apparebit. Principio, Nortmanni e Francia in regiones noſtras adventarunt. Apud Francos autem feuda altas iam radices egerant. Ipſi Nortmanni feudorum uſum habuerunt in Neuſtria, quam in feudum hereditarium ſub onere militaris ſervitii iis dederat Ludovicus II. Rex Franciae (3). Quare conſuetudinem patriae in has regiones virtute ſua partas induxerunt. Primae & antiquiſſimae de feudis leges in Regno noſtro a Nortmannis latae ſunt, ut ſequenti capite dicetur.

§. III. Rem confirmat politica ratio. Exiguus Nortmannorum numerus pluries in regiones noſtras confluxit, non ad eas populandas, ſed adquirendas. Et quamvis illarum dominos diſcordes bellanteſque inter ſe offenderint; ipſis tamen reſtiterunt Longobardi, Graeci, Saraceni, & Noſtrates, quorum vires, licet diviſae, negotium crearunt exiguo numero alienigenarum, qui tot populos ſubigere, vetereſque dominos e ſede ſua exturbare nitebantur. Quare Longobardi paucis annis univerſam fere Italiam devicerunt: cum contra Nortmanni, ut regionibus noſtris po-

(2) In *Conſuet. Pariſ. tit. de feudis n.* 13.
(3) Malaterra *lib. I. hiſt. Sicul. cap.* 2.

Digitized by Google

potirentur, integro circiter saeculo connixi fuerint. Opus itaque habuerunt clientibus & fidelibus, qui iureiurando eorum partes tueri cogerentur.

§. IV. Re quidem vera, Nortmannis Apulia potitis, Rainulfus Aversae Comes *duodecim de suis Capitaneos eligit, & ut aequaliter inter se acquirenda cuncta dividerent, praecepit*; atque re confecta, duodecim illi duces Nortmanni terras armis partas inter se divisérunt, delato honore Comitis Gulielmo Tancredi filio, teste Leone Ostiensi (4). Robertus Guiscardus adegit Goffredum Cupersanensem, nepotem suum, praestare sibi militare servitium pro terra Montis-pelusii, aliisque castris, quae possidebat, teste Goffrido Malaterra (5). Rogerius Comes *duodecim famosissima castra suo dominio subegit, quae militibus suis distribuens cum omnibus appendiciis suis de se habenda delegavit*, ut ipse testatur Malaterra (6). Idem (7) refert, Rogerium Ducem anno MXCI. recepta rursus in fidem Consentia, quae ab eo defecerat, *antequam expeditio solvatur, castrum ad urbem a tali praesumtione ulterius prohibendam in altiori urbis iugo firmasse.* Similia castra condiderunt Nortmanni intra, vel iuxta alias civitates ab ipsis devictas, & milite munierunt, ut eas in officio continerent, ceu pa-

(4) *Chronic. Cassinens. lib. II. cap. 67.*
(5) *Lib. II. hist. Sicul. cap. 39.*
(6) *Lib. II. cap.* 11.
(7) *Lib. IV. cap.* 17.

Digitized by Google

patet ex Malaterra (8), & Teleſino (9). Hine perſpicis veterem feudorum naturam, quae erant caſtra utili dominio conceſſa, directo penes dominum manente, primaque adeo feuda fuiſſe caſtra feudatariis (hi *capitanei* tunc dicti) conceſſa, qui una cum militibus caſtri ſibi ſubiecti tenebantur tueri, & ſervire in bello dominum ſuum. Atque in Longobardia, in quam etiam Franci feuda intulerunt, *caſtellani* vocabantur, qui *barones* in Regno noſtro dicti ſunt, ut obſervat Muratorius (10). Scriptores Nortmanni, adfirmantes prima feuda *ducibus* (qui etiam *milites* & *fideles* dicti) data fuiſſe, amice conſpirant cum conſuetudinibus feudorum (11), e quibus docemur, primos feudatarios olim *Capitaneos Regis*, aut *Regni* vocatos.

§. V. Quaecumque ad feuda pertinent non in aliis Regni monumentis, quam Nortmannorum primum occurunt. Diſtinctio *civium* ſive *burgenſium* & *militum*, atque adeo bonorum *burgenſaticorum* & *feudalium*, ſub Nortmannis prodiit. Teſtis eſt Alexander Teleſinus (12), Nucerinos Roberto Capuae Principi ſubditos, cum Rogerio I. obſiſtere non poſſent, *Primores eorum ad Regem egreſſos poſtulaſſe, ut ſibi, & omnibus INDIGENIS & CASTRENSIBUS* (en diſtinctio-

G

(8) *Lib. IV. cap.* 24.
(9) *Lib. I. de reb. geſt. Roger. Siciliae Reg. cap.* 24. *lib.* II. *cap.* 34. & 49. *lib. III. cap.* 30. & alibi.
(10) *Cit. Diſſ. XI.*
(11) *I. F.* 1. & 11. *F.* 10.
(12) *Lib. II. cap.* 55.

Digitized by Google

ctionem civium & militum) *impunitatem , & oppidi integritatem conservavet* . Rursus de Aversae civitate refert (13): *Licet duodecim Magnatibus , MILITIBUS & immenso POPULO* (Rogerius) *gloriaretur , tamen potius aggere , quam muro cingebatur* . Vides iam apertam distinctionem inter cives & milites , quae nuspiam in historia Regni ante Nortmannorum tempora conspicitur. Distinctio haec a Nortmannis inducta sub Suevis altas egit radices . In constitutione Friderici II. Siciliae Regis (14) legitur : *Pro Comite , quem ceperit aliquis , qui foriudicatus , vel bannitus non fuerat* , 100. *augustales ; pro Barone* 50. *pro Milite simplici* 30. *pro Burgensi* 12. *pro Rustico* 6. *consequetur* . Luculenter hoc loco *miles* seiungitur a *burgensi* sive cive ; ac proinde bona allodialia seu burgensatica , quae a burgensibus pleno iure possidentur , a feudalibus , quae oneri militari subsunt , discernuntur.

§. VI. De caeremonia investiturae , quae ad novum feudum adquirendum necessaria est (15), prima iniicitur mentio sub Nortmannis , a quibus forte instituta fuit . Rogerium I. *filium suum Ansusum , favore Optimatum militumque , Capuani principatus honore per vexillum sublimasse* , testatur Telesinus (16). Natura & proprietas feudorum , ut scilicet lege servitii militaris concedantur , atque auferantur ob servitium non exhi-

(13) *Lib. III. cap.* 4.
(14) *Lib II. Constit. Sicul. tit.* 3.
(15) *II. F.* 1.
(16) *Lib. III. cap.* 27.

Digitized by Google

hibitum, vel crimen feudatarii, invenitur apud eumdem Teleſinum (17): apud quem (18) etiam occurrit iusiurandum fidelitatis. Ipſum denique vaſſaticum dicebatur *hominium*, quam vocem Nortmanni ſcriptores ſaepe uſurpant.

§. VII. Non modo feudatarii & feuda, verum etiam ſubvaſſalli & ſubfeuda ante Nortmannos in Regno noſtro non occurrunt. Apud ſolos Nortmannos ſcriptores memorantur ſubvaſſalli, qui poſſidebant feuda, vel caſtra, ipſis ab aliis feudatariis conceſſa, quorum dominio ſuberant. Teleſinus [19] memoriae prodidit: *Quorum caſtellorum Radulfus de Frameto* [b] *ſub Ranulfi Comitis dominio dominatus erat*. Robertus Capuae princeps cum a Rege Gulielmo I. defeciſſet, aufugiens captus eſt a Riccardo de Aquila Comite Fundorum, vaſſallo ſuo, teſte Romualdo Salernitano [20]: *Continuo ſuos omnes vocari fecit barones*. Et mox de Roberto Iordani patruo prodit: *Deinde ſacramento mediante Comitis Iordani fidelis & canonicus* [c] *effectus eſt*; quippe ob acceptum caſtrum Templanum eius ſubfeudatarius evaſit.

(17) *Lib. I. cap.* 17. & 20. & *lib. II. cap.* 13. 15. 19. 21. & 22.

(18) *Lib. I. cap.* 15. & *lib. II. cap.* 25.

(19) *Lib. II. cap.* 54.

(20) *Chronic. ad an. MCLIV.*

(b) Corrige *de Fraineta*, vel *Fraineto*, uti patet ex Falcone Beneventano *Chronic. ad an. MCXXXIV.*, ubi illum appellat *Ranem de Fraineta* pro *Raone*, ſeu *Radulfo*, ut obſervat Camillus Peregrinus *not. ad Falcon. cit. loc.*

(c) Hoc loco vox *canonicus* deſignat *penſionarium*, ob annuum nempe canonem, ſive penſionem, quam Robertus Comiti Iordano ſolvere ſpopondit.

Digitized by Google

CAP. V.

De feudalibus Regum Neapolitanorum legibus, & collectionibus.

§. I. A Nortmannis, qui primi in noſtras regiones feuda intulerunt, leges feudales latae ſunt. Ante monarchiam inſtitutam nulla de feudis ſcripta lex eſt, ſed moribus res tranſigebantur. Initio enim Nortmanni ſine iure certo egerunt, victiſque civitatibus, quas inter ſe partiti ſunt, velut reguli, domi militiaeque imperarunt. Plura tamen Robertus Guiſcardus prudenter inſtituit. Etenim Nortmannos, qui ex diviſione oppida urbeſque tenebant, fidelitatem ſibi ſpondere curavit: quas Graecis civitates eripuit, Nortmannis ſuis iure feudi conceſſit: quas vero Longobardis abſtulit, alias ipſis Longobardis, alias etiam Nortmannis in feudum dedit, celebrioribus & opulentioribus ſibi reſervatis. Huc ſpectat Hugo Falcandus [1], qui Regni noſtri Proceres a Gulielmo I. poſtulaſſe teſtatur, ut novis, quas ediderat, *pernicioſis legibus abrogatis, eas reſtituat conſuetudines, quas avus eius Rogerius Comes, a Roberto Guiſcardo prius introductas, obſervaverat, & obſervari praeceperat.*

§. II. Primus de feudis ſcriptas leges ſanxit Rogerius I. Hic enim omnem feudi alienationem ac imminutionem interdixit feudatariis, ac vero

(1) *De rebus Siculis in Gulielmo I. edit. Murator.*

Digitized by Google

ro etiam *principibus ſuis*, puta Rogerio Duci Apuliae, Anfuſo Principi Capuae, & Tancredo Principi Tarenti (2): permiſit baroni dotarium conſtituere uxori ſuper feudo ſine venia Regis (3). Eius filius Gulielmus I. cavit de dotario uxori conſtituendo ſuper feudo viri ſui, & iuramento *aſſicurationis* (4): de dote danda ſororibus baronis ſuper feudo, deficiente alode (5): & de adiutoriis moderate iuſtaque cauſſa exigendis a vaſſallis (6). Regno a Nortmannis ad Suevos delato, Fridericus II. Rex noſter multa de feudis conſtituit. Vetuit quamcumque feudi alienationem ſine conſenſu Regis, excadentiis exceptis (7): permiſit feudum ſine venia Regis in dotarium dari (8): feudatariis pupillis balium a Rege dandum edixit; etiam ob civilem vaſſalli mortem (9): permiſit baroni iuramentum aſſicurationis a vaſſallis exigere, ſalva fidelitate Regi debita (10): iiſdem indulſit adiutoria petere a vaſſallis etiam in caſibus nonnullis non expreſſis in Gulielmi conſtitutione (11); cauſſas enumerat, ob quas ſubvaſſallus amittit ſubfeudum (12): tandem ca-

(2) *Conſt.* ſcire volumus *lib. III. Conſt. Sicul. tit.* 1.
(3) *Conſt.* ſi quis baro *lib. III. tit.* 13.
(4) *Conſt.* mulier *lib. III. tit.* 16.
(5) *Conſt.* fratribus *lib. III. tit.* 17.
(6) *Conſt.* quamplurimum *lib. III. tit.* 20.
(7) *Conſt.* conſtitutionem divae memoriae *lib. III. tit.* 5.
(8) *Conſt.* licentiam *lib. III. tit.* 16.
(9) *Conſt.* minoribus *lib. III. tit.* 20.
(10) *Conſt.* ſi quando *lib. II. tit.* 7.
(11) *Conſt.* domini *lib. III. tit.* 18. & *Conſt.* Comitibus *lib. III. tit.* 21.
(12) *Conſt.* ſi vaſſallus *lib. III. tit.* 19.

Digitized by Google

vit de inveſtitura valvaſini (13), de praeſcriptione feudi (14), deque ſucceſſione in feudo (15). Suas de re feudali ſanctiones tulerunt inſecuti Reges Andegavenſes, Aragonenſes, Auſtriaci, & Borbonii. Hinc mole iam ſua feudalis iuriſprudentia Regni noſtri laborat; conſtatque Nortmannorum & Suevorum conſtitutionibus, Andegavenſium capitulis, Aragonenſium aliorumque Regum pragmaticis, itemque Gratiis & Privilegiis Baronibus noſtris paſſim indultis, quibus natura feudorum vehementer immutata eſt, tantaque hodie eſt feudi adfinitas cum allodio, ut vix ab eo ſecerni poſſit.

§. III. Habebant Nortmanni ſuas feudorum conſuetudines peculiaribus libris collectas, qui corrupte *defetarii*, ſive libri de feudis vocabantur, inque regia domo ſervabantur. Sic facto a Panormitanis impetu in domum Auguſtam, Gulielmus I. indoluit, quod in eo incendio libri defetarii fuerint combuſti, & e carcere educi iuſſit quemdam Matthaeum Notarium, qui illos memoria tenebat, cuius opera reſtituti ſunt. Animadvertebat enim Rex magnum regiis iuribus damnum afferri illorum librorum iactura, in *quibus terrarum feudorumque diſtinctiones, ritus & inſtituta Curiae continebantur*, ut inquit Hugo Falcandus [16]. Defetarii hi libri aetatem non

(13) *Conſt.* poſt mortem *lib. III. tit.* 25.
(14) *Conſt.* conſuetudinem pravam *lib. III. tit.* 38. & *Conſt.* quadragenalem *lib. III. tit.* 39.
(15) *Conſt.* in aliquibus *lib. III. tit.* 29. & *Conſt.* ut de ſucceſſionibus *lib. III. tit.* 27.
(16) *Cit. loc.* Conſ. Inveges *Hiſt. Panorm. an. MCLXI.*

Digitized by Google

non tulerunt. Peculiari legum feudalium collectione caremus: tantum eas cum aliis legibus permixtas habemus. Constitutiones Nortmannorum & Suevorum de feudis una cum aliis legibus collatae sunt in *Codice Constitutionum Regni Siciliae*, iussu Friderici II. a Petro de Vineis anno MCCXXXI. edito. Capitula Andegavensium Regum feudalia prostant in compilatione Capitulorum, quam privato studio incertus Auctor confecit sub finem Regni Andegavensis. Pragmaticae Aragonensium, Austriacorum & Borboniorum de feudis, una cum aliis de rebus allodialibus, leguntur in Collectionibus Pragmaticarum, praesertim copiosiore, quae anno MDCCLXXII. prodiit. Gratias & Privilegia, Regni baronibus Regum nostrorum munificentia elargita, prostant in collectione *Gratiarum & Privilegiorum Civitatis & Regni Neapolis*, quae omnium manibus teritur. Sanctiones quascumque de feudis a Regibus nostris perlatas, nostris adnotationibus & commentariis illustratas, exhibebimus in *Codice Iuris Feudalis Neapolitani*, qui brevi in publicam lucis usuram evadet.

§. IV. In Regno nostro, deficiente patrio iure, ad usus feudorum, tamquam ad commune ius, confugimus. Quo tempore illi fuerint apud nos recepti, incertum est. Compilatio consuetudinum feudalium sub Nortmannis & Suevis apud nos ignota fuisse videtur. Satis enim Regno nostro consultum erat legibus de re feudali latis a Nortmannis, & Suevis; nec desiderari quidquam poterat, cum investitura, successio, felonia, auctoritas baronum, & istiusmodi alia, iam fuissent

Digitized by Google

constituta. Cum peculiares de feudis leges comprehensae fuissent in libris *defetariis*; nihil erat, ut qui propriis moribus & institutis sua regebant feuda, a moribus Longobardiae pendere debuissent. Revera nullus illarum usus, mentio nulla adhuc sub Friderico II.an.MCCXXXI., cuius iussu constitutiones Regni Siciliae in unum collectae sunt. Facit huc glossa in Constitutiones Siculas [17]: *Dicunt aliqui, quod Liber ille de usibus feudorum non obtineat in Regno Siciliae. Nam si bene inspicias quaecumque per Regni constitutionem circa feuda & vassallos dicuntur, sicut est de feudis non minuendis vel distrahendis, de dominis assicurandis, de felonia, & guardio, & aliis multis, ab inde processerunt, licet super his constitutiones Regni in nonnullis addant articulis, & immutent. Illa etiam consuetudo in Regno hactenus obtinens, ut filiae non succederent in feudis, quae tollitur supra proxim. in aliquibus erat de illa collat.* 10.*de usib. feud. in I. F.* 1. 5. *hoc autem &c.* Ex hoc testimonio habes, aevo Marini & Andreae de Caramanico, qui primi sub ipsis Suevis constitutiones Regni glossis enuclearunt, dubitatum fuisse, an in Regno nostro consuetudines feudorum locum habere deberent, aliis id adfirmantibus, negantibus vero aliis. Deinde sub Andegavensibus usus feudales ad supplendum ius municipale recepti sunt. Hinc in eos commentati sunt Andreas de Isernia sub Carolo II. Andegavensi, Iacobus de Belvisio sub Roberto Rege, & passim alii.

PRO-

(17) In *Const.* ut de successionibus *lib. III. tit. 27. verb.* iniuriam.

PROLEGOMENA
IURIS FEUDALIS.



Uri feudali operam daturus, non feudorum modo origines progreſsuſque noſſe, verum etiam, unde feudi nomen deſcendat, quando adhiberi coepit, quae eius indoles & conſtitutio, quae ſubſtantia, natura & accidens, quae ſimilitudo ac differentia ab emphyteuſi, aliiſque contractibus, quibus etiam utile dominium transfertur, quae ipſius ſpecies ſint, quid tandem allodium, quod feudo opponitur, tamquam in antecoenium habere in numerato debet. Haec omnia, quae generalem beneficiariae diſciplinae lucem offundunt, in ipſo veluti horum elementorum veſtibulo recenſere non pigebit.

CAP. I.

De nomine feudi.

§. I. BArbaro feudi vocabulo res ipſa vetuſtior eſt. Quae a pluribus abhinc ſaeculis *feuda*, ea olim adpellata ſunt *beneficia*, *honores*, *militiae*, *miniſteria*, *munera regia*, ut allatis veterum teſtimoniis probat Struvius (1), Burius

(1) *In hiſtor. iur. feud. not. ad* §. 1.

Digitized by Google

rius (2), aliique; quamvis negandum non sit, beneficia illa a serioris aevi feudis nonnihil differre. Frequentissimum vero fuit *beneficii* nomen; vel eo quidem sensu, quo beneficium idem est ac praedium stipendiarium; vel ideo quod a dominorum beneficentia erant profecta, & largitatem fidelitatis caussa factam potissimum exprimebant: quo sensu usurpatur in consuetudinibus feudorum (3), & ab Auctore *libri veteris de beneficiis*. Vox beneficii late accepta est a medii aevi scriptoribus, ad significandos fundos usufructuarios, qui Regum liberalitate accepti erant. Testimonia congerunt Dufresne (4), Thomasius (5), & Schilterus (6).

§. II. Unde vox *feudi* derivetur, tam varia varii tradidere, ut dilacerata potius, quam explicata sit. Nihil moror Salmasium (7), a Graeco φυτον repetentem: *Etiam*, ait, *feuda ipsa inde* (ab emphyteusi) *traxerunt nomen fortassean cum re suum*. Nam ἐμφυτευσις ab ἐμφυτον & *simplex* φυτον. *Unde feudum Barbari fecerunt*. At enim cur *phyton*, *fytum* dictum non fuit feudum? Quam longe *fytum* a *feudo* distat! Nae is barbaricarum rerum rudis, discrimen inter agrum desertum ad ἐμφυτευσιν datum, & fundum plerumque cultissimum, stipendii loco concessum, ignoravit. Alii feudum nomen faciunt

(2) *In comment. ad Schilteri inst. iur. feud. p.* 48. *seq.*
(3) *I. F.* 1. & 19. *II. F.* 34. §. 22. *II. F.* 55. *pr.*
(4) *In Gloss. med. & infim. Latinit. v.* beneficium.
(5) *In select. feudalib. cap.* 1. §. 37.
(6) *In comment. ad rubric. iur. feud. Alemannic.* §. 5.
(7) *In disquisit. de mutuo p.* 337.

Digitized by Google

ciunt Latinum a *foedere*, quo dominus & vaſſallus iunguntur, quod alicubi in antiquis chartis vocem *foedi* invenerint. Sed cum *feudum* per *feodum* recte ſcribatur, illa inverſarum litterarum vox *foedum*, ac enatum inde etymon, ad foedas librariorum corruptelas ableganda eſt. Veteres interpretes, & recentiorum plerique, nominatim Cuiacius (8), feudum a *fide*, vel *fidelitate* deducunt. Hos decepit auctoritas Feudiſtae (9), qui eam originationem tradidit. Antiquae opinioni pondus acceſſit, quod fides ſit de eſſentia feudi. Colorem errori ſuperinduxit, quod Latinorum fides nova Italorum dialecto *la fede* ſonet. At compilatori conſuetudinum feudalium, bonarum litterarum & antiquitatum, maxime exterarum, rudi, quae hac in re fides? Feudum quidem ſine fide non eſt; at inde non ſequitur, ſi fidei vox non fuiſſet, nec feudi vocem extituram. Tandem a Romanorum *fide*, Italorumque *fede* valde diſtat, nec reddi ratio poteſt, cur Itali *fedum* ſuum, vel *fidum*, vocem ex vernacula notiſſima natam, apud ſe corrumpi paſſi ſint. Appoſite Hotomanus (10): *Si e Latina origine*, inquit, *fingere nomen feudiſtae voluiſſent, quidni* fidelium *potius*, *integra prima retenta ſyllaba*, *aut* fidelitatem, *aut neſcio quod eiuſmodi confinxiſſent?*

§. III. Cum vocabulum feudi barbarum ſit, miſſis exteris originationibus, vernaculas quae-

ra-

(8) *In proœmio comment. ad conſuetud. feud.*
(9) *II. F.* 3. §. 1.
(10) *Diſput. de feudis cap.* 1.

Digitized by Google

ramus. Prae ceteris Giphanius (11), Rhetius (12), & Beyerus (13) feudum a voce *foden*, seu *fuden* (*alere*) arcessunt, quod feuda alendis possessoribus inserviant. Contra Hotomanus (14), Wendelinus (15) aliique deducunt a *fede*, seu *faida*, quae *bellum*, *inimicitiam*, significat; cum bella in primis feudorum initia & incrementa dederint. Mitto alia barbarae indolis etyma, longius petita. Iis adstipulor, qui feudum a *feode* dictum putant, quod signat praedium *stipendiarium*, seu praedium, pecoribus aliisque rebus ad vitam alendam facientibus, instructum; tum quia in vetustis monumentis frequentius occurrunt nomina *feodum*, *feodarius*, *infeodare*; tum quod *feodum* in *feudum* facillime mutari potuit (*a*).

§. IV.

(11) *De iur. feud. cap.* 2. *n.*27. (12) *In comment. ad ius feud. commun. lib.*1. *tit.*1.*n.*14. (13) *In praef. ad delineat. iur. feud.* (14) *In comment. verbor. iur. voc.* feudum. (15) *In Glossario Gallico v.* Leode.

(a) Grotius *prolegom. ad hist. Goth. p.* 23. tradit. *OT, possessio est etiam priscis Saxonibus, unde FEOT, sive FEODUM, fiduciaria fructuum possessio.* Idem in *Florum sparsion. ad ius Iustinian.* clarius scribit: *Origo vocis est FEOD, ideſt stipendii possessio.* Hanc Grotii sententiam eruditorum permulti amplexi sunt. Num vero vox *Feod* simplex sit, an composita, disputatur. Simplicem esse, aut saltem frequentissima particula, *hod*, *had*, *heit* in fine exornatam, censent Grotius *cit. loc.* Hertius *de feudis oblatis part.* 1. §. 2. Schilterus *instit. iur. feud. cap.*1. §. 1. Struvius *hist. iur. cap.*8. §. 2. *in not.* aliique. Contra compositam ex FE, *stipendium*, & OD *fundus*, *possessio*, arbitrantur Spelmannus in *Glossario Archaeologico v. feodum*, Somnerus in *Dictionario Saxonico-Latino-Anglico h.v.* Ludewigius *de iure clientelari Germanorum sect.* 1. *cap.* 11. §. 3. Car. Conradus *diss. de nominibus Germanicis feode & lehen* §. 1. ceteri. Conf. Christ. Gebauerum *diss. de originibus feudi Germanic. cap.* 1. §. 18.

Digitized by Google

§. IV. Quando *feudi* nomen prodierit, eruditi digladiantur. Sunt qui ad tempora Carolina, saeculum scilicet VIII. & IX., referunt, quique ab iis extrudunt. Freherus (16), Struvius (17), Heineccius (18), alique vocem *feudi* saeculo IX. vindicant, auctoritate diplomatis Ludovici Pii Imp., an. DCCCXXIV. monasterio Ebersheimensi dati, apud Schilterum (19), in quo usurpantur nomina *feodi*, *feodalis*, *infeodetur*. Hanc chartam Carolingico aevo non convenire, sed recentioris ingenii commentum esse tuetur Io. Heumannus (20). In tempora Lotharii I. vocem *feudi* confert Hornius (21) propterea quod usurpetur in constitutione *Lotharii*, quae prostat in usibus feudalibus (22). Sed eam Conrado Salico recte adiudicant eruditi. Antonius Dominicus (23) statuit, *feudi* nomen sub Carolo Crasso adhibitum, deceptus constitutione *de exceptione Romana*, quam perperam Carolo Crasso tribuit, aliisque saeculi IX. monumentis, quae spuria sunt.

§. V. Sunt qui feudi nomen e Carolingica curia eiiciunt. Ludov. Cantarellus Faber (24) vo-

(16) *Comment. ad constit. de expeditione Romana*, quam is Carolo Crasso tribuit.

(17) *In hist. iur. cap.* 8. §. 1.

(18) *Ad Schilteri instit. iur. feud. cap.* 1. §. 1.

(19) *In mantissa, dissertationi de curiis dominicalibus* adiecta.

(20) *De prima vocis feudi in diplomatibus mentione* §. *V.*

(21) *In iurisprud. feud. cap.* 2. §. 1.

(22) *l. F.* 19.

(23) *De praerogativa allodiorum cap.* 15. §. 1.

(24) *In Traité des Fiefs & de leur origine Liv. II. chap.* 1.

Digitized by Google

vocabulum feudi regno Hugonis Capeti inferius esse probat. Schurzfleischius (25) *quavis sponsione contendit, illud in Pipini, Caroli M. & Ludovici Pii, Lotharii I. Ludovici II. Caroli Calvi, & Caroli Crassi, Imperatorum, monumentis non reperiri; charta, quam Acherius in* Spicilegio *attulit, subiecta est, & manifesto falsa. In aliis quoque chartis, quae sunt eorum, quos praedixi, Imperatorum, temporibus proximae, nihil prohibet, quin pro feudalibus quoque fidelibus legamus. Hoc magis reiiciendae sunt chartae Pipini, Caroli M. & Lotharii I., in quibus vox feudi legitur; falsi notas legentibus ostendunt.* Guilielmus Somnerus (26) in nullo non suspectae fidei monumento ante annum millesimum se feudi nomen reperisse testatur. Consentit Ludewigius (27), qui *ante decimum saeculum latinos libellos a feodi verbo prorsus abhorruisse*, ait. Freherus (28) antiquiorem vocabuli usum in dubium vocavit, Friderici I. demum aevo cum consuetudinibus feudorum enatum ratus, quamvis fide laudati diplomatis Ludovici Pii ad saeculum IX. male retulerit. Sane vix ullus feudi in latinis libellis usus ante saeculum XI. fuit. Ea vox nec semel in totis legibus Carolinis appareret. In tot diplomatibus, vetustisque monumentis non subleſtae fidei *feudum* numquam, *beneficium*

(25) *Diss. de Conrado Imp. Augusto, eiusque diplomate, quod* de expeditione Romana *inscribitur.*
(26) *In Glossario Historiae Anglicanae subiecto.*
(27) *De iur. clientelar. Germanor. cap.* II. §. 4. *verae n.*
(28) *Cit. loc.*

Digitized by Google

sium ſemper occurrit. In *veteri libro de iis*, qui conſuetudinibus feudorum antiqui eſt, nec ſemel apparet *feudi* vox, nec nec *infeudati*; ſemper *beneficii*, *beneficialis*, *in beneficiati*, ita conſtanter, ut ſi vox altera ignota prorſus fuiſſet.

CAP. II.

De definitione feudi.

§. I. CUm feudum & rem quae feudo datur, & ius quod domino vaſſalloque competit, & negotium quod inter utrumque geritur, ſignificet; doctores pro varia hac ſignificatione feudum aliter atque aliter definiunt. Praeſtat, feudum omni ex parte inſpectum, partite definire. Itaque *obiective* ſumtum, eſt *donatio quaedam dominii utilis rei immobilis ſub lege fidelitatis ſingularis*. Deſumtum vero *effective*, eſt *legitima facultas re feudi titulo accepta utendi ſub conditione ſingularis fidelitatis*. Tandem *formaliter* acceptum, eſt *conventio, qua dominus & vaſſallus nexu ſingularis fidelitatis rite inter ſe copulantur, atque huic res quaedam, accedente inveſtitura, ad uſum conceditur*. Nihil dubii eſt, quin feudum ſit contractus, quo nomine ultro citroque obligatio intelligitur (1). Mutua enim inter dominum & vaſſallum obligatio naſcitur: ille fidem defenſionis, hic vero fidem obſequii praeſtat (2).

§. II.

(1) *L. 19. D. de V. S.* (2) *II. F. 7.*

Digitized by Google

§. II. Obiectiva feudi definitio pluribus exponenda est. Dicitur *donatio*, cum ex domini liberalitate ac munificentia proficiscatur: unde & feudum *beneficium*, & vassallus *beneficiarius* passim appellatur (3). Nec beneficium esse desinit, quod aliquando pecunia intervenit; quippe nulla esse ratio potest pecuniae cum principali munificentia, cumque eximio honore ac dignitate, quam vassallus ex feudi concessione consequitur. Verbum *quaedam* indicat, feudum impropriam esse donationem, cum fidei & militiae onere detur, & quibusdam casibus ad dominum revertatur. Sequitur *dominii utilis*; praecipuum namque vassalli ius positum est in utili dominio, ex quo alia iura dimanant. Excipit *rei immobilis*, quo nomine veniunt etiam ea, quae immobilium loco sunt; ut iura, reditus, iurisdictiones (4); in rebus enim mobilibus feudum proprie non consistit. Postrema verba signant, feudum ob fidem, quae ad eius ϛϛιχν pertinet, concedi. Fidem hîc intelligo feudalem; cuius haec est conditio, ut vassallus dominum prae aliis colere ac vereri, salutem fortunasque eius promovere, his adversa avertere teneatur; atque beneficio privetur, si officio desit suo. Feudalis instituti finis est, ut Princeps in re militari habeat certa fide obnoxios & devotos non sui modo territorii homines, sed etiam alieni. Subditi quidem omnes fidem & obsequium etiam militare Principi suo debent.

Sed

(3) *F.* 1. §. 4. *II. F.* 55. §. 2.
(4) *II. F.* 1.

Digitized by Google

Sed fides & obſequium feudatarium eſt ſingulare, ac illud ſubditorum generale. Praeterea vaſſallus nulla ſeveriori poena affici poteſt, quam feudi amiſſione: contra civis ſummo Imperanti perfecte ſubditus, capite ipſo plecti, aliiſque pro criminis ratione poenis coërceri poteſt. Tandem fidelitas feudalis adeo iuncta eſt feudo, ut, hoc ſublato, & illa expiret; at perfectae ſubiectionis civilis fides, ſubſtantiis licet omnibus amiſſis, in cive perdurat.

§. III. In feudo diſtinguenda ſunt *ſubſtantia*, *natura*, & *accidens*. Subſtantia ipſam feudi eſſentiam conſtituit. Ad feudi ουσιαν *eſſentiam* pertinent. (I) *Dominii utilis* tranſitus in vaſſallum, directo penes dominum manente (*a*). Utroque enim dominio translato, allodium, non feudum exſurgit. (II) *Fidelitatis* promiſſio, ob

(a) Vocem *directum* dominium Latinam faciunt feudiſtarum plerique, ac diſtinctionem inter dominium directum & utile a Romanorum actionibus directis atque utilibus deducunt. Derivatio haec diſplicet Schiltero *comment. ad Ius feudale Alemannic. p.* 3. his verbis: *ſpecies eiuſmodi dominii non pleni, dominium utile vocatur, cui opponitur directum ab interpretibus ad imitationem Iſtorum Romanorum, qui actiones in directas & utiles dividunt; ſed directas hi vocant, quae directo & expreſſe actori a lege aut edicto dantur, utiles quae ſecus & dumtaxat per interpretationem extenſivam: quo ſenſu dominium directum dici non poteſt, ſed potius quod ſit dominium directivum, reſervatum a concedente & infeudante, quod utile dirigit, a ſe dependens.* Gudlingius *in Gudlingian. part. XII.* contendit Germanicum eſſe nomen *directum*, ortum a voce *recht*, unde *dirictus*, *dirictura*, *directura*, *droitura*, *droit*, *rectare*, *rectitudo*, a ſcriptoribus mediae aetatis formata ſunt.

Digitized by Google

quam feuda ab initio conceſſa ſunt : nec eam polliceri detrectans feudo inveſtiendus eſt (5). Differt autem fidelitas a fidelitatis ſacramento; ſine illa feudum eſſe nequit ; ſine hoc poteſt. Quid enim refert, iurata, an iniurata fides promittatur? Unde diſtinctio vaſſalli in *iuratum* & *non iuratum* (6). Quare, etſi iusiurandum remittatur, non ideo a praeſtanda fide vaſſallus intelligitur liberatus. (III) *Res immobilis*, aut *quaſi*, in qua verum conſtituitur feudum, cum eius proprietas eſſe domini, utilitas vaſſalli debeat: quod in ſtabilibus accidit, quorum uſus, ſalva ſubſtantia, eſſe poteſt, non item in mobilibus, quae corrumpuntur & conſumuntur. Tria haec pacto mutari nequeunt; ſecus non feudum, ſed aliud negotium conſtituetur.

§. IV. Natura feudi eſt *communis feudi ratio*, ſive *qualitas*, *quae iuris auctoritate feudo ſemper indita cenſetur*, *niſi aliter conventum probetur*. Naturalia feudi ſunt. (I) *Servitium*, quo vaſſallus obſtringitur, cum feudum domini & vaſſalli gratia concedatur (7): quod ſervitii onus reale eſt, & cum feudo ipſo tranſit. Si dominus ſervitium non definivit, *militare* cenſetur (8); ſin expreſſe remiſerit, feudum erit improprium, quod *francum* appellatur. (II) *Alienationis prohibitio* ſine conſenſu domini, ne cogatur dominus alium habere vaſſallum, cum fidelitas unius

non

(5) *II. F.* 3. §. 1. *in fin.*
(6) *II. F.* 16. 24. 47.
(7) *I. F.* 72. *II. F.* 6.
(8) *II. F.* 55. §. 1.

Digitized by Google

non sit fidelitas alterius. (III) Ut *iudex competens* in causis feudalibus sit ipse dominus, quamvis vassallus sit clericus & dominus laicus, atque viciſſim (9). (IV) Ut vassallus sine culpa feudum non amittat (10). (V) Ut in feudo non succedant feminae (11). (VI) Ut investitura renovetur, cum dominus, aut vassallus mutatur (12). Haec, quae de natura feudi sunt, moribus pactisve privatorum immutari possunt, quin feudi ἰδιότα laedatur.

§. V. Accidens demum feudi est *pactum a domino & vassallo adiectum feudo, quo eius natura augetur, vel minuitur, nec subintelligitur, nisi exprimatur:* veluti, si obligetur vassallus uxorem domini ad ecclesiam festis diebus comitari (13): si feminis concedatur successio (14): si vassallus sit liber a servitiis (15): si feudum ad successores non perveniat (16). Iam accidens, salvo feudo, & adesse & abesse potest,

(9) *II. F.* 55. §. *praeterea in fin.*
(10) *I. F.* 7. 21. 22.
(11) *I. F.* 1. §. 3., *I. F.* 50. *& alibi.*
(12) *I. F.* 24.
(13) *II. F.* 2. §. *ult.*
(14) *Cit.* §. *ult.*
(15) *II. F.* 104.
(16) *I. F.* 2. *pr.*

Digitized by Google

CAP. III.

De feudi similitudine ac differentia ab aliis contractibus utile dominium transferentibus.

§. I. PRaeter feudum, complures contractus, partim Romano iure, partim barbarorum moribus inventi, dominium utile transferunt, directo a nobis retento, in primis *emphyteusis*, *precaria*, *libellaria*, *ususfructus*, & *superficies*. Horum similitudinem ac differentiam a feudo nosse, non parum ad germanam illius naturam introspiciendam confert.

§. II. Emphyteusis est contractus, quo utile praedii dominium in perpetuum, vel ad tempus non modicum, conceditur pro certo annuo canone, in agnitionem domini directi. Eiusmodi contractus apud mortalium antiquissimos, atque Romanos receptus est. Eum esse proprium contractus genus, inter locationem & venditionem medium, primus definivit Zeno Imp. (1). Emphyteusis nomen significat sationem, omnemque agri colendi rationem. Initio enim inculti tantum agri in emphyteusin dati, ut plantationibus fierent meliores: unde ius, quod emphyteuta adquirit, vocatur ἐμφύτευμα, *melioratio*. Exinde, utilitate impellente, etiam fertiles agri, ac domus ipsae, eo iure dati sunt. Iam cum emphyteusi feudum convenit, quia utroque utile dominium transfertur, nec nisi iusta de causa amit-

(1) *L.* 1. *C. de iur. emphyteut.*

Digitized by Google

amittitur : vaſſallus & emphyteuta ſervitutem fundo adquirere poſſunt : uterque iure ſuo cadit, ſi praedium, inſcio domino, alienaverint. Diſcrepat vero in his. (I) Vaſſallus fidem & militiam, emphyteuta annuum dumtaxat canonem praeſtat. (II) Vaſſallus, inconſulto domino, feudum alienare nequit: quod emphyteutae licet, modo denuntiet domino, an intra menſes duos iure *προτιμητεως praelationis* uti velit. (III) Tandem in feudo ſucceditur iure ſanguinis; mares, excluſis feminis, admittuntur; clericus & monachus feudo cadunt; pluribus de cauſſis amittitur: quae omnia in emphyteuſi non concurrunt.

§. III. Moribus ſerioris aevi variatus eſt emphyteuticus contractus & re & verbis, perque varias conventiones latius porrigi coepit: inde varias contractuum ſpecies emphyteuſis produxit. Audiatur Salmaſius (2): *Conſtat ad emphyteuſeos exemplar formata fuiſſe, & ab emphyteuſi originem duxiſſe omnia illa contractuum genera, quae barbarico ſaeculo imperii partim in eccleſiam introducta ſunt, partim in vitam civilem, precariarum, libellariarum, cenſuum, redituum.* Et Rollandinus (3) de emphyteuſi ſcribit: *Et contractus iſte ſecundum diverſas terrarum conſuetudines diverſis nominibus nuncupatur: dicitur enim emphyteuſis, precaria, libellus, cenſus, fictum &c.* Recte obſervavit Bartolus (4), multas de colendis

(2) *Diſquiſit. de mutuo.*
(3) *In Summa Notariae cap. 1. rubric. de notulis eccleſiarum.* (4) *In d. l. 1. C. de iur. emphyt.*

Digitized by Google

agris conventiones diverſis quidem nominibus appellari, re tamen ipſa idem eſſe ac emphyteuſin. Ita colonarius contractus, hodie apud colonos haud infrequens, cum nempe quis, ut liceat ſibi habere agrum, ſe heredeſque ſuos ad certam penſionem quotannis ſolvendam obligat, nihil eſt aliud, quam emphyteuſis, non illa quidem in Codice deſcripta, ſed quam illius exemplo politia velut utilem recepit.

§. IV. Ex emphyteuſi itaque cum alii contractus, tum *precaria* orta eſt. Precaria eſt contractus, quo uſusfructus praedii eccleſiaſtici conceditur alicui ad certum tempus vel gratis, vel certa mercede conſtituta, ea tamen lege, ut elapſo tempore ad eccleſiam redeat, & plerumque accipiens aequivalens praedium ſuum eccleſiae pleno iure concedat. Leo Imp. (5) precariam vocat *uſusfructus ceſſionem*. Ex pacto precaria dabatur vel ad vitam accipientis, vel ad primum heredem coërcebatur, vel ad quartum, ac vero etiam quintum porrigebatur, ut ex vetuſtis chartis probat Dufreſne (6). Ne vero bona haec eccleſiae in perpetuum alienata viderentur, & poſſeſſores illorum proprii haberentur, renovari in ſingula quinquennia debebat (7). Eiuſmodi contractus in Gallicana eccleſia frequentiſſimus fuit, ut ex Conciliis & Capitularibus conſtat (8). Precaria di-

(5) *L.* 14. *C. de SS. Eccleſ.*
(6) *In Gloſſar. v.* precaria.
(7) Conf. *cap.* 1. *& ult. ext. de precar.*, & Filefac. *epiſc. de Eccleſ. Gallican. querela.*
(8) Vid. Dufreſne *cit. loc.* Lindebrog. in *Gloſſar. v.* precariae, Bignon. *not. ad Marculf. II.* 5. Cuiac. *in I. F.* 5. ceteroſque.

Digitized by Google

dicitur etiam *praestaria*. Certum est, nomina *precariae* & *praestariae* olim confundi solita fuisse, ut ostendit Baluzius (9). At nonnihil inter utramque discrimen erat. *Precaria* dicebatur charta, qua petitor rem precario accipiebat, ac censum aliasque conditiones impositas se impleturum promittebat; *praestaria* vero, qua quis rem in *praestitum* concedebat, & quibus legibus eam concederet exponebat. Ita eadem res respectu accipientis, cuius precibus dabatur, *precaria*; respectu vero episcopi vel abbatis id ius praestantis, *praestaria* dicebatur, uti scite Sirmondus (10). Iam vero precaria differt a *precario*, de quo in iure civili; hoc enim est conventio, qua res propria alteri ad eius preces utenda datur, quamdiu concedenti placuerit. Convenit precaria cum feudo, quia uterque contractus tantum usumfructum transfert, in rebus immobilibus consistit, atque precariae & feudi possessor fundum alienare vetantur. Differt vero a feudo, quod in precaria nec fides & servitium, nec successio detur, ut est in feudo. Adhaec in precaria pensio penditur, & renovatio fit de quinquennio in quinquennium: quae in feudo locum non habent.

§. V. Libellaria sic dicta a libello, seu brevi charta, in qua describitur, ut Hotomano (11), Cuiacio (12) aliisque visum: vel a *libella*, idest,

(9) *Not. ad Reginon.*
(10) *In Capitul. 7. Caroli Calvi.*
(11) *In Lexico feudali h. v.*
(12) *Ad tit. C. de iur. emphyteut.*

Digitized by Google

parva libra aeris, ceu Weſembecius (13) & Connanus (14) arbitrantur. Vocatur etiam *libellarius contractus*, & *ius παροικικον colonarium*. Eſt autem libellaria, venditio quaedam rei eccleſiaſticae vel profanae, libello ſive ſcriptura interveniente facta, certo pretio, certaque in ſingulos annos penſione, hac plerumque lege adiecta, ut contractus condicto tempore renovetur, rurſus numerato pretio vel certo, vel arbitrario. Hic igitur contractus eſt vera alienatio. Hinc bona eccleſiaſtica prohibentur in libellariam (15) concedi, ſed in precariam permittuntur. Per libellariam enim deterior, per precariam melior fit eccleſiae conditio: cum & datum praedium recuperet extincto uſufructu, & inſuper aliud aequivalens ſtatim adipiſcatur. Eadem de cauſſa feudum dari ad libellum prohibetur (16). Differt autem libellaria a vulgari venditione; quippe quae ſine ſcriptura fieri poteſt, renovari non debet, & annuam penſionem non habet. Differt etiam ab emphyteuſi. (I) Quod ſemper renovanda. (II) Plus detur quam in emphyteuſi. (III) Non fiat ob melioration-em. (IV) Semper in perpetuum fiat. (V) Poſt biennalem moram committatur. (VI) Sine conſenſu domini vendi poſſit. Diſcrepat tandem a feudo, potiſſimum quia hoc fidei & militiae lege conceditur; libellaria non item: & ex contra-

(13) *Tract. de feud. tit.* 14.
(14) *Comment. iur. civ. lib. VII. cap.* 12. *n.* 12.
(15) Iuſtinian. *Nov.* 7.
(16) *II. F.* 9.

Digitized by Google

tractu libellariae rem possidens potest eam vendere, inconsulto domino; quod vassallo non licet.

§. VI. Ususfructus est ius alienis rebus utendi fruendi, salva earum substantia. Convenit cum feudo, quia fructuarius & vassallus naturaliter possident, meliorem praedii conditionem facere possunt, deteriorem non item, & porro fundum pignori dare nequeunt. Differt autem a feudo in his. (I) Fructuarius fidem & militare servitium non debet, ut vassallus. (II) Servitutem, ne consensu quidem proprietarii, praedio imponere potest (17); vassallus vero potest (18). (III) Formam aedium mutare, aut quidquam in area aedificare nequit; contra vassallus aedificia construere, melioresque feudi tractus reddere potest (19). (IV) Ususfructus sola concessione; feudum investitura constituitur. (V) Tandem in feudo est perpetua successio, quae in usufructu plerumque deest: factaque heredis mentio de primo, non ulteriore herede, intelligitur, cum ususfructus sit ius personae adhaerens, qua sublata & illud tollitur. Est quidem feudum ususfructus, sed feudalis, diversus a civili, de quo Romanae leges statuunt; pacto siquidem ad successorem in infinitum transit sub lege fidei & servitii, itaque proprietas domino inutilis non est, feudali usufructu semper abscedente.

§. VII. Superficies est ius aedificandi in alieno

(17) *L.* 17. §. *ult. D. de usufruct.*
(18) *II. F.* 8. §. *quid ergo.*
(19) *II. F.* 8. §. 2. *II. F.* 28. §. *si vassallus.*

Digitized by Google

no ſolo conducto aut etiam emto, conſentiente domino, ea lege, ut ſibi aedes in perpetuum vel ad tempus non modicum habeat ſub annuo ſalario ſive penſione. Id ius ἐμβατεύτικον, & ἐμβατικον dicitur. Superficiarius, ideſt in alieno ſolo aedificans pro annuae penſionis praeſtatione, licet in nonnullis inquilino ſimilis videatur, maius tamen in variis ius habet; nam & ſervitutes ſuperficiei imponere poteſt, & ipſam ſuperficiem vel uſum eius aut uſumfructum alteri legare, donare, pignori obligare, & in rem actione utili de ea experiri (20). Iam ſuperficies affinis eſt feudo, quia utroque contractu dominium utile transfertur, ambobus imponi ſervitus poteſt; tam ſuperficiarius, quam vaſſallus actione in rem, vindicatione ſervitutum ſuperficiei & feudo debitarum, ac interdicto *uti poſſidetis* experiri poſſunt. Differt vero a feudo, quia illa tantum in ſuperficie, hoc in ipſo rei ſolo conſiſtit: in ſuperficie annua dumtaxat penſio; in feudo fides & militia praeſtatur: feudum vendi, donari, locari nequit; ius vero ſuperficiarium poteſt.

CA-

(20) Vid. *tit. D. de ſuperficiebus.*

Digitized by Google

CAP. IV.

De divisione feudi, & primum de feudis propriis.

§. I. INcredibile dictu est in quot species plerique interpretum tribuant, immo discerpant feudum. Sed quemadmodum divisio prudenter moderateque instituta plurimum rem illustrat; ita intemperanter ac profuse facta magnam parit confusionem. Ut enim observat Seneca (1), *idem vitii habet nimia, quod nulla divisio: confusio est quicquid in pulverem sectum est.* Illae itaque divisiones, quae ad feudi naturam planius intelligendam conferre possunt, curatius exponemus, reliquas dumtaxat per summa capita recensebimus.

§. II. Praecipua feudi divisio est in *proprium* seu rectum, & *improprium*. De primo hoc capite; de altero agam in sequenti. Proprium est, quod *naturam & formam iure feudali constitutam integram, omniqne ex parte perfectam retinet*. Si enim ab essentia divertat, non feudum, sed aliud negotium orietur; sin a natura, improprium evadet; si demum accidens mutetur, feudum adhuc proprium remanebit. Huiusmodi feudi pro personarum concedentium, vel adquirentium conditione, pro rerum quae in feudum dantur qualitate, pro varietate pactorum investiturae adiectorum, aut effectuum & iurium, quae feudum

(1) *Epist. 90.*

Digitized by Google

dum parit, diverſae ſunt ſpecies, quas ſingulatim recenſebimus.

§. III. Ratione *adquiſitionis* feudum in *vetus* & *novum* tribuitur. Vetus eſt, quod *iure ſucceſſionis ad aliquem tranſiit*. Doctores hoc ſubdiſtinguunt in *antiquum* & *paternum*. Illud vocant, quod ab aliquo adſcendentium ultra quartum; hoc infra quartum gradum *incluſive* adquiſitum fuit. Haec diſtinctio inanis eſt, cum in iure feudali (2) feudum *paternum* & *antiquum* pro ſynonymis uſurpentur ad differentiam feudi *novi*, & effectu etiam nihil differant. Feudum vero *novum* eſt, *quod a primo adquirente initium habuit, & adhuc ſucceſſione ad alios non pervenit*. Quod itaque novum eſt, temporis ſucceſſu fit antiquum. Etenim cum primum ab aliquo adquiritur, & quamdiu ab eodem retinetur, novum dicitur; poſtquam vero ab eo ſucceſſionis iure in alios translatum eſt, adpellatur antiquum, vel paternum.

§. IV. Praecipua inter vetus & novum feudum diſcrimina haec ſunt. (I) Feudum novum ſola inveſtitura adquiritur (3); antiquum vero ſucceſſione, licet intra annum & diem petenda ſit inveſtitura (4). (II) In feudo novo tantum deſcendentes ſuccedunt [5]; in antiquo etiam collaterales (6). (III) Probandae novi feudi inveſtiturae tantum Pares Curiae; veteris autem omnes,

(2) *II. F.* 3. & 32.
(3) *I. F.* 25.
(4) *II. F.* 1.
(5) *I. F.* 1. §. *fin autem I. F.* 20. & *II. F.* 50.
(6) *II. F.* 50. *II. F.* 11.

Digitized by Google

omnes, praeter feminas, admittuntur (7). In novi feudi alienatione sufficit consensus domini & vassalli; at in antiqui etiam adgnatorum in investitura vocatorum consensu est opus (8). Ceterum saepe feudum antiquum in novum mutatur: quod potissimum fit *voluntate*, *refutatione*, & *felonia*. Vicissim feudum novum iure antiqui conceditur, tumque naturam adsumit feudi antiqui, & illius iure regitur non modo in persona primi vassalli, sed etiam omnium descendentium. Fuse de hac re iuris feudalis interpretes, & in primis Frid. Manzel (9), quem adi.

§. V. A qualitate rei sumta est partitio feudi in *ecclesiasticum* & *saeculare*; quorum illud in re ecclesiastica, hoc in profana constituitur (10). Utriusque discrimen a re, non a persona domini aut vassalli petendum est. Hinc saeculare erit feudum, si princeps laicus illud clerico vel ecclesiae largiatur (11): aut clericus non de bonis ecclesiasticis, sed propriis feudum concedat (12). Cum aliis de causis, tum principum munificentia in Gallia, Germania, Italia, aliisque regionibus, feuda in ecclesias & monasteria confluxerunt: qua de re consule prae ceteris Iust. Hennig. Boëhmerum (13).

§. VI.

(7) *II. F.* 32. & 58.
(8) *II. F.* 39. *II. F.* 3. *Sed autem.*
(9) *Diss. de eo quod refert feudum esse antiquum, vel novum iure feudi antiqui concessum.* Adde Phil. Hoffmannum *diss. de differentiis feudi novi & antiqui.*
(10) *II. F.* 40. *II. F.* 35.
(11) *Cit. tit.* 40. (12) *Dict. tit.* 35.
(13) *Diss. de feudis ecclesiasticis.*

Digitized by Google

§. VI. Ab effectu feudum in *nobile* & *non nobile* diſpeſcitur. Primum vaſſallum nobilitat, non item alterum : ut autem feudo nobilitatis iura translata intelligantur, in concedente nobilitandi poteſtas & voluntas requiritur (14). Nobile dividitur in *regale* & *non regale*. Regale eſt, quod proxime ad regalem dignitatem accedit, uti ſunt ducatus, marchionatus, & comitatus [15]; item regnum, quod aliquando in feudum conceditur, electoratus, & principatus. Non regale eſt, cui minor dignitas eſt adnexa [16]. Ceterum in interpretanda inveſtitura, cuiuſque regni leges & conſuetudines ſervandae ſunt, adeo ut, licet inveſtiturae verba regalem quamdam dignitatem ſignificare videantur, intelligenda potius ſint de ſingulari honore, quo vaſſallum princeps ornare, quam de maioribus regalibus, quae in eum conferre voluerit.

§. VII. A diverſitate pactorum feudum aut *ligium*, aut *non ligium* eſt [17]. Primum a ſolis ſupremis principibus alicui ſuperiorem aliquem non adgnoſcenti datur ea lege, ut adverſus quemcumque, nemine prorſus excepto, defendatur. Dictum eſt ligium; quia vaſſallus arctiſſimo fidei vinculo ſeniori ſuo *ligatur* (a).

Non

(14) *II. F.* 10.
(15) *II. F.* 10. 55. §. 1.
(16) *Cit. tit.* 10.
(17) *II. F.* 7. 52. §. 2. & 55. §. *ult. in fin.*
(a) Vocem *ligium*, quae II. F. 28. *contra omnes*, & II. F. 55. occurrit, a latino *ligare*, quod reges eiuſmodi vaſſallos, in ſignum addictionis nexus, pollicibus ligatis inveſtirent, vel a *liga*, quod ſit alligatio fidei, derivant com-

Digitized by Google

Non ligium est, quod a quocumque conceditur, sed ita, ut vassallus non cogatur dominum tueri contra quemcumque (18). Quare idem nequit plurium dominorum esse vassallus ligius; at non ligius, aut unius ligius, aliorum non ligius esse potest. Eiusmodi feuda primum in Germania orta videntur, qua civilibus bellis conflagrante, castra in abruptis plerumque montibus extructa receptaculo erant fugientibus. Hinc domini castra haec territorii sui dabant in feudum vel ea lege, ut contra quemlibet dimicarent, unde *ligia* feuda; vel excepto Caesare, aut dynasta aliquo, unde *non ligia*, audiri coeperunt (*b*).

§. VIII. Tandem a loco feudum vel est *curtis*, vel *extra curtem*. In utroque definiendo mire dissentiunt interpretes (*c*). Feudum *curtis* definiunt

complures feudistae, Conf. Alteserra *de origin. feud. cap.* 8. At Germanicae originis vocem *ligium* esse & idem ac *ledig* denotare, tuentur Schilterus *ad ius feud. Alemann. p.* 14. Frider. a Sande *in comment. ad Consuetud. Gelriae part.* 1. *cap.* 1. §. 25. aliique. In S. Bernardi *epist.* CCCXX. occurrit *ligia fidelitas*. Et Honorius III. *cap.* 13. *de cleric. non residentib. in V. Decretal. compilat.* usurpat *ligiam residentiam*, quae a clericis in suis titulis impendenda est.

(18) *Cit. loc.*

(b) Conf. Io. Iac. Gerckenrod *diss. de feudis ligiis & non ligiis*, atque Ludov. Siegfridum *diss. de feudis ligiis.*

(c) Non solum de vero feudorum *in curte & extra curtem* intellectu, sed etiam de originatione vocis *curtis*, diversae sunt virorum doctorum sententiae. Struvius in *Syntagm. iur. feud. cap.* 4. *aphor.* 18. eam ab antiqua voce latina *Cors*, quae locum conclusum sub dio ante aedes, ac speciatim ante aedes principum (monente Vossio *de vitiis sermon. lib. III. cap.* 7.) significat, arcessit. Con-

Digitized by Google

niunt nonnulli, quod est *in curte seu territorio domini*: alii vero esse aiunt, *dum fundus, vel reditus, vel ius ad curiam domini spectans, in feudum conceditur*. Feudum vero extra curtim est *res a domino extra territorium vassallo sub lege fidelitatis, & aliquando etiam praestandorum servitiorum concessa*. Dari dominium directum in alieno territorio posse, evicerunt Burch. Struvius (19), & Ludov. Boëhmerus (20). Bohëmia multa feuda extra curtem in Germania possidet. Multa feudorum extra curtem exempla congerunt Io. Guil. de Goebel (21), & Christ. Rehfeldtus [22].

§. IX. Non omnes recensitae feudi proprii species in Regno nostro obtinent. Feudum *ligium* & *non ligium*, itemque *curtis* & *extra curtem*, prorsus ignotum est. Feudum *nobile*, & *ecclesiasticum* a primis Regni initiis extitit. Feudum nobile a solo Rege confertur, eique adhoa, & relevium solvitur, ut ducatus, comitatus, marchionatus, baronia. Eiusmodi feudum *in capite* appellatur in iure nostro (23), & ab inter-

Contra Lipsius *de re milit. Roman. dial. IV.* aliique a Graeco χορτος, *gramen*, derivant. Sed vocabuli *curtis* primordia vel in antiqua Gothorum voce *Gord* vel *Goerde*, quae locum septum significat, vel in veteri Saxonum *Coord*, quod iudicium denotat, quaerenda esse, docent Io. Loccenius *in explicat. peregrin. diction.*, Henric. Spelmannus *in Glossar. voc.* curtis, aliique.

(19) *Comment. de dominio directo in alieno territorio.*
(20) *Exercit. de iudice feudorum extra curtem.*
(21) *Diss. de feudis extra curtem.*
(22) *Diss. de feudis in curte & extra curtem.*
(23) *Const.* ut de successionibus *lib. III. tit.* 27.

Digitized by Google

terpretibus *immediatum* (*d*). Dicitur etiam *quaternatum*, quod in quaternione, hoc est volumine feudorum Regni, descriptum sit (*e*).

§. X. Ecclesiae ac monasteria baroniis, castris, civitatibus & feudis munificentia Regum Nortmannorum, Suevorum, Andegavensium, ce-

(d) Reges nostri in feudalibus concessionibus adhibebant formulas, *teneri in capite a R. Curia*, & *teneri ab alio*. Prima significabant feudum, cuius concessio ad Regem solum pertinebat; secunda vero subfeudum, quod a Rege & Barone simul dabatur; vel solius Baronis intervenibat adsensus, quo feudum *planum militare*, *vel rusticum* constituebatur. Postea Andreas de Isernia induxit nova vocabula *immediate*, & *mediate*. Verbo *immediate* significavit feudum, quod a Rege confertur, dictum antea *teneri in capite*; voce autem *mediate* designavit subfeudum, quod ab alio, non a Rege tenetur. Hoc loquendi genere usi sunt Afflictus, Camerarius, Freccia, aliique nostrates beneficiariae disciplinae doctores.

(e) Vox *quaternati* occurrit in const. *si quis baro lib. III. tit.* 13. Const. *dignum lib. I. tit.* 44. & Const. *post mortem lib. III. tit.* 25. Primus Andreas de Isernia, inde Camerarius, ceterique interpretes distinxerunt inter feudum *απλως simpliciter quaternatum*, & feudum *quaternatum κατα τι secundum quid*, quod consuetudines feudales *subfeudum*, ius Gallicum *retrofeudum* adpellat: inque iure nostro feudum *teneri ab aliquo* dicitur, Const. *si quando lib. III. tit.* 10. Const. *si quando aliquem lib. II. t.* 7. & Const. *quia frequenter lib. III. t.* 9. De feudo *quaternato secundum quid*, itemque *plano ac de tabula*, fuse in nostro *de subfeudis* commentario disputabimus. Ut in viam regrediamur, *quaternatum* dictum est feudum a volumine, quod *quaternio*, seu *quinternio* vocabatur, in quo adnotatum erat. Sub Nortmannis *terrarum*, *feudorumque distinctiones*, *ritus & instituta Curiae* continebantur in *libris consuetudinum quos defetarios* appellabant, qui in Panormitano tumultu sub Gulielmo I. perierunt, uti dictum *in hist. iur. feud. part. II. cap.* 5. Sub iisdem Nortmannis feudo-

Digitized by Google

ceterorumque locupletatae sunt. Qua in re excelluit Rogerius I. quem *ecclesiarum & monasteriorum munificum & protectorem* adpellat Telesinus (24). Hinc episcopatus & archiepiscopatus bene multi Regni nostri feuda possident, eorumque antistites, utpote etiam barones, iurisdictionem civilem in homines feudi per Officiales exercent. Qui hic sine piaculo praeteream archiepiscopatum Salernitanum, cui Gulielmus Dux feudum Olibani & Montis Corbini elargitus est? De eo testatur Romualdus Salernitanus (25): *Hic Salernitanae ecclesiae omnia, quae Robertus Dux avus eius, & Rogerius Dux pater eius denave-*

rant

rum investiturae, pacta, qualitates, concessiones, fines, pertinentiae, aliaque id genus, descripta erant in *quaternionibus* seu *quinternionibus R. Dohanae*. Eorum mentio in Const. *Magnae Curiae lib. I. tit. 4.: De Comitatibus, videlicet baroniis, civitatibus, castris, & magnis feudis, qui in quaternionibus Dohanae vestrae baronum inveniuntur inscripti*. Et in Const. *Iustitiarii nomen lib. I. t. 44.* legitur: *De castris, & baroniis, & magnis feudis, quae in quinternionibus Dohanae nostrae scripta sunt, quae omnia singulariter cognitioni nostrae Curiae reservamus*. Conf. etiam Caroli II. capitulum *ad tollendam quidem*. Fuit olim Archivum, vulgo *Regiae Sicilae* dictum, quod erat prope locum, qui vocatur *Sicla*: nunc *Regiae Camerae Summariae*, ubi Alphonsus I. omnia servari iussit. In hoc extant *Quinterniones*, in quos referuntur feudorum quaternatorum privilegia, investiturarum, donationum regalium totius Regni, item regii assensus, & relationes feudorum. Diversum ab illis est *Cedularium*, sive codex, in quo continentur servitia, adohae & relevia, quas Regni barones Regi debent. Vid. Toppium *de orig. tribunal. lib. II. cap. 4. tom. 1.*

(24) *Hist. Sicul. lib. IV. cap. 3.*

(25) *In Chronic. ad an. MCXXIII.*

Digitized by Google

runt, confirmavit, & Iudaiscam pro magna parte edimuit. Castrum Olibani reddidit, & totam Palestinam ecclesiam moriens reliquit. E monasteriis potissimum Ordo Benedictinus divitiis feudisque ditatus est. Hinc Abbas Casinensis *primus Regni Baro* audit, civili & criminali iurisdictione gaudet, inque generalibus Regni Comitiis per procuratorem sedet. Castra & praedia aliis in subfeudum concedebat, sibique valvasinos creabat. In Catalogo baronum Regni (*f*) legitur, Abbatem Casinensem Gulielmo II. pro sacra Expeditione obtulisse LXX. milites, & CC. servientes. Qui feuda ecclesiarum & monasteriorum Regni nosse cupit, is adeat Ughellium (26), & Pirrhum (27).

CAP. V.

De feudis impropriis.

§. I. QUemadmodum feudum *proprium* naturalia omnia feudi retinet; ita *improprium* est, *quod a propria feudi natura recedit, partim ex dispositione iuris alis, partim ex pacto contrahentium.* Pro ...torum diversitate permultae sunt huiusmodi feudi species; quot

(*f*) Antiquissimum hunc feudatariorum Regni catalogum, qui sub Gulielmo II. Siciliae Rege compositus fuit, ex Codice MSto Archivi R. Camerae, in lucem extulit Carolus Borellus in *Vindice Neapolitanae nobilitatis*.

(26) *In Italia Sacra*.

(27) *In Sicilia Sacra*.

Digitized by Google

quot enim modis conventione aliquid naturae feudi detrahitur, totidem improprium feudum exſurgit. In primis improprium evadit feudum ratione aut *adquiſitionis*, aut *rei in feudum datae*, aut *ſervitiorum*.

§. II. Adquiſitione improprium eſt feudum *femininum*, *pignoratitium*, & *oblatum*. Femininum bifariam accipitur: vel pro feudo, de quo femina primum inveſtita eſt (1), quod ratione deſcendentium *maternum* poſtea vocatur (2): vel pro feudo, quod a mare adquiſitione pervenit ad mulierem, ob pactum, ut ea etiam ſuccederet. Corrupti populorum mores feminis ſucceſſionem feudorum detulerunt, quae eorum ſunt praemium, qui domi militiaeque deſerviunt reip. Quare feudum femineum eſt improprium, quia recedit a natura feudorum, quae feminas excludit (3). Femina vero, deficiente demum mare, feudo ſuccedit (4): nec ad militaria vel aulica ſervitia tenetur, ſed per ſubſtitutum aut maritum ſerviet, vel ſumtus contribuet (5).

§. III. Feudum pignoratitium eſt, cum dominus, accepta certae pecuniae ſumma, feudum alicui concedit ea lege, ut ſibi liceat, reſtituta pecunia, illud redimere. Huiuſmodi feudum in conſuetudinibus feudorum fruſtra quaeritur: in Ale-

(1) *II. F.* 30.
(2) *I. F.* 15.
(3) *II. F.* 50.
(4) *II. F.* 17.
(5) *II. F.* 55. §. *firmiter*. Conf. Io. Gottl. Siegelium *diſſ. de feudo femineo proprio*, & Caſp. Beckium *diſſ. de feudis tranſmiſſione femininis*.

Digitized by Google

Alemannico autem iure invenitur. In eo interveniunt inveſtitura, fides & ſervitium: improprium tamen eſt, quia non conceditur ea mente, ut perpetuo penes vaſſallum maneat, ſed donec dominus pretium reſtituerit. Hinc a quovis herede, etiam femina, detineri poteſt, quamdiu pecunia reſtituta non fuerit (a). Cum hoc haud confundendum eſſe feudum, quod quis nudo pignore detinet, res per ſe loquitur.

§. IV. Feudum *oblatum* ſeu *recognitum* eſt illud, quo *dominus de re antea ipſi a vaſſallo ſub conditione inveſtiendi tradita vaſſallum ipſum inveſtit*. Duo igitur concurrant, neceſſe eſt: alterum, ut res, quae in feudum datur, a vaſſallo antea fuerit in dominum translata; alterum, ſub ea conditione, ut ſibi in feudum detur: quorum uno deficiente, feudum erit datum, non oblatum. Eiuſmodi feudum alii ad proprium, quidam ad improprium referunt. Thomaſius (6) aliique diſtinguunt inter feudum pro iure vaſſalli & domini ſumtum, & pro contractu feudali acceptum: priori modo ad proprium; poſteriori ad improprium ablegant. Iam feudum oblatum in Longobardia incognitum fuit. In Germania vero, ubi ortum eſt, frequentiſſimum extitit. Illud cum aliae cauſſae, tum metus patrimonii amittendi peperit. Quiſque enim in Germania dominatum concupiſcebat; undique

(a) Confer Sam. Strykium *diſſ. de feudo pignoratitio volum. VI. diſſ. n. 23.* Io. Gottl. Sigelium *diſſ. de feudo pignoratitio, re fundamenti & utilitatis egena*, & Ulric. Marbachium *diſſ. de feudo pignoratitio*.

(6) *Diſſ. de feudis oblatis §. 60. ſeq.*

Digitized by Google

rapinae, caedes, invasiones. Hinc ne quis bona sua amitteret, ea potentiori alicui, vel ipsi adversario, sibi retento utili dominio, offerebat. Ipsi Duces & Comites Imperii, ad obtinendam contra potentiores vicinos protectionem, territoria sua aliis potentioribus in feudum offerebant, hac via, translato in alium directo dominio, securitatem defensionis consecuturi. Quemadmodum ergo feuda *data* orta sunt, ut dominus haberet milites, a quibus defenderetur; ita ex adverso *oblata* prodierunt, ut vassalli defenderentur a dominis. Fuse argumentum hoc pertractant Thomasius (7), Hertius (8), Stryckius (9), Struvius pater (10), aliique.

§. V. Ratione rei imporprium est feudum, quod constituitur in re mobili, incorporali, vel quae usu consumitur. Eiusmodi inter alia est feudum *pecuniarium*, *iurisdictionis*, *soldatae*, *camerae*, *canevae*, *aedificii*, & *habitationis*. Feudum pecuniarium est, quod *a domino in pecunia cum iure percipiendi fructus alicui sub lege fidelitatis conceditur*. Sequioribus temporibus nulla fere res, ius nullum fuit, cui fidei nexus non adiungeretur. Eiusmodi feuda in Germania frequentiora fuerunt. In charta Hugonis Ducis Brabantiae an. MCCIV. (11) legitur: *Praedictus autem dominus Philippus mihi assignavit in feudo*

200.

(7) *Diss. de feudis oblatis T. II. Select. feudal. p.166.*
(8) Libro *de feudis oblatis*.
(9) *Opp. T. VII. disp. 14.*
(10) *Diss. de feudis oblatis*.
(11) Apud Dufresne *in Glossar h. v.*

Digitized by Google

200. *marcas argenti singulis annis*. Albertus Archiepiscopus Magdeburgensis an. MCCCXCVIII. vassallum quemdam de insigni pecuniae summa investivit ea lege, ut mortuo vassallo, eiusque descendentibus, eadem summa ad ecclesiam suam rediret. Ex instituto argumentum hoc persequuntur Andr. Mylius (12), Nic. de Lyncker (13), & Aug. Franckensteinius (14).

§. VI. Feudum iurisdictionis est *potestas iudiciaria a domino vassallo sub lege fidelitatis concessa in subditos*. Seriori aevo principes etiam iurisdictionem iure feudi concesserunt, ex qua vassallus poenas, bannum, seu mulctas, aliaque lucra colligeret. Ita iurisdictio esse in commercio coepit; nempe vendi, pignorari, in dotem dari, a territorio separatim adsignari, ita ut in castro unus civilem, alter criminalem iurisdictionem iure feudi haberet: immo dabatur iurisdictio sine territorio, & vicissim. Aevo Imp. Caroli IV. nonnulli allodiorum possessores *bannum* sanguinis iure feudi obtinuerunt. In Germania Imperatores, Electores, Episcopi, & Archiepiscopi feudum iurisdictionis concessere. Fuse de hac re Christ. Gottlieb Buderus (15).

§. VII. Feudum soldatae est *annua praestatio certae pecuniae, vel* etiam *annonae ad vitam alicui sub lege fidei & operae militaris*. Nomen accepit a Germano *sold*, *stipendium*, vel a solidis, quia

(12) *Diss. de feudo in pecunia consistente*.
(13) *Diss. de feudo pecuniario*.
(14) *Diss. de feudo in pecunia constituto*.
(15) *Diss. de feudo iurisdictionis*.

Digitized by Google

plerumque in solidis, seu pecunia, nonnunquam in annonae praestatione consistit (*b*). Praestatio haec non transit ad heredes, utpote personae vassalli adhaerens. Eiusmodi feudum distinguitur in *camerae*, & *cavenae*; quae etiam morte vassalli expirant. Feudum camerae est, *cum princeps certos reditus pecuniarios ex camera sua quotannis alicui ad vitam solvendis lege fidei & servitii adsignat*. Camera denotat conclave seu aerarium principis, in quo pecunia servatur, & hic sumitur pro annuae pecuniae praestatione, sive pensione. Quare ab aliquibus eodem sensu accipitur quo soldata, nisi forte quod soldata aliquando in re alia consistit, camera semper in pecunia. Huiusmodi feudi crebra apud Gallos, Alemannos, Italos, aliosque mentio. Raymundus Apuliae princeps, ubi vassallus Alexii Comneni evasit, pactus est *accipere pensione annua e regiis thesauris talenta ducenta monetae, for-*

(b) Feudum itaque soldatae consistit in nummaria pensitatione. Hinc orta distinctio *militum*, & *solidariorum*, seu *servientium*. Milites dicebantur nobiles, qui praedia tenebant ea lege, ut domino militarent. Solidarii & servientes erant plebei, qui certo tot solidorum stipendio vice feudi merebant domino. De his Robertus Montensis ad an. MCLX.: *Nolens vexare agrarios milites, capitales barones suos cum paucis secum duxit, solidarios vero milites innumeros*. Idem ad an. MCLXI: *Rex vero Henricus obsedit praedictum castrum, & illico cepit, in quo erant 35. milites, & quater viginti servientes*. Haec feudi species *serganteria feudalis* dicta est, quae quandoque etiam in modico praedio constituebatur sub lege militaris, vel alterius servitii. Feudum *parvae serganteriae* ex tabulis Ioannis Anglorum Regis memorat Matthaeus Paris. *ad an. MCCLVI.*

Digitized by Google

formam & qualitatem habentis Domini Michaëlis (c), *qui prius imperavit*, uti refert Anna Comnena (16). Feudum vero cavenae, seu canevae dicitur, *cum vassallo ex cellario domini, feudi nomine quotannis ad vitam* usque praestatur annona. Cavena significat cellam (d), & hoc loco erogationem vini, frumenti, alteriusve annonae. Inopia nummorum barbaricis temporibus hoc feudum protulit; ob quam principes e cella sua alimenta iure feudi militibus praebebant. Sic Galbertus *duas quadrigatas vini* a Duce Nortmanniae *in feudo* percipiebat *singulis annis*, teste Orderico Vitali (17). Plura dabit Matth. Roeschius (18) & Petrus Schultzius (19).

§. VIII.

(c) Haec pecuniae species *Michaëlis* dicta a Michaële CPolit. Imp. Rem conficit Tyrius *lib. II. cap.* 12.: *Quaesivit, quae sit debiti summa: cui responsum est, 30. millium Michaëlitarum, quod genus aureorum tunc in publicis commerciis erat celebre, a quodam Imperatore CPolitano, qui eam monetam sua fecerat insignem imagine signari.*

(16) *In Alexiade lib. XIII. in fin.*

(d) *Caneva*, & *Canava* cellam vinariam apud veteres designat: quo sensu usurpatur ab Ennodio *epigr.* 43. S. Caesarius Arelatens. *in Regul. ad Virgines cap.* 30.: *Quae cellario, sive canavae, sive vestibus praeponuntur.* Apud Victorem Uticens. *lib. II. de persecut. Vandal.* sumitur *Cannava* pro ergastulo, seu cavea. Hinc *Canevarius* dictus, qui cellae vinariae curam habebat. Sic Acta SS. Iunii tom. 1. de S. Gerardo: *Qui Canevarius erat &c.* Apud eumdem Caesarium in *Regula ad Virgines cap.* 28. occurrit *Canavaria*, ideſt, *Canavae* custos. Iam Cangius *in Gloſſar. v.* feudum adfirmat, feudum *Canevae* idem esse atque feudum *Camerae*, qua in re lapsus est.

(17) *Lib. VI. hist. eccles.*

(18) *Diss. de feudis de Camera & Caneva.*

(19) *Diss. de feudo gratiae.*

Digitized by Google

§. VIII. Feudum aedificii eſt, *cum dominus vaſſallo domum concedit in perpetuum, vel ut conventum eſt, ut eius habitationem & utile dominium habeat*. Plura huius feudi exempla ex antiquis chartis congeſſit Henric. Klotzius (20). Ab eo differt feudum habitationis, puta *ius inhabitandi certas aedes vel caſtrum alicui ad vitam conceſſum ſub conditione fidelitatis*; hoc enim nudam tribuit habitationem, & morte vaſſalli finitur. Nulla iſtius feudi mentio in uſibus feudorum, ſed tantum in Capitulis Extraordinariis (21). Memoratur etiam in Charta de feudis eccleſiae Aquileienſis (22): *In Caſtro Utini, & in locis S. Viti & Medunae ſunt quidam habitatores, qui domos habitantiae, & bona plurima, & diverſa iura habitantiae, ſeu feudi habitantiae, ab eccleſia Aquileienſi recognoſcunt.*

§. IX. Tandem ratione ſervitiorum improprium eſt feudum, cum aut nulla, aut certa & determinata ſervitia praeſtantur. Prioris generis eſt feudum *francum*; poſterioris vero *guardiae, gaſtaldiae, advocatiae*. Feudum francum eſt, in quo vaſſallus ad ſervitia non tenetur, fidem tamen domino ſervare debet. Dicitur francum a Gallo *franc*, ideſt, *liberum* (23). Nulla huius feudi mentio iniicitur in conſuetudinibus feudorum, ſed dumtaxat in Capitulis Extraordinariis (24).

Re-

(20) *Diſſ. de feudo aedificii.*
(21) *Lib. IV. tit.* 105. *edit. Cuiac.*
(22) Apud Lunig. *in Ital. diplomat. T. IV. p. m.* 1665. & Anonymum *de feudis Patriarchatus Aquileienſis* editum a Muratorio *Antiquit. med. aev. diſſ. XI. ſub fin.*
(23) Conf. Dufreſne *in Gloſſar. h. v.* (24) *II. F.* 104.

Digitized by Google

Remittitur autem servitium vel *expresse*, si dissectis verbis id in investitura exprimatur; vel *tacite*, si dominus inhabilem investiat, aut servitia, quae nequeunt a vassallo praestari, praescribat. Eiusmodi feudum a servitiis quidem immune est; at in ceteris integram retinet feudi naturam: proinde vassallus nec illud sine consensu domini alienare, nec refutare, nec testari de eo potest. Saepe in veteribus chartis *allodium* adpellatur ob libertatem a servitiis, non ob immutatam undique naturam (*e*).

§. X. Feudum guardiae est *salarium*, *quod dominus vassallo adsignat pro custodia castri vel territorii*. Non ergo castrum ipsum, vel custodia est feudum, sed merces, quae ob custodiam conceditur. Dicitur guardia a Germanico *Warden*, *custodire* (25). Feudum gastaldiae est *merces vassallo adsignata, ut res domini administret.* Sic dictum est a *gastaldo*, qui administratorem, actorem significat (*f*). Vides heic stipendium

(*e*) Vid. Guil. Pagenstecherum *in prolusione academica de feudo franco non allodio*, atque Hübneri, & Pollmanni singulares dissertat. *de feudo franco*.

(25) Adisis Bitschium *Comment. iur. feud. ad I. F. 2.*

(*f*) Gastaldus, Castaldus, Gastaldio, Gastaldius Longobardis proprie est actor, vel procurator. Eos Longobardi instituerunt, qui Italia potiti, varios terrarum tractus Regi sustentando reservarunt. Rex autem reditus villarum agrorumque suorum, quas Longobardi *Curtes* vocabant, procurabant per Gastaldos, a quibus ipsa terrarum spatia *Gastaldata* sunt dicta. Eiusmodi Gastaldorum crebra in monumentis Longobardicis mentio. Lex Longobard. *lib. I. tit. 34. §. 1.: Si quis Gastaldus aut actor Regis Curtem Regis habens ad gubernandum.* Rursus

Digitized by Google

dium & mercedem pro labore alicui adſignatum *feudum* fuiſſe vocatum. Scite obſervat Hotomanus (26), barbarorum more poſitum, *ut quidquid alienum quocumque titulo haberent, tenerent, poſſiderent, id feudi nomine appellarent, non tamen proprie; feudi enim iure haec non cenſentur.* Temporibus Accurſii & Bartholi feudum pro re ac iure eum revocandi licentia conceſſo ſaepe acceptum fuiſſe, notat Io. Gottl. Gonne (27).

Feu-

ſus *lib. II. tit.* 17. §. 1.: *Si Gaſtaldus aut quilibet aſtor Regis, poſt ſuſceptas & commiſſas ſibi ad gubernandum curtes aut caſas Regis.* Longobardorum itaque Gaſtaldi non feudatarii fuere, ſed procuratores regiarum villarum, quo nomine ſtipendium laborum accipiebant. Eccleſiae quoque ſuos Gaſtaldos habuere, *can.* 1. *quaeſt.* 3., qui ſcriptoribus Oeconomi, Advocati, & Vicedomini paſſim appellantur. Sed exinde vox Gaſtaldus translata eſt ad praefectos civitatum, qui ſub Ducibus erant. Hinc *Gaſtaldus Tuſcanenſis* apud Anaſtaſium in *vit. PP. p.* 76. *Caſtaldus Beneventanus, Capuanus*, apud Leonem Oſtienſ. *lib. I. Chronic. Caſſin. cap.* 21. & 26. Idem *lib. II. cap.* 3. meminit Rainerii *Gaſtaldi Seranae civitatis*. Gaſtaldorum praecipue munus erat, ſubiectis populis ius dicere, iudiciiſque praeeſſe, uti conſtat ex conſtitutione Pipini Regis in Lege Longob. *lib. II. tit.* 52. §. 19. Pandenulpho *Caſtaldo* ſcribit Ioannes P. VIII. *ep.* 215. & 217. quem alio loco *iudicem Capuanum* appellat. Eorum tamen iuriſdictio in plebem tantum porrigebatur, non in nobiles, aut vaſſos Dominicos, qui ſolis Ducibus aut ſupremis provinciarum praefectis ſubiecti erant. Tempore belli ſubditos in exercitum conducebant; nam & horum quoque munus militare fuiſſe, docet Lex Longobard. *lib. I. tit.* 15. Et Anaſtaſius in Gregorio II. tradens, *Longobardos paene trecentos cum eorum Gaſtaldione interfectos* a Neapolitano Duce in Cumani Caſtri recuperatione. Vide Erchempertum *in Hiſt. Longob. n.* 15. & 62.

(26) *In I. F.* 2.

(27) *In Commentario de feudo gaſtaldiae.*

Digitized by Google

Feudorum guardiae & gaſtaldiae mentio ſit in I. F. 2. licet hic titulus cum duobus ſequentibus in optimo Codice deſint, teſte Cuiacio (28). Occurrunt ſane in Capitulis Extraordinariis (29). Sequiori demum tempore, quo nihil non in feudi leges compoſitum, haec feuda inventa ſunt, nec tantum praedia, ſed alia quaecumque commoda & emolumenta in feuda guardiae ac gaſtaldiae conceſſa fuere, licet ipſa guardia & gaſtaldia praedii, immo feudi cauſſa fuerit inſtituta. Utraque elapſo anno, aut vaſſallo intra annum defuncto, extinguuntur (30): unde *perſonaliſſima* doctoribus audiunt.

§. XI. Feudum advocatiae eſt *utile dominium in ea ratione officii protegendi dominum ſub lege fidelitatis conceſſum*. Quotuplices erant advocatiae, tot etiam ſpecies feudi advocatiae. Erat autem advocatia aut *togata*, qua patrocinium in cauſſis diſceptandis praeſtabatur, aut *armata*, qua provincia, civitas, eccleſia armis defendebatur adverſus potentiores. Utraque vel *honoraria* erat, cum nulla penſitatio aſſignabatur, vel *ſtipendiaria*, cum, ut tutelam civitatibus vel eccleſiis praeſtarent advocati, non modica bonorum pars attribuebatur: quod quidem vel clientelari iure fiebat, adeo ut ab ipſis civitatibus vel eccleſiis in feudum iſthaec poſſiderent; vel nuda traditione & ſine ullis ſervitiis feudalibus:

(28) *In I. F. 1.*
(29) *II. F. 94.*
(30) *I. F. 2.*

Digitized by Google

bus : hinc advocatiae aliae *feudales*, aliae *non feudales*. Feudales iterum in *laicas* & *ecclesiasticas* dividuntur. Illae in custodia alicuius civitatis, vel provinciae consistebant; hae vero in tenementis vel annuis pensitationibus, quae advocatis assignabantur de dominio ecclesiae vel monasterii, cuius iura & possessiones tueri tenebantur. Barbaricis temporibus nihil in imperio & ecclesia frequentius eiusmodi advocatiis. Non privatae modo personae, sed etiam provinciae, urbes, ecclesiae, monasteria mundeburdio, seu tutelae alicuius principis, ducis, comitis se se committebant, ut bona iuraque conservarent sua adversus potentiores. Exempla congerunt Mager (31), Thomassinus (32), Mabillonius (33), Mundoltzheim (34), aliique. Advocatis hisce dabatur annuus census ex ecclesiae vel monasterii reditibus, qui lapsu temporis in feudum dari coepit, ut & praedia nonnulla. Feudi advocatiae mentio fit in libris feudorum (35). Gregorius X. (36) abusum advocatiae ecclesiasticae queritur; quae tandem saeculo XIV. ob advocatorum in usurpandis ecclesiae bonis insolentiam defierunt.

§. XII. Sunt duae feudorum species, puta, *hereditarium*, atque *ex pacto & providentia*, de quibus ambigitur ad propriumne, an ad improprium?

(31) *De advocatia armata cap. 5.*
(32) *De nov. & veter. eccles. discipl. par. III. lib. II. cap. 56.*
(33) *In praef. saec. III. Benedict. §. 8. obs. 37.*
(34) *Diss. de feudo advocatiae §. 2. seqq.*
(35) *II. F. 32. §. 7.*
(36) *Cap. XIII. de elect. & elect. potest. in VI.*

Digitized by Google

prium, & quando sint referendae. Partitio haec a primis consuetudinum feudalium interpretibus Bulgaro & Pileo protrusa est, qui de feudis cum qualitate hereditaria & ex pacto differuerunt. Quid sit feudum hereditarium, quid ex pacto & providentia, tanta est inter feudistas concertatio, ut *imperatoria auctoritate* opus esse scribat Rosenthalius (37) (*g*). Utrumque omnes fere ita definiunt, ut definitiones ac nominibus quidem rerum definitarum satis congruere videantur. Equidem feudum hereditarium esse aio, quod ex investitura qualitatem hereditariam & quidem feudalem accipit, ac iure heredis adquiritur; velut si dicatur, *concedo tibi, tuisque heredibus*. Vox *heredis* investiturae adiecta feudum constituit hereditarium, in quod sine iure heredis succedi nequit. Quod vero iniecta heredis mentio feudalem, non quamcumque qualitatem praebet, non quicumque heredes vasallo existunt in feudum succedunt, sed tantum descendentes, extraneis exclusis. Ita feudalis, non Romani iuris ratio, secundum quam heredum appellatio latissime patet, & extraneos quoque complectitur, habetur. Potest quidem concedi

(37) *Tract. de feudis* 11. 33. *n.* 1.

(*g*) Consule Gottfr. Ludov. Menckenium in *prolusione academica de logomachiis & dissentionibus iuris feudalis Interpretum circa divisionem feudorum in hereditaria atque ex pacto & providentia*, Henric. Rhotium *diss. de feudo hereditario*, Io. Frid. Koenigium *diss. de differentiis feudorum hereditariorum, atque ex pacto & providentia*, Th. de Marinis *de feud. ex pacto & prov.* Pistor. *lib. II. Quaest.* 1. ceteroscque.

Digitized by Google

cedi feudum hereditarium, in quod vel extranei heredes ſuccedant, cum quodlibet pactum legibus boniſque moribus non adverſum in feudi conceſſione inſeri queat. At quid iuris, ſi *alicui & heredibus*, multoque magis ſi *alicui & heredibus quibuſcumque* datum ſit? Si nihil aliud fuerit adiectum, feudum hoc modo conceſſum erit proprium, ſuccedentque dumtaxat primi adquirentis deſcendentes, extraneis heredibus prorſus excluſis. Nimirum in dubio feudum potius *proprium*, quam *improprium*, potius *maſculinum*, quam *femininum*, eſt pronuntiandum; quippe cuſtodienda eſt lex, quae certam eſſe voluit feudi naturam, niſi alia lege, vel contrahentium pacto ei derogatum adpareat. Itaque cum duplex eſſe poſſit heredis ſignificatio, vel ut deſignentur omnes, qui iure civili ad ſucceſſionem admitti queunt (38), vel ii dumtaxat, quos ius feudale vocat, cumque prior feudi naturam immutet, poſterior conſervet; illa potior habenda eſt, quamvis feudum pro heredibus quibuſcumque conſtitutum videatur; tamen eadem ſemper dubitatio occurrit, utrum intelligendi ſint tantum heredes quicumque iure feudiſtico, an generaliter quicumque admittuntur iure civili. Sed omne amovent dubium conſuetudines feudales (39), in quibus vox *heredis* filium marem ſonat, ac proinde idem ſignificat mentio heredum maſculorum, immo dumtaxat here-

(38) *L.* 170. *D. de V. S.*
(39) *F. F.* 1. §. 2. *I. F.* 5. 8. 13. 14. *II. F.* 17. 18. 26. *v. feudum*, & 34. §. 2.

Digitized by Google

heredum, ac mentio filiorum, aut descendentium masculorum. Quid quod inquit Feudista (40), nomine heredis masculi filium masculum designari? Quare merito reiecta est species feudi hereditarii mixti, a nonnullis interpretibus excogitata, in cuius nempe investitura adiecta est mentio *heredum & successorum* (41).

§. XIII. Feudum ex pacto & providentia vulgo dicunt, quod alicui concessum est, & filiis, vel descendentibus, aut etiam nulla facta mentione filiorum, vel descendentium, inque illud succedit adgnatus, etsi heres defuncti non sit: veluti si dicatur, *concedo tibi*, vel concedo *tibi, & liberis tuis*, vel *descendentibus*. Eam ob caussam sic appellant, quod ex peculiari pacto vel expresso, vel subintellecto, simulque ex iuris providentia descendentes ad feudum vocati sint. Cur feudum hoc eo nomine vocetur, non satis teneo. Cum enim dico ex pacto, id dicere videor, quod vim suam accipit ex pacto adiecto, quo quis sibi, aut etiam aliis consulere voluit, quod pactum si non esset adiectum, utilitas, quae optabatur, non caperetur; quam ob caussam feudum hereditarium dicenda esset species feudi ex pacto & providentia, propterea quod tale efficitur conventione; dum autem adiicio ex providentia, scilicet legis, indico feudum proprium; ac proinde ea verba coniungens, feudum partim improprium, partim proprium.

(40) *I. F.* 13. §. *& si clientulus*.
(41) Vid. Henric. de Cocceii *diss. de feudo hereditario mixto*.

Digitized by Google

§.XIV. Ceterum ex impropriis feudis in Regno noſtro haud obtinuerunt feudum *pecuniarium*, *francum*, *guardiae*, *gaſtaldiae*, *ſoldatae*, *habitationis*, aliaque; ſed tantum *iuriſdictionis*, itemque *camerae*, dum nempe Rex annuas penſiones in feudum concedit, ſine certi corporis deſignatione, a generali Theſauraria exigendas: qua de re Camillus de Curte (42), & Ioſeph de Roſa (43).

CA-

(42) *In Diverſor. iur. feud. part.* 1. *n.* 39.
(43) *In praelud. feudal. lect.* 11. *n.* 9.

Digitized by Google

CAP. VI.

De alodio.

§. I. FEudo opponitur *alodium*, & feudalibus bonis *alodialia*, seu *burgensatica*. De his, ut opposita iuxta se posita magis eluceſcant, nunc ediſſerendum est. *Alodis*, *alodus*, *alodium*, *alaudum*, *allodium &c.* voces sunt eiusdem originis ac notionis, quae varie in vetustis chartis & apud scriptores exarantur: ac *alodis* quidem fere semper in Legibus, Capitularibus, & Formulis antiquis (*a*). Est autem *alodis* vel *alodium* quodlibet *praedium*, ideſt possessio, hereditas, quae propria est. In constitutione Caroli M. (1) legitur: *praedium*, *ideſt*, *alodium habuerit*. Charta Rorigonis Comitis an. DCCCXXXIX: *Meae Praedium possessionis hereditariae*, *hoc est*, *alodum nostrum*. In Capitulis

(a) De alodii etymo non idem omnibus sedet. Cuiacius *alodium* dictum putat, quasi sine *lode*, quod eius possessor nemini sit *leodes*, ideſt vassallus. Alii *alodium* sive *alaudium* vocem faciunt compositam a praepositione negativa *a*, & verbo *laudare*, ideſt *recognoscere*, quod ea bona qui possidet neminem recognoscit superiorem dominum. Quidam *allode* derivant ab *all*, *omne*, *totum*, ita ut significet *proprium*, & quod integro plenoque dominii iure tenetur. Alii alias comminiscuntur originationes. Sed doctiorum plerique vocem esse primigeniam Gallicam vel Francicam putant, quae praedium & rem proprietario iure possessam denotat.

(1) *Lib. II. LL. Longob. tit.* 8. *l.* 9.

Digitized by Google

Caroli C. (2) *honor* seu *beneficium* distinguitur *ab alodo*, seu praedio proprio; quippe *beneficium* erat ad vitam; *alodus* seu *praedium*, hereditas, proprietas. In Capitularibus Caroli M. (3), & legibus Salicis (4) *alodis* hereditatem significat. Sic etiam *alodis parentum* in Formulis Marculfi (5). Hariulfus (6): *Paternae hereditatis, quam nostrates alodium vel patrimonium vocant.* In Pancharta Nigra Turonensi (7): *Alodum meum proprium, quem hereditavi:* nam quae hereditario iure possidentur; sunt propria possessorum. In Capitulari Compendiensi Caroli Calvi an. DCCCLXVIII. (8) *alodis* & *proprietas* confunduntur. Ioannes P. VIII. (9): *Proprietates, quas vos alodum dicitis.* Est igitur *alodium*, praedium proprium ac liberum, nullique praestationi aut servitio obnoxium, ita ut pro arbitrio ad heredes transmittere, vendere, commutare, aut donare possimus: quam Francicam vocem Feudistae, quatenus opponitur feudo, emphyteusi, aliisque bonis, quorum usum vel usumfructum quis possidet, penes alium remanente dominio, iamdiu usurpare solent.

§. II. Allodialia praedia vocantur etiam *burgensatica*, quod possideri poterunt a *burgensibus*, ideſt,

(2) *Tit.* 19.
(3) *Lib. I. cap.* 132. *lib. III. cap.* 20. 81.
(4) *Cap.* 62.
(5) *Lib. I. form.* 12. *lib. II. form.* 4. 6. 9.
(6) *Lib. I. Chron. Centul. cap.* 15.
(7) Apud Beslium *p.* 209.
(8) *Cap.* 2.
(9) *Ep. CVIII. & CXXIX.*

Digitized by Google

ideſt, incolis burgorum, ſeu villarum clauſarum: unde feudalibus, quae nobilium erant, opponuntur. Sic in charta Roberti Regis noſtri an. MCCCXIX. (10): *Annuum redditum unciarum auri* 400. . . . *in burgenſaticis bonis, & non feudalibus*. In Epiſtola Friderici II. Siciliae Regis (11) memorantur bona *feodalia & burgoſatica Regni noſtri*. Nec ſemel *burgatica* dicuntur Matthaeo Paris. De burgenſium origine, iuribus, rebuſque ceteris ad eos pertinentibus, fuſe differit Bruſſel (12), quem adi.

§. III. In dubio bona omnia alodialia, non feudalia praeſumuntur, cum in pari cauſſa & utrinque incerta unaquaeque res priſtinam ſuam naturam habere cenſeatur, & conſtitutio feudi ſit facti, adeoque probanda. Generatim in dubio pronuntiandum eſt pro libertate non modo perſonarum (13), ſed etiam rerum (14). Hinc orta inter maſculum, qui rem eſſe feudalem dicat, & feminam, quae neget, controverſia, reſpondit Feudiſta (15), *poſſeſſionem feminae eſſe addicendam*. Itaque maſculus actor in iudicio proprietatis probare debet rem eſſe feudalem, uti poſcit praeſumtio, quae pro qualitate allodiali eſt. Quod ſi de *feudo* iam conſtet, ſed cuiuſmodi ſit ambigitur, potius *proprium*, quam *improprium* praeſumitur; nam qualitas a lege re-

(10) Apud Wadding *in Regeſto tom. III.*
(11) Apud Marten. *tom. II. Ampliſs. Collect.* 1184.
(12) *De uſu feud. lib. III. cap.* 15.
(13) *L.* 7. §. 1. *D. de liberal. cauſ.*
(14) *L.* 8. *C. de ſervis.*
(15) *II. F.* 26. §. 1.

Digitized by Google

quisita rei inesse praesumitur, pacta vero contraria facti sunt, adeoque probanda. In dubio etiam feudum praesumitur *masculinum*, non *femininum*. Feminae namque *a successione feudi removentur, nisi specialiter dictum sit, ut ad eas pertineat* (16): immo de natura feudi est, ne illae succedant (17); naturalia vero inesse praesumuntur. Pari modo potius *non francum*, quam *francum* pronuntiare oportet. Semper quidem custodienda lex, quae certam esse voluit feudi naturam, nisi contrarium probetur.

ELE-

(16) *I. F.* 1. §. 3.
(17) *I. F.* 24. *II. F.* 8. *pr.* & §. 1. *II. F.* 1. Conf. Gotfr. Ludov. Menkenium *diss. de praesumtione feudi masculini*.

Digitized by Google

ELEMENTA IURIS FEUDALIS COMMUNIS ET NEAPOLITANI.

LIBER I.

De perſonis feudalibus.

QUod iuriſprudentiae beneficiariae rite intelligendae praenoſſe eſt opus, hactenus velut in nucleo exhibuimus. Conſectaneum nunc eſt, ut ipſa illius penetralia ingrediamur. Cuiuſcumque iuris obiectum triplex, *perſonae*, *res*, & *iudicia*. Prae triplici hoc obiecto tres erunt noſtrorum elementorum libri; quorum primo de perſonis ad ius feudale pertinentibus; altero de rebus feudalibus; tertio demum de actionibus & iudiciis, quae ad feuda ſpectant, dilucide diſtincteque, quoad eius fieri poteſt, diſputabimus. Sed iam, accenſa barbaricarum antiquitatum face, ſpartam hanc exornemus.

Digitized by Google

CAP. I.

De burgenſibus, & vaſſallis.

§. I. SUmma hominum diviſio ſecundum ius feudale eſt in *burgenſes*, & *vaſſallos*. Burgenſes ſunt, qui bona poſſident pleno iure, ſive ſine onere fidelitatis & ſervitii. Horum alii ſunt homines *demanii*, alii *feudi*: quorum illi oppida regii demanii inhabitant, ac Regi *αμεσως immediate* parent; hi vero loca in feudum conceſſa incolunt, & Regi *μεσως mediate* ſubſunt, barone videlicet interiecto, cuius feudali iuriſdictioni ſubiiciuntur. *Demanium* Gallica vox *dominium* ſignificat, paſſimque apud ſcriptores medii aevi & in conſtitutionibus Siculis occurrit. Eam Nortmanni ſcriptores uſurparunt. Teleſinus (1) de Rogerio I. ſcribit: *Mandatur . . . illis, qui caſtro eius praeerant, ut & ipſi Regis ſuper ſo quantocius ſuſcipiant demanium.* Κατ' ἐξοχην *demanium* dicitur res, quae ſub immediato Regis dominio eſt. Fridericus II. Siciliae Rex (2) in barones animadvertit, qui homines uſurpant regii demanii. Porro homines feudalia oppida incolentes vulgo *vaſſalli* vocantur; ſed inſcite, cum eo nomine barones ipſi veniant, qui feudum a Rege acceperunt, uti mox dicetur.

§. II. Vaſſalli ſunt, qui non iure proprietario, ſed uſufructuario ſub nexu fidei & ſervitii bona

(1) *De vita Rogerii Siciliae Regis lib. III. cap.* 14.
(2) *Conſt.* quiſquis *de burgenſibus*.

Digitized by Google

bona poſſident. Vocabulum *vaſſallus* a Gothico *fads*, ideſt, *procurator*, arceſſit Georgius Hoekheſius (3); contra a Celtica voce *gwas*, qua Brittones iuvenem & miniſtrum denotarunt, deducit Schilterus (4); ſed inter alios Guil. Leibnitius (5), & Hieronym. Gudlingius (6) ſtatuunt, *vaſall* idem eſſe ac *Sueſell*, *Geſell*, ex quo Latini ſuos *Suaſſos*, *Faſſos*, *Vaſſallos* effecerunt. Praeſtare nolim certitudinem huiuſmodi originum. In iure feudali communi (7) tres occurrunt vaſſallorum gradus. Primus eſt *Capitaneorum*, ſive Ducum & Principum. Alter *Valvaſorum*, qui Ducum & Principum ſunt vaſſalli. Tertius *Valvaſinorum*, qui a valvaſoribus feuda tenent. Moribus nimirum Longobardiae licebat vaſſallis alios de feudis ſuis inveſtire (*a*).

§. III.

(3) *In Theſauro Linguae Septentrion.*
(4) *In inſt. iur. feudal. cap.* 1. §. 1.
(5) *In litteris ad Otton. Menckenium in Act. Erudit. Lipſ. ſupplem. T. IV. ſect. V. p.* 238.
(6) *In Gudling. part.* 1. *n.* 1. §. 16.
(7) *II. F.* 10.

(a) Vaſſi Regis, niſi forte Ducis, Marchionis, vel Comitis titulo fruebantur, *Capitanei* conſueverunt appellari, ſive *Cattanei*, quod idem nomen fuerit *Capitaneus*, *Captaneus*, & *Cattaneus*. Apud ſcriptores citatos in Vocabulario Hetruſco *voc. Cattano* vocantur *Cattanei*, qui in libris feudalibus *capitanei* audiunt. Romualdus Salernitanus *in Chron.* ſcribit: *Comitiſſa de Berthenova cum Guillelmo de Markiſella, nobili Ferrarienſi Catanio, cum magna multitudine militum & peditum ad ſuccurſum eiuſdem civitatis veniebat*. Dicebantur etiam Caſtellani, quod *caſtello* alicui dominarentur. In *Conſtit. Sicul. lib. I. tit.* 89. §. 4. occurrit *caſtellanus*, cuſtos caſtri, ſeu qui ratione feudi caſtro domini praeeſt. Maternus avus Manfredi Siciliae Regis, e Friderico II. nati, caſtellanus appellatur

in

Digitized by Google

§. III. In Regno noſtro diſtinctio hominum in burgenſes & vaſſallos innotuit ſub Nortmannis feudorum apud nos auctoribus. Vaſſallorum autem alii *Duces* ſunt, alii *Comites*, alii *Principes*, alii *Marchiones*, alii *Barones*, alii *Milites*. Diſtinctio dumtaxat *Comitum*, *Baronum*, & *Militum* a *burgenſibus*, in Conſtitutionibus Siculis ſaepe occurrit. Fridericus II. (8) arma deferri vetat, tum perſonas pro cuiuſque conditione recenſet: *Quiſquis autem poſt haec prohibita arma detulerit, ſi quidem Comes fuerit, quinque uncias; ſi Baro, quatuor; ſi miles ſimplex, tres; ſi Burgenſis, duas; ſi ruſticus fuerit, unam unciam fiſco noſtro componat*. Idem Rex noſter (9) poenas

in Hiſtoria MSta Mediolanenſi apud Murator. *Tom. XVI. S. R. I.*: & revera nobilis Toparcha is fuit. Nec inficias eo, apud Latinos ſcriptores *caſtellanum* ſignificare incolam caſtelli, ut apud Livium *lib. XXXIV.*, Hirtium *de bello Alexandrino*, alioſque. *Caſtellum* autem eſt, *caſtrum, quod in loco alto ſitum eſt, quaſi caſa alta, unde caſtellum*, inquit Ugutio. Gloſſ. Lat. MS. Reg. Cod. 1013.: *Caſtrum antiqui oppidum vocabant in alto poſitum, cuius diminutio facit caſtellum*. Quo ſenſu Hirtius dixit: *Caſtella complura locis editis poſita*. Salvianus lib. V.: *Sicut ſolent hi, qui hoſtium terrore compulſi, ad caſtella, ſe conferunt*. Et Ordericus Vitalis lib. IV.: *Munitiones, quas Caſtella Galli vocant*. Hinc habes, a ſequioribus ſcriptoribus oppida munita dicta fuiſſe *caſtra* & *caſtella*, uti paſſim videre eſt apud Gregorium Turonenſ. & alios coaetaneos. Qui in Longobardia, in quam Franci feuda intulerunt, *caſtellani* appellati ſunt, *Barones* Romae & in Regno Neapolitano nuncupabantur olim, idemque adhuc nomen retinent. Vides hîc antiquam feudorum naturam, quae erant caſtella utili dominio conceſſa, directo penes dominum manente.

(8) *Conſt.* intentionis, *de illicita portatione armorum*.

(9) *Conſt.* cultus iuſtitiae, *de cultu iuſtitiae*.

Digitized by Google

mas in litigantes ſancit, qui reverentiam iudicibus non exhibent: *Si ruſticus fuerit, unum auguſtalem; ſi Burgenſis, duos; ſi Miles, quatuor; ſi Baro, octo; ſi Comes, ſexdecim auguſtales Curiae noſtrae componat.* Rurſus (10) ſtatuit: *Pro Comite, quem ceperit aliquis, qui foriudicatus, vel bannitus non fuerat, 100. auguſtales; pro Barone 50; pro Milite ſimplici 25; pro Burgenſi 12; pro Ruſtico 6. ſeuſequetur.* Heic burgenſis eſt, qui privata bona poſſidet; ruſticus vero, qui agriculturae vacat. De feudatariis infra videbimus.

§. IV. Maximus in Regno noſtro eſt vaſſallorum ſive feudatariorum numerus, cum loca tantum non omnia nexu fidelitatis poſſideantur, demtis paucis, quae regii iuris ſunt. Cauſſam huic rei praecipue dedit Regum noſtrorum liberalitas. Sic Rogerius I. Siciliae Rex Neapolim profectus, iure feudi *donavit inſuper unicuique militi quinque modia terrae, & quinque villanos, & promiſit eis, vita comite, munera multa & poſſeſſiones largiturum*, uti refert Falco Beneventanus (11). Eius nepos Gulielmus II. ad barones & populum ſibi devinciendum, *Eccleſiis, Comitibus, Baronibus, Militibus terras multas regia liberalitate donavit. His autem, & pluribus aliis beneficiis totius populi ſui animos in fidelitatem & dilectionem filii ſui vehementer accendit, ita quod de fidelibus fideliores, & de devotis devotiores effecit*, ut ait Romualdus Saler-

(10) *Conſiit.* poenam, *de forbannitis & foriudicatis.*
(11) *In Chronic. in fin.* apud Peregrin. *Hiſt. Princip. Longob. tom. IV. p.* 311.

Digitized by Google

lernitanus (12). Acceſſit neceſſitas & pecuniae inopia, qua Reges noſtri bellis occupati laborabant. Ita Philippus II. cum ob frequentia in Hiſpania & Italia bella ſolvendis militaribus ſtipendiis impar eſſet, vectigalia, tributa, titulos, honores, & feuda parvi vendebat, quo pecuniam contraheret. Audiatur Thuanus (13): *Bellis ſuperioribus ſub Carolo parente geſtis Philippus, patrimonio omni, portoriis, vectigalibus divenditis, & oppignoratis, cum Italis, quibus ingens aes alienum debebat, vicis & pagis, quos creditores ſui in Sicilia & Regno Neapolitano poſſidebant, comitatuum, principatuum & huiuſmodi titulis ornatis, nullo pretio dato, tranſegit.*

CAP. II.

De Ducibus.

§. I. NUnc ſingulas feudatariorum ſpecies perſequamur. Agmen ducant *Duces*. In re feudali Dux eſt, qui a *Principe* (ideſt ſupremo) *de ducatu aliquo inveſtitus eſt*, inquit Feudiſta (1). Nae is ignotum per ignotum explicat. Rectius definitur, *qui regionem, vel provinciam cum territorio ſuo ſub ducatus nomine iure feudi a Rege tenet*. A Ducibus feudalibus admodum diſtant Duces Romanorum, Gallorum, aliarumque barbaricarum gentium. Apud Roma-

(12) *In Chronic.*
(13) *Hiſt. lib. LI.*
(1) *II. F.* 10.

Digitized by Google

manos, ſtante republica, Duces dicti, qui exercitibus praeerant, & militarem exercebant iuriſdictionem. Nomen hoc ſub Imperatoribus translatum eſt ad limitanearum provinciarum praefectos, qui cum militibus fines Imperii adverſus barbarorum impetus tuebantur. Eorum meminit Vopiſcus (2): *Aſſidentibus Aemilio Saturnino, Scythici limitis Duce, Murentio ad Aegyptum deſtinato, Iulio Tryphone, Orientalis limitis Duce, Ulpio Crinito, Duce Illyriani limitis & Thracii, & Fulvio Boio Duce Rhetici limitis.* Lampridius (3) *limitaneos Duces & milites* commemorat. In vetuſtis inſcriptionibus paſſim occurrit: DUX ARMENIAE, ASIAE, EXERCITUS ILLYRICI, ISAURIAE, NORICAE &c. In Notitia utriuſque Imperii (4), inque Codice Theodoſiano (5) & Iuſtinianeo (6), nihil frequentius his limitum ducibus. Praedia iis donabantur ab Imperatoribus, quo diligentius Imperii fines cuſtodirent. Eorum munus erat militiae praeeſſe, civiles & criminales militum ſuorum cauſſas dirimere, & provinciae limites tutari, ne barbari ingruerent.

§. II. Parum a Romanis differunt Duces Francorum & Germanorum. Hi enim erant rectores provinciarum, & exercituum ex iis contractorum, qui Comitibus praeerant, ideſt, urbium iudicibus. Eorum ergo munus fuit non ſo-

(2) *In Aureliano.*
(3) *In Alexandro Severo.*
(4) Vid. Pancirol. *Comment. ad Notit. utriuſq. Imperii.*
(5) *Tit. de terris limitan.* (6) *Tit. de offic. milit. iudic. & tit. de offic. Praefect. Praet. Afric.*

Digitized by Google

ſolum *militiae* praeeſſe (quod & ſub Romanis factum) ſed etiam *iuſtitiae*, hoc eſt, ius dicere, ac iuſtitiam tueri in populo ſibi commiſſo. Hinc Fortunatus (7) de Lupo Duce cecinit:

Bella moves armis, iura quiete regis:
Fultus utriſque bonis, hinc armis, legibus illinc.

Nec abs re Walafridus Strabo (8) Duces Metropolitanis, Comites Epiſcopis aequat: *Metropolitanos autem Ducibus comparemus; quia ſicut Duces ſingularum ſunt provinciarum, ita & illi in ſingulis provinciis ſinguli ponuntur.* Procedente tempore Ducum in Gallia & Germania auctoritas adeo crevit, ut regia fere cenſeretur: qua de re fuſe Alteſerra (9), aliique.

§. III. Suos Italia Duces habuit. Sub Romanis & Gothis Italiae provinciis praefuerunt Conſulares, Correctores, aut Praeſides. Nulli tunc in Italia Duces. Horum nomen & munus ſub Graecis audiri coepit. Longinus enim a Iuſtino II. regendae Italiae cum ſummo imperio miſſus an. DLXVII. ſuſtulit ex Italia Praefectum Praetorio, eiuſque duos Vicarios; ex provinciis Conſulares, Correctores, & Praeſides; ex Urbe Senatum, Conſules, aliaque munera. Exarchum Italiae conſtituit, ſeu ſummum totius Italiae magiſtratum, qui Ravennae ſedebat. Singulis civitatibus regendis ſingulos praefecit iudices, quos *Duces* adpellavit. Hinc tot in Italia

(7) *Lib. VII. cap. 7.*
(8) *De reb. eccleſ. cap. 3.*
(9) *De Ducib. & Comitib. Galliae.*

Digitized by Google

talia Ducatus orti, Romanus, Neapolitanus, Surrentinus, ceterique. Huiusmodi Duces nihil erant aliud, quam iudices iustitiae administrandae addicti.

§. IV. Sub Longobardis etiam viguit nomen & dignitas Ducum; quorum munus erat militare, utpote qui ad tutelam Regni praeessent militibus, in finibus potissimum Regni eiusdem. Erant autem hi Duces aut *minores*, aut *maiores*. Illis una civitas regenda & defendenda tradebatur; his integra provincia suberat. Quod ad primos, Paullus Diaconus (10) plures memorat Duces, quorum *unusquisque suam civitatem obtinebat. Zaban Ticinum: Alboinus Mediolanum: Wallarus Bergomum: Alachis Brixiam: Evin Tridentum: Gisulfus Forum Iulii. Sed & alii extra hos in suis urbibus triginta Duces fuerunt*. Quin in Regno Longobardico fuerunt loca, nomine civitatis non insignita, quae a suo Duce regebantur. Idem Paullus Diaconus meminit Minulphi *Ducis de Insula Sancti Iulii*; quae quidem insula, in dioecesi Novariensi sita, numquam civitas fuit. Quod ad maiores vero Duces, qui integram administrabant provinciam, ii duo tantum fuisse videntur, nempe *Spoleti*, atque *Beneventi*, qui in ipsis Regni Longobardici primordiis instituti fuerunt. Hi Duces peculiari potestate instructi fuere in universam regionem; nec precarii gubernatores erant, sed supremi fere domini, seu Reguli eiusmodi pro-

(10) *Lib. II. de gest. Longobard. cap.* 32.

Digitized by Google

provinciarum, in quibus filii parentibus succedebant. Conferri duo hi Ducatus solebant nobilissimis Regni Proceribus, & ipsis Regum affinibus. Latior autem dominatio, maioresque praerogativae huiusmodi Ducibus ideo concessae, ut validius possent Graecis obsistere. Nimirum infensiores ac potentiores Longobardorum hostes fuere Graeci, ab illis tot provinciis spoliati. Spoletano Ducatui contermini erant Ducatus Romanus ex una, Exarchatus Ravennas ex altera parte. Beneventanus autem Ducatus iacebat inter ipsum Romanum Ducatum, variasque Graecorum urbes maritimas. Itaque opus fuit in remotioribus hisce Regni Longobardici partibus praefectos constituere non vulgaris auctoritatis & potentiae, quibus, cum necessitas posceret, vires multas cogere facile foret, easque Graecorum conatibus opponere (11). Deleto per Carolum M. Regno Longobardorum, nihil fere sub Francis Italiae Regibus de Longobardico regimine immutatum est, atque minores maioresque Ducatus cum suis praerogativis stare perrexerunt.

§. V. In Regno Neapolitano inde usque a Graeca dominatione Duces fuerunt. Graeci enim Neapoli, Amalphiae, Surrento, Caietae, Fundis, aliisque urbibus sibi subiectis, Duces praefecerunt; qui non feudatarii, sed meri erant ipsarum rectores & iudices. Diu huiusmodi Ducatus perstiterunt; illae namque civitates, vel vi-

(11) Conf. Murator. *Antiq. Ital. med. aevi diss. V.* quae est *de Principibus & Ducibus Italiae.*

Digitized by Google

vigente Longobardorum dominatione, Graeco Imperio primum ſubditae, poſtea potius foederatae fuerunt. Inter has celebris fuit Ducatus Neapolitanus. Eligebatur ibi a populo Dux, qui ſuprema pollebat auctoritate, niſi quod fere ſemper cum civitas, tum Duces uti ſupremum dominum reverebantur Graecum Auguſtum. Anaſtaſius Bibliothecarius (12) meminit *Neapolitanorum Ducum Exhilarati, & Ioannis*. Alii occurrunt apud Io. Diaconum (13), & Camillum Peregrinium (14). In Chronico Vulturnenſi an. DCCCCXLIV. (15) legitur: *Ioannes in Dei nomine eminentiſſimus Conſul & Dux*. In Charta Tabularii Monaſterii S. Sebaſtiani (16) occurrit *Sergius in Dei nomine eminentiſſimus Conſul & Dux* (Neapolis).

§. VI. Non modo Duces a Graecis conſtituti apud nos extitere, ſed & Dux Beneventanus excelluit. Primus Beneventi Dux ab ipſo Alboino creatus eſt Zotto (17). Beneventani Ducatus ampliſſimi fuere fines, ac fere totum, quod nunc eſt, Neapolitanum Regnum, complectebatur: *unde Longobardia minor*, comparatione ad *maiorem*, ſive Regnum Longobardicum, facta,

(12) *In vita Gregorii II.*

(13) *In hiſt. Epiſcop. Neap.* apud Murator. *S. R. I. part. II. tom.* 1.

(14) *In hiſt. Princip. Longob.*

(15) *Lib. IV.*

(16) Eam ex Chioccarello laudat Summontius *Hiſt. Neap. lib. I. cap.* 13.

(17) Conf. noſtra *Elementa Iur. privat. Neap. in hiſt. P. I. cap.* 4. §. *XI. ſeqq.*

Digitized by Google

paſſim audiit. Ipſa Beneventi civitas regiam *Ticini* ſedem maieſtatemque aemulabatur, & *alterum Ticinum* dicta eſt Anonymo Salernitano (18). Erant autem Beneventani Duces non feudatarii, ſed ſummi dynaſtae, qui regalia iura in ducatu ſuo exercebant. Et quemadmodum Longobardiae maioris Reges in ſuis diplomatibus *dominos excellentiſſimos Reges gentis Longobardorum* ſe appellarunt; ſic etiam in minore Longobardia dicebantur *gentis Longobardorum Duces*, ſive *glorioſiſſimi Principes*, tum ii, qui Beneventanum integre principatum poſſidebant, tum alii, qui poſtea vel ſolum Salernitanum aut Capuanum, vel coniunctim Beneventanum, Salernitanum, Capuanum, & vero etiam Spoletanum, obtinuere. Deleto per Carolum M. Longobardorum Regno, Arechis II. Dux Beneventi, poſthabito *Ducis* titulo, *Principis* nomen adſumſit, & Carolo armis obſtitit; nec ei homagium & fidelitatem, ſed tributum exhibuit. Cum vero Beneventana dynaſtia mole iam ſua laboraret, primum Salernitanum, mox Capuanum Principatum, magna olim ſui corporis membra, in nova corpora abs ſe propagavit, ut infra exponemus.

§. VII. Sub Nortmannis, primus Robertus Guiſcardus, Calabria potitus, *Dux Calabriae* a ſuis ſalutatus eſt an. MLIX. Appoſite Gaufredus Malaterra (19): *Igitur Robertus Guiſcardus, diuturni de-*

(18) *In Carmine Pandulfo Principi nuncupato*, apud Murator. *S. R. I. part. I. tom. II. p.* 285.

(19) *Lib. I. hiſt. Sicul. cap.* 36.

Digitized by Google

deſiderii ſui compos effectus, cum triumphali gloria Dux (Calabriae) *efficitur*. Eius nepos Rogerius *Dux Apuliae* fuit (*a*). Sed hi ſummi erant regionum armis partarum dynaſtae, nemini unquam obnoxii. Quandonam Ducis dignitas feudalis evaſerit, incertum eſt. Seldenus (20), noſtrates quoſdam ſcriptores ſecutus, tradit, primum Ducem non ex familia regia fuiſſe Franciſcum *de Balzo*, quem *Ducem Andriae* Regina Ioanna I. renuntiavit; poſtea Iacobum Marzanum a Ladislao Rege *Ducem Sueſſae* creatum fuiſſe. Sed nullo tamen idoneo vade agit. Profecto ſub Nortmannis, Suevis, & Andegavenſibus nuſpam Duces feudalitii comparent. In Conſtitutionibus Siculis tantum *Comites*, *Barones*, & *Milites* inter feudatarios referuntur; Ducum vero nulla fit mentio. Primum ſub Alphonſo I. Aragonenſi Ducis titulus audiri coepit ad eum ſignificandum, qui a Rege ſub ducatus iure feuda tenet. Deinceps Duces feudalitii frequentiores apud nos occurrunt.

(a) Rogerius Dux Apuliae (poſtea Siciliae Rex) anno 1140. monetam cudi iuſſit, dictam *Ducatus*, Apuliae videlicet. Falco Beneventanus ad an. 1140.: *Monetam ſuam introduxit, unam vero, cui Ducatus nomen impoſuit.*

(20) *De titul. honor. part. II. cap.* 5.

Digitized by Google

CAP. III.

De Comitibus:

§. I. COmes feudiſtis dicitur, qui *de comitatu aliquo inveſtitus eſt* (1), puta, qui civitatem aut oppidum cum villis, & territorio, titulo Comitis a Rege in feudum tenet. A feudalibus hiſce Comitibus longe differunt Comites Romanorum, & barbaricarum gentium. Apud Romanos initio *Comes* a comitando erat, qui Proconſules, Praetores, Praeſides, alioſque provinciarum rectores comitabatur, ut iis miniſterii adiumento aut conſilii praeſidio eſſet. Huiuſmodi erant Quaeſtores, Legati, Scribae, Apparitores, Icti, domeſtici, aliique, qui ſimul cum magiſtratibus in provincias mittebantur (2). Poſt Auguſti tempora Comitum etiam occurrit mentio. De Tiberio in Germaniam profecturo refert Tacitus (3): *Comites legit, ipſoſque Otho multis e magiſtratibus ſelegit, ac ſecum expediri iuſſit*. Veſpaſianus Neroni in Achaica expeditione *Comes fuit, cum nullis antea honoribus perfunctus eſſet*, teſte Suetonio (4). In vetuſtis lapidibus (5) occurrit SEX. PALPEIUS COMES TIBERII CAES. SUB DIVO AUGUSTO DA-

(1) *I. F.* 10.
(2) Vid. Cicer. *Verrin.* 3. & *in epiſtolis ad Q. Fratrem*.
(3) *Lib. I. Annal.*
(4) *In Veſpaſian. cap.* 4.
(5) Apud Grut. *Inſcrip.* 412. 3. & 4. 420. 7. & 447. 4.

Digitized by Google

DATUS: item STILICHO COMES THEODOSII IN OMNIBUS BELLIS, ATQUE VICTORIIS.

§. II. Postea dignitas Comitis instituta est. Plerique Comites a Constantino M. ad dignitatem evectos putant. Sed Tillemontius (6) id in ultima Augusti tempora confert, qui Senatores aliquot elegit, ut domesticum quemdam senatum haberet, cuius consiliis uteretur, iique *Caesaris Comites* vocati. Longe ante Constantinum comitivam hanc dignitatem obtinuisse, probant Salmasius (7), Seldenus (8), & Valesius (9). In tres autem gradus divisi isti Palatini Comites. In primo erant *Comites ordinis primi*, qua praerogativa gaudebant praecipui ex Magistratibus Palatinis (10). Horum *alii Comites ordinis primi intra Palatium* dicebantur, qui scilicet in Palatio militabant; alii vero *Comites ordinis primi in Consistorio*, qui & *Comites Consistoriani*, vel *Sacri Consistorii* vocabantur (11). Ea enim Comitum ordinis primi fuit praerogativa, ut iis Consistorium Principis ingredi fas esset, si vocarentur. Comites *ordinis secundi* civitates, & saepe provincias regebant, eratque comitiva haec

(6) *Tom. I. Imperat. p.* 98. & 762. *tom. III. p.* 389. & *tom. IV. p.* 285.

(7) *Not. ad Trebell. in Macrino.*

(8) *De titul. honor. part. II. cap.* 5. *n.* 6.

(9) *Not. ad Eusebium.*

(10) Vid. *Cod. Theod. lib. VI. tit.* 13. & *seqq.* atque Sirmondum *not. ad Sidon. carm.* 9.

(11) De his consule Salmasium *ad Spartian. p.* 47. & Gothofredum *ad Cod. Theodos. tit. de comitib. consistorian.*

Digitized by Google

gradus ad comitivam primi ordinis. Tandem Comites *tertii ordinis* erant omnium inferiores & minores, quorum numero erant Tribuni. Quod vero ex numero Comitum, qui praesto erant Imperatori in aula, vel expeditionibus, plerumque seligebantur, qui variis officiis palatii, civitatis, ac militiae praeficiebantur, vel ad provincias regendas mittebantur; hinc in Notitia Imperii, in Codice Theodosiano ac Iustinianeo, in veteribus lapidibus & scriptoribus tot ac tam varii occurrunt Comites, ut *Comes Aerarii*, *Comes sacrarum largitionum*, *Comes Commerciorum*, *Archiatrorum*, *Aquarum*, *Annonae*, *Sacri stabuli*, *Comes Aegypti*, *Africae*, *Asiae*, *Macedoniae*, ceterique (12). Merus quoque titulus Comitis dabatur munere aliquo honeste perfunctis, qui *Comites vacantes* appellabantur [13]. Eo tandem ventum est, ut Comitis titulus omnibus fere dignitatibus adfigeretur, quasi quoddam honoris incrementum [14].

§. III. Apud Gallos & Germanos Comites erant iudices ordinarii urbium, pagorumque adiacentium, eorumque territorium *Comitatus* audiit. Inde ab antiquissimis temporibus Comites in Germania *iura per pagos vicosque reddidisse*, testantur Cae-

(12) Vid. Dufresne *in Gloss. v.* Comes, Pancirolum *ad Notit. Imper.*, item Gothofredum *ad Cod. Theodos. lib. VI. tit.* 13. *seqq.*, Salmasium *cit. loc.*, aliosque.

(13) Conf. Gothofred. *ad L. unic. C. Theod. de Comitibus vacantib.*

(14) Vid. Salmas. *cit. loc.* & Gussanv. *not. ad Gregor. M. lib.* 1. *ep.* 13.

Digitized by Google

Caesar (15), & Tacitus (16). In Capitulari II. an.805. (17) cum alii, tum *Ratisponae Odulfus, Lauriaci Varinarius Comites praevidisse* (a), leguntur. Avitianus Comes Turonensis *iudex* dicitur Fortunato (18). Armentarius Comes, *qui Lugdunensem urbem potestate iudiciaria gubernabat*, occurrit apud Gregorium Turonensem (19). Concilio Toletano XIII. subscribit *Valdericus Comes civitatis Toletanae*. Comes itaque civitati, Dux provinciae, sive pluribus civitatibus, & ipsis adeo Comitibus, praerat. Hinc Walafridus Strabo (20) Comites episcopis, Duces metropolitanis aequat; quod illi fere urbi, hi provinciae praerant. Gradus a comitatu ad ducatum fuit. Diserte Fortunatus (21) de Sigoaldo Comite cecinit:

Rex Childebertus crescens te crescere cogat,
Qui modo dat Comitis, det tibi iura Ducis.

Fuerunt & *Comites provinciales*, qui ad provincias regendas delegabantur; quorum in Capitulari I. Caroli M. an.802. (22), in Concilio Cabillonensi II. (23), aliisque monumentis fit mentio.

(15) *Lib. IV. de B. C. cap. 6.*
(16) *De morib. German.* Conf. Christ. Besoldum *diss. de Comitibus.* (17) *Tit. 7.*
(18) *Lib. IV. de vita S. Martini.*
(19) *De vitis Patrum.*
(20) *De reb. eccles. cap. 31.*
(21) *Lib. X. cap. 12.*
(22) *Cap. 1.* (23) *Can. 21.*
(a) *Praevidere* idem est ac praeesse. In Capitularibus obvia est loquutio: *Comitatum praevidere.* Quod ne a Dufresne quidem observatum, ex Capitularibus Caroli Calvi *cap. 9.* probat Sagittarius *Antiq. Ducat. Thur. lib. IX. cap. 4. §. 6.*

Digitized by Google

tio. Nec tantum Comites iudicum officium obiere, ſed & populares ſuos in praelia & caſtra eduxerunt (24). Olim Comites temporarii erant, demum perpetui & hereditarii evaſerunt. Qui enim a Rege pro arbitrio creabantur, inclinante Carolinae ſtirpis principatu, ad heredes dignitates ſuas tranſtulerunt, Regum ipſorum nutu, vel potius impotentia, cum eo uſque poſt Nortmannorum incurſus, imminuta Regum poteſtate, Comitum creviſſet auctoritas, ut aegre ab iis quas tenuerant praefecturis amoveri poſſent filii ac heredes. Quod primum ſub Carolo Calvo factum, eius Capitularia (25) demonſtrant. Tandem Regno potitus ſaeculo X. Hugo Capetius, temporibus ſapienter inſerviens, Comitatus, Ducatus, & minora feuda in perpetua & hereditaria beneficia addixit, ſalvo iure ſummi imperii, fidei, & obſequii militaris.

§. IV. In Italia ſub Gothis dignitas Comitis ſervata eſt variis Officialibus, ſecundum Imperii diſpoſitionem, quam ibi invenerunt. Nec tantum Praeſidibus aut Rectoribus provinciarum dedere Comitis titulum, ut in Romano Imperio fiebat, verum etiam urbium gubernatores *Comites* ab iis vocati, quod a Romanis factum non eſt. Hinc *Comes Neapolis*, *Romae*, *Ravennae*, *Syracuſarum*, aliique (26) (b). Suos Longobardi *Comites*, ideſt iu-

(24) Videſis Alteſerram *de Ducib. & Comitib. provincialib. Galliae lib.* 1. *cap.* 5.

(25) *Tit.* 43. *ſub fin. cap.* 3.

(26) Vide Caſſiodor. *lib. VI. ep.* 22. *&* 23. *lib. VII. ep.* 13. *&* 14. *& alibi.*

(b) Freccia *de ſubfeud. lib.* 1. *tit. Quis dicatur Comes* tra-

Digitized by Google

iudices, habuere. Apud Paullum Diaconum (27) occurrit *Comes Longobardorum de Lagare*, *Ragilo nomine*. Gregorius M. (28) ſcribit: *Si ego in morte Langobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Langobardorum gens neque Reges, nec Duces, nec Comites haberet, atque eſſet in ſumma confuſione diviſa*. In Diplomatibus Regum Longobardorum (29) legitur formula: *Praecipientes omnibus Ducibus, Comitibus, Gaſtaldiis, vel Actionariis noſtris &c.* Itemque: *Ut nullus Dux, Comes, Gaſtaldius &c.* At enim in legibus Longobardicis nulla iniicitur Comitum mentio, quamvis ſaepe agatur de miniſtris iuſtitiae: nec Paullus Diaconus ullum de Comitibus verbum habet. Nonne obtinuit nomen Comitis apud Longobardos, ut apud Francos? Profecto conſueverunt Longobardi potius *Iudicis*, quam *Comitis* nomen uſurpare, etſi utrumque adhibuerint, uti vidimus paullo ante. Franci etiam Italia potiti Comites urbibus regendis praefecerunt, iique frequentiores ſub Francis, & Imperatoribus Occidentis, quam ſub Longobardis fuerunt (30).

§. V. Quod ſpectat ad Regnum noſtrum, ſub Principibus Beneventanis *Comites*, ideſt, iudices ci-

tradit, a Longobardis in quibuſdam pagis inſtitutos fuiſſe Officiales iuris dicundi gratia, qui Germanice *Iudices*, & Longobardice *Comites* vocati ſunt. At is hiſtoriae ignorantia labitur.

(27) *Lib. III. de geſt. Longob. cap. 6.*

(28) *Lib. IV. ep. 47. ad Sabinian.*

(29) Apud Ughell. *in Ital. Sacr.* & Murator. *Antiquit. Italic. medii aevi diſſ. VIII.* quae eſt *de Comitibus & Vicecomitibus ſaeculor. barbaricor.*

(30) Anonymus *in Tabul. Chorograph. ſect.* 10.

Digitized by Google

civitatum, extitere, qui & *Gaſtaldi* Longobardorum vocabulo appellati ſunt (31). Hinc ſub Grimoaldo I. Beneventi Duce occurrit primum Tranſmundus, inde Mitula *Comes Capuae* (32). Sed & ſub ſucceſſoribus Principibus tot alii civitatum gubernatores titulo *Comitum* deſignati in Chronicis eorum temporum inveniuntur, ut Comites Alipharum, Aprutii, Aquini, Caiacii, Ceccani, Compſae, Iſerniae, Larini, Theani, Traiecti, Venafri, ceterique. Erat etiam in Aula Beneventana *Comes Palatinus*, ut infra dicetur. Adhaec in Ducatibus Graeco Imperio ſubiectis *Comites* vocabantur gubernatores, qui ad urbes regendas mittebantur. In Charta donationis anni 1044. (33) memoratur *Marinus Comes Cumanus* (ideſt gubernator) *filius Sergii IV. Ducis Neapolis*. In Chronico Amalphitano (34) leguntur complures *Comites*, qui ſaeculo IX. & X. Amalphitanam remp. adminiſtrarunt.

§. VI. Venio nunc ad Nortmannos. Eorum primus Rainulfus Averſae recens extructae *Comes* renuntiatus eſt an. MXXVI. a Sergio Duce Neapolis, tum ad gratiam referendam, quod eius bellica virtute reſtitutus fuerat civitati ſuae, a qua per Pandulphum IV. Principem Capuanum fuerat

(31) Conf. Peregrinum *de Ducatu Benevent. diſſ. VIII. Opp. tom. V.* Pratillum *diſſ. de primis Capuae Comitibus & Gaſtaldis, tom. III. Hiſt. Princip. Longob. p.* 81. *ſeqq.* & Murator. *Antiq. Italic. med. aev. diſſ. X.* ubi de Gaſtaldis ſuſe diſputat. (32) Paullus Diaconus *de geſt. Longob. lib. IV. cap. ult. & lib. V. cap.* 4. *&* 5.

(33) Apud Murator. *Antiq. Italic. med. aev. diſſ.* 5.

(34) *Cap.* 8. 9. *&* 13. ap. Murator. *cit. loc.*

Digitized by Google

rat eiectus, tum ad praesidium adversus illius molimina sibi quaerendum. Inde Nortmanni Apulia potiti, partas bello terras inter duodecim Capitaneos gentis suae divisserunt, Rainulfo Aversae Comiti Sipontum cum Monte Gargano ac terris suis tribuerunt, atque *Comitis Apuliae* titulum strenuissimo Duci Gulielmo Ferribrachio, Tancredi Comitis Altavillae filio, decreverunt an. MXLIII. (35). Eiusmodi autem titulus *honoris* fuit, non vasallitius; quippe a nullo superiore, sed voluntate exercitus & populi collatus Gulielmo [36], qui tamquam summus dynasta victis populis imperavit.

§. VII. Alii a Nortmannis Comitatus instituti, & feudi iure dati sunt concivibus suis, aut bene de se meritis. Sane primi filii Tancredi Altavillae Comitis, eorum propinqui, cives, aut benemeriti possederunt Comitatus Capitanatae, Calabriae, Asculi, Scyllacii, Loritelli, Cupersani, Avellini, Trani, Lycii, Monopolis, Consentiae, Catacii, aliosque, quorum crebra in Chronicis mentio fit. Testis est Malaterra (37), a Roberto Guiscardo adactum fuisse Goffredum Comitem Cupersani, nepotem suum, ad militare servitium sibi praestandum, quod terram Montispelusii, aliaque castra possideret. Occurrunt Comites in diplomate Rogerii Ducis Apuliae an. 1080. (38). In alio eiusdem Rogerii diplomate (39) *Goffredus Comes*

(35) Gaufred. Malaterra *lib.* 1. *Hist. Sicul. cap.* 36.
(36) Gulielm. Apulus *lib.* 1.
(37) *Lib. II. hist. Sicul. cap.* 39.
(38) Apud Murator. *cit. diss.*
(39) Apud Baronium *Annal. ad an.* 1090.

Digitized by Google

mes Cuperſani; & in Charta an. 1119. (40) *Dopnus Tancredi filii Cuperſani Comitis*, ſubſcribunt. In diplomate Rogerii Siciliae Regis an. 1102. (41) occurrit etiam *Comes*. In Chronico Caſſinenſi (42) memoratur *Hugo Comes de Moliſio filius Comitis Raulis*. Falcandus (43) memorat *Rogerium Comitem Avellini* ſub Rege Gulielmo I. In conſtitutionibus Siculis (44) ſaepe agitur de *Comitibus*, *Baronibus*, & *Militibus*, *qui Baronias*, *caſtra*, *vel feuda in capite a Rege tenebant*. Comitatus autem complectebatur varia oppida, & feuda. Diſerte Falco Beneventanus (45) rem an. 1123. enarrans: *Qui vero*, ait, *Comes Iordanus Monteſuſcum properavit*, *& his actis*, *civitatem Ariani*, *& totius ſui comitatus confinia eius ſubmiſit poteſtati*. Et in an. 1147. ſcribit: *Comes ille Jordanus Monteſuſcum aſcendit*; *deinde totius ſui Comitatus comprehendit civitates*, *& oppida*. Iordanus hic non modo Monteſuſcum, verum etiam Arianum, Morconium, aliaque nimis diſiuncta loca obtinebat.

§. VIII. Iam Comites valvaſinos de manſis vel oppidis inveſtitos ſibi creabant, quibus ſtipati ad bellum proficiſcebantur. Idem Falco in an. 1119. de laudato Comite Iordano ait

Con-

(40) Apud Ughell. *Ital. Sacr. tom. X. in Addend. ad Epiſcopos Neritonenſ.*

(41) Apud Ughell. *Ital. Sacr. tom. VII. in Archiep. Barienſ.*

(42) *Lib. IV. cap.* 25.

(43) *De Tyrannid. Sicul.*

(44) *Lib. III. tit.* 33. *aliiſque locis.*

(45) *In Chron.*

Digitized by Google

Continuo suos omnes vocare fecit Barones. Paullo post de Roberto, eiusdem Comitis Iordani patruo, narrat: *Deinde sacramento mediante Comitis Iordani fidelis, & canonicus effectus est*; eius enim subfeudatarius evasit ob acceptum castrum Templanum. Telesinus (46) quoque prodit: *Quorum castellorum Radulfus de Fraineto sub Ranulfi Comitis dominio dominatus erat*. Falco Beneventanus in an. 1134. (47) refert: *Praefatus autem Comes Rainulfus Baronum suorum nequitiam comprehendens*, Rogerio Regi se submisit. Et in an. 1137. meminit *Baronum Comitis Rogerii de Ariano*. Romualdus Salernitanus in an. 1154. [48] memoriae prodit, Robertum Principem Capuae, qui a Gulielmo I. Rege defecerat, e fuga captum fuisse a Richardo de Aquila Comite Fundorum, vassallo suo. In Chronico Monasterii S. Bartholomaei de Carpineto (49) commemorantur *Barones Roberti Comitis Loritelli*, qui sub Gulielmo II. vixit. Tandem in Charta apud Pirrum (50) leguntur *Barones Willelmi Comitis Morgicani*.

§. IX. Pauca nunc, tamquam ἐν τῷ παρεργῷ, de Comitibus Palatinis adnectere non pigebit. Ii proprie erant, qui in Palatiis Regum officio iudicis fungebantur. Franci ab ipsis Regum incunabulis Palatinos Comites habuere, qui in eo-

(46) *Lib. I. cap.* 54.
(47) *In Chronic. ad an.* 1134.
(48) *In Chronic. ad an.* 1154.
(49) Apud Ughell. *Ital. Sacr. tom. V.*
(50) *In Sicil. Sacr. tom.* 1. *an.* 190. *p.* 629.

Digitized by Google

eorum palatiis publicas cauſsas diiudicabant (51). In Aula etiam Regum Longobardorum Italiae Palatinus Comes extitit. Ioannes PP.VIII. (52) memorat *Comitem Palatii Ticinenſis*. Apud Petrum Diaconum (53) occurrit *Berta filia Compalatii Ticinenſis*, nempe *Comitis Palatii Ticinenſis*, ſeu Regiae Longobardorum: qua quidem dignitate functus eſt *Comes Lumelli*, quod eſt caſtrum in diſtrictu Papienſi (54). Beneventani quoque Principes habuerunt *Comites Palatii*, uti patet ex diplomate Pandulfi & Landulfi Principum (55). In Chronico Vulturnenſi (56), in Caſaurienſi (57), inque Charta an. 970. occurrit *Ezzeca Comes Palatii*. Et apud Falconem Beneventanum in an. 1137. (58) legitur *Bernardus, qui Comes Palatii dicebatur*. Sub Nortmannis Comites Loritelli aliquando *Comites Comitum*, interdum *Comites Palatini* inſcripti leguntur in variis tabulis (59): quam ſane dignitatem in Regno noſtro videntur obtinuiſſe; ut apud Francos Comites Campaniae, apud Germanos Comites Palatini Rheni, & apud Reges Italiae Comites Lomelli (c).

CA-

(51) Vid. Dufreſne *in Gloſſ. h. v.* (52) *Epiſt.CXL.*
(53) *Lib. IV. Chronic. Caſinenſ. cap.* 18.
(54) Conf. Dufreſne *diſſ.XIV. ad Ioinvillam* & Murator. *Antiq. Italic. med. aevi diſſ. VII.* quae eſt *de Comitibus Sacri Palatii*.
(55) Extat *in Chronico S. Sophiae Benevent. p.* 661.
(56) *Lib. IV.* (57) *In Additam.*
(58) *In Chronic. ad an.* 1137.
(59) Vid. Dufreſne *in notis ad Cinnamum p.* 435. ubi de eorum familia fuſe agit.
(c) *Comes*, & *Comitus*, Italis *Comito*, dictus eſt, qui tur-

Digitized by Google

CAP. IV.

De Marchionibus.

§. I. IN feudali disciplina Marchio appellatur, qui iure feudi castrum terramve aliquam Marchionis titulo a Rege accepit. Sed hi toto caelo a veteribus Marchionibus differunt. Nimirum Marchionis nomen factum a Germanica voce *marcha*, vel *marchia*, quae limitem seu finem alicuius regionis significat: quo sensu usurpatur in Capitulari Caroli M. an. 779. (1): *Foris marcham nemo mancipia vendat*. Tantidem *marchae* vox est in Capitulari Radelchisi Principis Beneventani (2). Iam Duces, aut Comites, qui sub Francis & Germanis Imperatoribus praeficiebantur tuendis Regni finibus, *Marchiones*, *Marchenses*, *Marchisi*, appellari coeperunt. Prima fortasse Marchionum mentio fit in edicto Ludovici Pii an. 815.: *De ea*, inquit, *portione Hispaniae, quae a nostris Marchionibus in solitudinem redacta fuit*. Quod vero Marchiones Regni fines tutabantur, ne hostes ingruerent; Cu-

turmis & copiis militaribus in navigiis praeest. Eius meminit Petrus de Vineis *lib. V. ep.* 78.: *Comati quarumdam Galearum*; ubi legendum *Comiti*. Hunc titulum a Graecis posterioribus nostrates hauserunt. Nicetas in *Isaaco lib.* I. *cap.* 6.: Οἱ τῦ Βασιλικοῦ σολὰ Κομητες, *Comites Regiae classis*. Conf. Meursium *in Glossar. v.* Κομης.

(1) Apud Baluzium *Collect. Capitular. T. I.*

(2) Apud Peregrin. *in histor. Princip. Longob. T. III. p.* 214. *seqq.*

Digitized by Google

Cuſtodes limitum in vita Ludovici Pii an. 822. & *Comites marcae* apud Eginhardum an. 822. & 826. audiunt.

§. II. Apud Romanos Marchionis quidem nomen non fuit; res tamen ipſa & munus extitit. Ab iis enim limes dicebatur *civitas limitanea* (3); & qui eam cuſtodiebant, aut tuebantur, *Duces limitanei* vocabantur. Hinc ſaepe apud rei Romanae ſcriptores occurrunt *Duces limitanei*, *Dux limitis Scythici &c.*, *limitarcha*, item *fundi limitanei*, & *limitrophi*, qui ad Duces & milites finium cuſtodes pertinebant. Inſtituta vero in Aula *Comitis* dignitate, qua Officiales Palatii plerumque honeſtabantur, cum ex eorum numero ſeligerentur praefecti limitum, iidem etiam *Comites limitanei*, aut *limitis* dici coeperunt (4).

§. III. Gothi Italiae domini retinuerunt officium hoc limitum tuendorum ſub nomine tamen *Ducis* (5). Idem & a Longobardis factum. Primus omnium Carolus M. poſt an. 800. dignitatem Marchionum in variis Italiae locis inſtituit ad cuſtodiendos limites. Italiam namque in Ducatus, Comitatus & Marchionatus tribuit. Dux provinciae, Comes civitati, & Marchio urbi limitaneae praeerat. Saeculo X. & ſequenti alii Marchiones inſtituti ſunt, eo tamen diſcrimine, quod quemadmodum olim Marchio limitaneae civitati praeerat, ſic poſtea dici Marchio

(3) Capitolin. *in Gordiano Junior.*
(4) Sidon. *in Panegyric. Anthemii Conſul. v.* 229.
(5) Caſſiodor. *Var. lib. VII. cap.* 4.

Digitized by Google

chio coepit non ſolum qui urbi in finibus Italiae, ſed & in ipſo Italiae ſinu poſitae praeficiebantur. Non raro idem *Dux & Marchio* dictus eſt. Dux, quia provinciae; Marchio, quia regioni vel urbi limitaneae praecerat (6). Initio Marchionatus officiaria tantum dignitas fuit; inde feudalitia paſſim evaſit, iiſque collata, qui feudum haberent ſive in finibus, ſive in ipſo Regni gremio. Hinc Feudiſta (7) Marchiones inter feudatarios recenſet.

§. IV. In Regno noſtro nulli ſub Nortmannis Marchiones fuerunt; his enim opus non habebant, cum tuendis imperioli ſui finibus ipſimet ſufficerent. Nec ſub Suevis, ac vero etiam Andegavenſibus, ulla comparet Marchionum vola aut veſtigium in Conſtitutionibus Siculis, atque Capitulis; in quibus tamen inter feudatarios dumtaxat *Comites*, *Barones*, & *Milites* referuntur (a). Forte ſub Aragonenſibus feudalis Marchionum dignitas prodiit; eorum enim prima ſit mentio in pragmatica Ferdinandi I. an. 1466. Deinceps Marchionum numerus adeo increvit in noſtris regionibus, & univerſa Italia, ut omnis fere veterum Marchionum idea exciderit.

M CAP.

(6) Vid. Nucaeum *ad Leon. Oſtienſ. lib.* 1. *cap.* 21. & 49. & Murator. *Antiq. Italic. med. aevi diſſ.* 6. quae eſt *de antiquis Marchionibus Italiae*.

(7) *I. F.* 1.

(a) Io. Seldenus *de titul. honor. part. II. cap.* 1. *p.* 204. noſtrates nonnullos ſecutus tradit: *Recens eſt Marchionum titulus* (in Regno noſtro). *Primus eum gerens fuit Cecco dal Borgo, creatus Marchio de Peſcara a Ladislao Rege*. At id nullo idoneo vade perhibetur.

Digitized by Google

CAP. V.

De Principibus.

§. I. PRinceps in iure feudali eſt, *qui feudum ſub titulo principatus a Rege tenet*. Apud Romanos Princeps dicebatur, qui in ordine aliquo primarium tenebat locum. Sic *Princeps Senatus* audiit Senator ille, qui in reformatione Senatus, novoque catalogo a Cenſore primo loco nominabatur, primuſque ſententiam ferebat; unde *Senator primae ſententiae* vocatus eſt (1). Sic etiam *principes iuventutis* dicti primum nobiliſſimi adoleſcentes ordinis equeſtris (2); inde filii & deſignati ſucceſſores Imperatorum. Hic titulus primum ab Auguſto tributus Caio & Lucio adoptivis filiis (3), exinde aliorum Caeſarum filiis & ſucceſſoribus. Tandem ſub Imperatoribus *Principes* quoque dicti ſunt primarii miniſtri militiae, atque aulae. Hinc *Principes Cohortales*, *Principes Agentium in rebus*, & *Principes officii*, ideſt primi officialium & apparitorum Iudicis vel Rectoris provinciae (4). Rufinus Praefectus Praetorio *Princeps* dicitur Ammia-

(1) Livius *lib. XXXIV. cap.* 23. Vopiſcus *in Aureliano.*
(2) Cic. *pro Sulla cap.* 12.
(3) Tacit. *Annal. lib. I. cap.* 3.
(4) Vid. *tit. Cod. Theod. de cohortalibus, principalibus &c.* & *tit. de Principibus Agentibus in rebus*, & ibi Gothofredum: item Veget. *de re milit. lib. II. cap.* 7. *ſeq.* Guther. *de offic. domus Auguſt. lib. II. cap.* 10. *& lib. III. cap.* 11. & Sirmond. *ad Ennod. epigr.* 137.

Digitized by Google

miano (5). In municipiis etiam *princeps civitatis* appellabatur magiſtratus (6). Odenatum Palmyrenum, quem *decurionem* Sext. Rufus (7), *principem civitatis* appellat Trebellius Pollio (8). Sub Gothis *Principes* etiam vocati ſunt primarii miniſtri belli & ſtatus (9).

§. II. Primus in novum honorarium titulum *Principis* nomen in regiones noſtras invexit Arechis II. Dux Beneventanus an. DCCLXXVII. Hic Deſiderii Longobardorum Regis gener, quempiam in Ducatu ſuo ſuperiorem agnoſcere detrectans, reiecto *Ducis* titulo, *Principis* titulum adſumſit, & Carolo M. obſtitit. Leo Oſtienſis (10): *Hic* (Arechis) *primus Beneventi Principem ſe appellari iuſſit, cum eatenus qui Benevento praefuerant, Duces vocarentur. Nam & ab Epiſcopis ungi ſe fecit, & coronam ſibi impoſuit, atque in ſuis chartis ita in fine ſcribi praecepit: Scriptum in noſtro Sacratiſſimo Palatio.* Idem habet Romualdus Salernitanus (11). Auſus quidem non eſt Arechis titulum *Regis* adſumere, quod ſibi a Carolo & Pipino Italiae Regibus metueret: *Principis* nomen adſcivit, ceu minus Regio, maius autem Ducali. Eius exemplum ceteri ſucceſſores, vel diviſa in plures

(5) *Lib. XVI. epiſt.* 137.
(6) Modeſtin. *l.* 15. §. 9. *D. de excuſat.*
(7) *In Breviar. in Valeriano.*
(8) *In XXX. Tyrann. in Odenato XIV.*
(9) Vid. Caſſiodor. *lib. VII. cap.* 24. *& lib. II. cap.* 35.
(10) *Lib. I. Chronic. Caſſinenſ. cap.* 9.
(11) *In Chronic. cap.* 9. apud Peregrin. *hiſt. Princip. Longob. tom. II.*

Digitized by Google

partes Beneventana dynaſtia, ſecuti ſunt. A Principatu enim Beneventano poſt annos 90. prodiere Principatus *Salernitanus*, & *Capuanus*. Nimirum Siconulfus Siconis Principis Beneventi filius cum Salernum aliaſque civitates ademiſſet Radelchiſo Principi Beneventano, Ludovicus II. Imp. in Italiam veniens an. DCCCLI. *convocatis omnibus Longobardis totam Beneventi provinciam inter Radelchim & Siconulfum aequo diſcrimine partitus eſt* (12); in qua partitione Salernum & Capua cum aliis urbibus Siconulfo ceſſere. Exinde qui Salerno imperarunt, *Principes Salerni* vocati ſunt. Mox Landulfus Capuae Gaſtaldus a Salernitano Principe defecit, adſcitoque *Comitis* titulo, abſoluto iure utebatur; at eius ſucceſſores a Pandulpho Caputferreo in poſterum *Principes Capuae* ſe appellarunt.

§. III. Tres hi principatus, Beneventanus, Salernitanus, & Capuanus ad Reges Siculos ſub Normannis devenerunt. Rogerius I. Rex, capta Capua, *Anfuſum filium ſuum, favore Optimatum Militumque, Capuani Principatus honore per vexillum ſublimavit*, teſte Teleſino (13): quo denato, patre ſuperſtite, Gulielmus filius alter eadem dignitate donatus eſt. Mox Principatus *Barenſis*, & *Tarentinus* inſtituti. Nam Rogerius Tancredum filium *Principatu Barenſi* donavit, ut habet Teleſinus (14). Sub eodem Rege *Principatus Tarentini* titulus emerſit, quo Simonem filium

(12) Erchempert. *in Excerptis n. 19.*
(13) *Lib. III. cap. 27.*
(14) *Lib. III. cap. 26.*

Digitized by Google

filium nothum teſtamento honeſtavit. Sed illius filius Gulielmus Rex hunc Simoni ademit, dicens: *Ducatus Apuliae, Tarentique, & Capuae Principatum legitimis tantum filiis debere concedi: ad Comitatus autem, aliaſque Regni dignitates non indignum eſſe liberos etiam naturales admitti*, uti refert Falcandus (15). Hinc patet, *Principis* titulum Comitalem longe dignitate praeceſſiſſe, ac neminem hac tempeſtate ad Principatum, vel Ducatum contendere potuiſſe, niſi regio genere ortum. Nunc intelligis, quid ſibi vult Rogerius I. (16), dum vetat tam Comitibus, Baronibus, Epiſcopis & Abbatibus, quam iis, quos *Principes noſtros* appellat (hi tum erant Rogerius Dux Apuliae, Anfuſus Princeps Capuae, & Tancredus Princeps Barii), feuda & regalia iura alienare, vel minuere. Sub Andegavenſibus primogenitus Regis vocabatur *Princeps Salerni*, uti fuit Carolus filius Caroli I. Andegavenſis, antequam in Regnum ſuccederet; exinde *Dux Calabriae* dictus eſt, ut Carolus Calabriae Dux, filius Roberti Regis, qui patri praemortuus fuit. Quandonam vero feudalis Principis dignitas privatis patere coeperit, incertum eſt. Sub Nortmannis & Suevis tantum *Comites*, *Barones*, & *Milites* inter privatos feudatarios referuntur. Forte ſub Aragonenſibus eiuſmodi dignitas privatis patuit, ſenſimque Principum numerus increvit. Ferdinandus I. Aragonenſis Roberto Sanſeverino Marſici Comiti civitatem Salerni ſub titulo Prin-

 cipis,

(15) *Pag.* 659.
(16) *Conſt.* ſcire volumus, *de iuribus rer. regalium.*

Digitized by Google

cipis, ius monetae cudendae, ac succedendi in bona reorum Maiestatis, concessit; sed paullo post revocavit (*a*).

§. IV. Quî hîc omittam, e provinciis nostris Principis titulum in cetera Regna profluxisse? Inde quidem in Regnum Hierosolymitanum perrepsit. Cum enim Boëmundus Tancredi filius Rogerio fratri in Tarenti & Barii principatu successisset (17); Antiochiae dominus factus, eiusdem *Princeps* est appellatus, quod, inquit Wilhelmus Tyrius (18), antea *Princeps* vulgo nuncuparetur, Tarenti scilicet, ut habet Io. Villanus (19). Inde *Principis* titulus datus legitur Galileae seu Tiberiadis in eodem Regno dominis. Praeterea *Principem Philippensium* commemorant Albertus Aquensis (20), & Honorius III. (21). Transiit etiam *Principis* dignitas in Imperium CPolitanum sub Imperatoribus Francis. Nam Guilelmus cognomento *Campanensis*, expugnata Achaia & Peloponneso, *Principem Achaiae & Moreae* se inscripsit: quod & ab eius successoribus factum est (22).

CAP.

(a) Conf. Constant. *Hist. Regn. Neap. lib. XIX. in fin.*
(17) Ordericus Vitalis *lib. VIII.*
(18) *Lib. VI. cap.* 23.
(19) *Lib. IV. cap.* 18.
(20) *Lib. III. cap.* 54.
(21) *In epist. ad Everardum Patriarcham*, apud Rainaldum *an.* 1217. *n.* 17.
(22) Conf. Dufresne in *historia Franco-Byzantina*.

Digitized by Google

CAP. VI.

De Baronibus.

§. I. BAro in re feudali eſt, *qui caſtrum titulo baroniae a Rege ſub nexu fidei tenet*. Apud Latinos ſcriptores Baro hominem ſtultum ac rudem ſignificat: quo ſenſu uſurpatur a Tullio (1), Perſio (2), Lucilio (3), aliiſque. Cornutus Perſii ſcholiaſtes (4) Barones dictos ait militum ſervos: *Gallorum lingua Barones ſeu Varones dicuntur ſervi militum, qui utique ſtultiſſimi ſunt, ſervi videlicet ſtultorum*. Iſidorus Hiſpalenſis (5) eo nomine quoſvis miniſtros deſignat: *Mercenarii ſunt, qui ſerviunt accepta mercede, iidem & Barones Graeco nomine, quod ſint fortes in laboribus; βαρυς enim dicitur* gravis, *quod ſit fortis*.

§. II. Quemadmodum famulos *homines* vulgo etiam appellabant, ita Franci & ceteri boreales populi, poſtquam Galliam invaſere, vel Italiam, *Barones* adpellarunt quoſvis homines. Sic ea vox accipitur in Lege Salica (6), Ripuaria (7), Alemanna (8). Ita etiam Lex Longobarda (9):

(1) *De finib. lib. V. cap.* 23. & *lib. III. ep. ult.*
(2) *Sat.* 5. *v.* 138.
(3) *In fragmentis v.* 814.
(4) *Ad Perſii ſat.* 5.
(5) *Origin. lib. IX. cap.* 4.
(6) *Tit.* 33. §. 1.
(7) *Tit.* 58. §. 12.
(8) *Tit.* 76. & 95.
(9) *Lib. I. tit.* 9. *l.* 3. & *tit.* 13. *l.* 1.

Digitized by Google

Si quis homicidium perpetraverit in Barone libero, vel servo, vel ancilla. Inde Baronis nomen traductum ad magnates & vassallos significandos, qui etiam *homines* dicuntur, utpote peculiari Principum obsequio addicti ob beneficia & feuda, quae iis conferebantur, ut servitia sua impenderent in rebus militaribus, vel civilibus (a). Itaque *Barones* dicti sunt vassalli, qui terras a Rege tenent sub onere fidei ac servitii. Latissima quidem significatione Barones dicuntur omnes vassalli, nempe Duces, Comites, Marchiones &c. Ita Ordericus Vitalis (10) *Barones* pro quibuslibet vassallis usurpat: & *baronia* generatim quodcumque feudum a Rege datum significat.

§. III. Iam in libris feudalibus nomen *Baronis* non occurrit: nec ante Nortmannos legitur apud scriptores nostrates. Nortmanni feudalem Baronum dignitatem e Gallia in Regnum nostrum induxerunt. Gulielmus I. Rex (11) apud se questos ait Regni homines, *quod Praelati ecclesiarum, Comites, Barones, & Milites* adiutoria ab hominibus suis extorquerent. Malaterra

(a) Car. Dufresne in *Glossar. v. Baro* tradit, inde usque ab Augustini aevo *Barones* vocatos fuisse viros nobiles, Principum obsequiis & servitio addictos, vel certe viros militares, & qui primas tenebant in aulis Regum. Urget ipsius Augustini testimonia ex *Sermonibus ad Fratres in eremo*. Nollem haec summo viro excidisse; constat enim sermones illos a recentiore impostore Augustino affictos.

(10) *Lib. III. p.* 465.

(11) *Const.* quamplurium, *de adiutoriis exigendis ab hominibus*.

Digitized by Google

terra (12), Teleſinus (13), Falco Beneventanus (14), Romualdus Salernitanus (15), ceterique *Barones* appellant feudatarios & ſubfeudatarios. Charta donationis Epiſcopo Montiſviridis factae an. MCVII. (16) ſubſcribunt: *Ricardus Balbano Baro, Rainaldus de Ravello Baro &c.* In donatione Eccleſiae Bovinenſ.an.MCXVIII. (17) legitur, *Berardus de Averſa Baro*. Sub Suevis crebra fit Baronum mentio ad eos ſignificandos, qui caſtra nexu fidelitatis & militaris ſervitii a Rege fuerant conſecuti. Fridericus II. (18) ſcribit: *Si miles, quatuor: ſi Baro, octo: ſi Comes, ſexdecim auguſtales curiae noſtrae componat*. Idem Rex (19): *Comes, Baro, Miles, ſeu quicumque alius, qui publice guerram in Regno moverit &c.* Rurſus (20) Barones diſtinguit a Comitibus, & Militibus: *Quiſquis poſt haec prohibita arma detulerit, ſi quidem Comes fuerit, quinque uncias; ſi Baro, quatuor; ſi Miles ſimplex, ſex &c.* Ex his colligitur, tres tantum vaſſallorum ſpecies ſub Nortmannis ac Suevis fuiſſe, *Comitum, Baronum*, & *Militum*; atque peculia-

(12) *Lib. III. cap.* 41. *& lib. IV. cap.* 23.
(13) *Lib. I. cap.* 21. *lib. III. cap.* 2. *& alibi*.
(14) *In Chronic. ad an.* 1115. *&* 1119.
(15) *In Chronic. ad an.* 1166.
(16) Apud Ughellum *Ital. Sacr. tom.VII. in Epiſcopis Montiſviridi. n.* 1.
(17) Apud Ughell. *tom. VIII. in Epiſcop. Bovinenſib. n.* 5.
(18) *Conſt.* cultus iuſtitiae, *de cultu iuſtitiae*.
(19) *Conſt.* comes, *de his qui in Regno &c.*
(20) *Conſt.* intentionis, *de illicita portatione armorum.*

Digitized by Google

liarem Baronis dignitatem Comitali inferiorem fuiſſe, ſed Militari maiorem (*b*).

CAP. VII.

De Militibus.

§. I. MIles apud ſequiores ſcriptores is potiſſimum dicitur, qui militari cingulo accinctus eſt, vulgo *Cavaliere*. Haec appellatio inde forte fluxit, quod qui Principi in quolibet officio ſeu in qualibet dignitate, palatina, civili, aut militari deſerviebat, ei *militare* dicebatur, eiuſque eſſe *miles*. Hoc ſenſu Auguſtinus (1) dixit: *Ille in officio Comitis militat*. Et alibi (2): *In quolibet officio militanti*. Francorum Capitularia (3) habent: *In palatio habere militiam*. Poſtea haec civilis militia ad militarem unice profluxit; ita ut qui alicui in bellis

(b) Marinus Freccia *de Subfeudis lib.I. tit. de origin. Baron. & tit. quis dicatur Baro* ſcribit, baronalem dignitatem Longobardis ignotam fuiſſe, nullumque adeo eius veſtigium haberi in libris feudorum, in quibus Duces, Comites, & Marchiones occurrunt. Subdit, in Campania, potiſſimum Averſae, magnum fuiſſe Baronum numerum vel ante annum milleſimum; idque in multis privilegiis ſe legiſſe teſtatur. Sed ante annum milleſimum tantum Graeci & Longobardi regionibus noſtris imperitabant; quorum utriſque feudorum uſus fuit ignotus, ac Freccia ipſemet baronalem dignitatem Longobardis incognitam profitetur. Quid quod Averſam Nortmanni poſt annum milleſimum condiderunt?

(1) *Lib. V. de civit. Dei cap. 6.*
(2) *Epiſt. LV.*
(3) *Lib. VII. cap. 435.*

Digitized by Google

bellis militaret ac mereret, eius esse *Miles* diceretur, praesertim qui feudi alicuius ratione servitio militari obstrictus esset. Hinc *Miles* passim pro *vassallo* a scriptoribus usurpatur. Dudo (4): *Et fide*, inquit, *qua concatenantur senior & Miles*. Hinc apud Adamum Bremensem (5) *in militem adoptare* est vassallum sibi aliquem efficere dato ei feudo.

§. II. Sub Nortmannis nemo fieri miles poterat, nisi e milite prognatus. Rogerius I. Rex (6) quemque arcuit *a militiae nomine & professione, nisi forte a militari germine per successionem duxit prosapiam*. Idem sub Suevis observatum, Regisque indulgentia opus erat, ut inter milites referretur, qui de genere militis natus non esset. Formulam exhibet Petrus de Vineis (7): *Supplicationibus ipsius benignius inclinati de potestatis nostrae plenitudine tibi concedimus potestatem: quod quondam pater tuus miles non fuerit, & nostris Constitutionibus* (puta Rogerii) *caveatur, quod miles fieri nequeat, qui de genere militum non nascuntur: ipse tamen de culminis nostri scientia decorari valeat cingulo militari, mandamus*.

§. III. In Constitutionibus Regni crebra fit *Militum* mentio. In primis Fridericus II. (8) ait: *Pro Comite, quem ceperit aliquis, qui foriudicatus, vel bannitus non fuerat*, 100. *augustales*;

(4) *Lib. III. de morib. Nortman.*
(5) *Cap.* 165.
(6) *Const.* divinae iustitiae, *de nova militia*.
(7) *Lib. VI. epist.* 17.
(8) *Const.* cultus iustitiae, *de cultu iustitiae*.

Digitized by Google

les; pro Barone, 50; *pro MILITE SIMPLICE*, 25; *pro Burgenſi* 12; *pro ruſtico*, 6. *conſequetur*. Ex hac ſanctione, aliiſque compluribus, conſtat, militis dignitatem baronali inferiorem eſſe, & a burgenſi diſtinctam. Sane Comes eſt qui de territorio titulo Comitis, Baro qui de caſtro titulo baroniae a Rege inveſtitus eſt; Burgenſis, qui privata bona poſſidet; ruſticus, qui agriculturae vacat. Quid vero fuerit *Miles ſimplex*, vel *απλως Miles*, & qua in re a Barone diſtinguebatur, non idem omnibus ſedet. Marinus Freccia (9) cenſet, Militem fuiſſe, qui feudum ſine baroniae titulo poſſidebat. Contra Matthaeus Afflictus (10) hoc inter Baronem & Militem diſcrimen ſtatuit, quod *Baro* diceretur qui a Rege, *Miles* vero qui a Barone feudum accepit, eiuſque adeo ſubvaſſallus eſſet.

§. IV. Verum enimvero ſecus ſe res habuit. Certum quidem eſt, *Milites* fuiſſe nobiles, cum ad militiam conſequendam natalium nobilitas neceſſaria eſſet, & plerumque feuda poſſediſſe. Ita Fridericus II. (11) indulget *Baronibus & Militibus dotarium conſtituere de feudis, quae poſſident, uxoribus ſuis*. Rurſus (12) cavit, *ut nullus Comes, Baro, vel Miles* alienet aut permutet rem feudalem. Iam vero Militum alii erant primi, alii ſecundi, vel tertii ordinis. Ad rem tradit Wip-

(9) *De ſubfeudis lib. 2. tit. quis dicatur Baro.*
(10) *In Conſt. poſt mortem.*
(11) *Conſt.* licentiam, *de dotibus.*
(12) *Conſt.* hac edictali lege, *de revocatione feudor.*

Digitized by Google

Wippo (13): *Quod omnes Episcopi, Duces, & reliqui Principes, Milites primi, Milites gregarii, quin & ingenui omnes &c.* Ubi *Milites primi*, seu *primi ordinis* sunt Barones: alii *Milites secundi* vel *tertii ordinis* & *gregarii* sunt, qui *Milites simplices* vocantur in nostris Constitutionibus, ubi Baronibus opponuntur. Lucem huic rei offundit testimonium Philippi de Pergamo (14): *Aliqui autem ex nobilibus reperiuntur, qui infirmum tenent nobilitatis gradum, ut sunt simplices Milites.* In Constitutionibus quoque Albigensibus legitur: *Si inde convicti . . dabunt singuli* 10. *libras si fuerint Barones: si simplices Milites,* 100. *solid.* Ubi a Baronibus Milites simplices seiunguntur. Erant itaque *Milites* viri nobiles, & interdum feudatarii; quo factum reor, ut Rex Fridericus II. *Milites simplices*, qui feudis carebant, ab ipsis *Militibus*, qui feuda tenebant, nonnumquam distinguat.

§. V. Sunt & *milites litterati*, puta, qui cum gente nobiles essent, legalibus studiis vacaverant, ut in supremis Regum foris ius dicerent: quosque inde *dominos legum* vocatos observat Ducheſnius (15). In Charta Leodegarii Episcopi Aptensis scripta ante an. 1113. (16) legitur: *Et hoc sit sub sacramento duorum militum legalium.* Hic quidem titulus, quemadmodum & in re militari, iis tantum concessus videtur, qui

(13) *De vita Conradi Salici p.* 133.
(14) *In Catone moralizato.*
(15) *In histor. Gandensi lib. IX. cap.* 3.
(16) *In Chartario Aptensi p.* 13.

Digitized by Google

qui doctrinae ſuae ac induſtriae in litteris, legibus & conſiliis ſpecimen ediderant. Matthaeus Paris (17): *Henricus de Bathonia Miles litteratus, legum terrae peritiſſimus.* Porro tradit Bartholus (18), *doctorem actualiter Regentem in iure civili per decennium, effici militem ipſo facto.*

CAP. VIII.

De nuptiis feudatariorum.

§. I. IN nuptiis feudatariorum domini directi conſenſus requiritur, ne quid detrimenti ſentiat, praeſertim ſi mulier feudum poſſidens nubat hoſti, inimico, ſuſpecto, vel minus grato homini. Ius hoc Seniorum apud Francos, Germanos, Anglos, Hiſpanos, aliaſque gentes obtinet (1) (*a*). In Regno noſtro Gulielmus I. (2) ve-

(17) *An.* 1251. (18) *Ad l.* 1. *C. de profeſſoribus, qui in urbe CP.* (1) Conf. Petr. Ludewigium. *lib. I. hiſtor. opuſc. III. cap.* 18.

(2) *Conſt.* fratribus, *de fratrib. obligantib. partem feudi.*

(a) Homines quoque ſervilis conditionis, coloni & adſcriptitii matrimonium contrahere non poterant ſine domini venia; quae vocabatur *maritagium*, ſeu licentia maritandi. Eginhardus *ep.* 16. *ad Hattonem Comitem* ſcribit: *Quidam homo veſter nomine Hunno venit ad limina ſanctorum Marcellini & Petri, veniam poſtulans pro eo, quod conſervam ſuam ancillam veſtram ſibi in coniugium ſociaſſet ſine veſtra iuſſione, propter hoc precamur benignitatem veſtram; ut nobis indulgentiam de hoc facto percipere mereatur.* Ut autem conſenſum obtinerent ſervi, cenſum definitum dominis praeſtabant. Charta Gulielmi Laudunenſis epiſcopi, apud Cognatum in Hiſtoria Tornacenſi: *De unoquoque eorum tam ſervo, quam ancilla, habebitis annuatim ſex denarios cen-*

Digitized by Google

vetuit baronum matrimonia contrahi sine peculiari Regis venia. *Fratribus*, inquit, *ob dotes sororum suarum, si mobilia, vel hereditagia non habeant, sororibus suis partem feudi permittimus obligare: & si etiam tria feuda, aut plura habeant, unum ex eis in dotem sorori dare possunt. Ut tamen in omnibus supradictis, quando feudum alienatur, vel obligatur, aut in dotarium constituitur, matrimonium ipsum de speciali nostra licentia contrahatur. Aliter omnes conventiones nullas vires habebunt.* Quod vero Gulielmus filiis Baronum petentibus nuptias fero consensum praebebat, ut facile interirent familiae, & feuda redirent ad fiscum, inde Baronum in Regem odium

censuales, & de mortua manu duos solidos, & de maritagio duos solidos. Etiam in Sicilia coloni censum pendebant dominis suis pro licentia matrimonii. Eum pro rusticis ecclesiae Gregorius M. *lib. I. ep. 44. ad Petr. Subdiac.* temperavit: *Pervenit etiam ad nos, quod de nuptiis rusticorum immoderata commoda percipiantur: de quibus praecipimus, ut omnia commoda nuptiarum unius solidi summam nullatenus excedant. Si qui sunt pauperes, etiam minus dare debent: si qui autem divites, praefati solidi summam nullatenus transgrediantur: quod nuptiale commodum nullatenus volumus in nostram rationem redigi, sed utilitati conductorum proficere.* Haec pensio pro licentia nubendi apud Anglos *marchetum* dicebatur. Quin apud Scotos cum ex Eveni lege domini in suo territorio sponsarum virginitatem praelibarent, sponsus primam novae nuptae noctem dimidiata argenti marca redimebat, quae pensio *Marcheta* audiit. Vid. Dufresne in *Glossar. v.* marcheta. Eiusmodi praestationem pro redemptione primae noctis nuptiarum dominos praediorum etiamnum a servis glebae exigere in Belgii, Frisiae, & Germaniae aliquot tractibus, testatur Papebrochius *ad vitam S. Foranni Abbatis Walciodorensis.* In veteribus feudorum investituris conceditur consensus in horum hominum nuptiis.

Digitized by Google

odium & seditiones obortae. Rem enarrat Hugo Falcandus (3): *Ut enim cetera, quae* (Regni Proceres) *perpessi fuerunt, omittantur, miserrimum esse vel apud servilis conditionis homines, filias suas innuptas domi toto vitae tempore permanere. Nec enim inter eos absque permissione Curiae matrimonia posse contrahi, adeoque difficile permissionem hanc hactenus impetratam, ut alias quidem tunc demum liceret nuptui dare, cum iam omnem spem sobolis senectus ingruens sustulisset, alias vero perpetua virginitate damnatas sine spe coniugii decessisse.* Idem Falcandus scribit (4): *Rogerius quoque Comes Avellini Regis* (Gulielmi I.) *iram censuit declinandam, eo quod nuper iniussu Curiae filiam Phoeniciae de Sancto Severino duxisset uxorem.* Constitutionem Gulielmi confirmans Fridericus II. (5) edixit, *ut nullus Comes, Baro, vel Miles, vel quilibet alius, qui Baronias, Castra, vel feuda in capite a nobis teneat, vel ab alio, quae in quaternionibus Dohanae nostrae inveniuntur in scriptis, sine permissione nostra uxorem ducere audeat, maritare filias, sorores, aut neptes, vel quaslibet alias, quas ipsi possent, aut debeant maritare, aut filios uxorare cum immobilibus aut mobilibus.*

§. II. Diversum sub Andegavensibus ius hac in re viguit. Etenim Carolus II. (6) cuique per-

(3) *In histor. Sicul.*

(4) *De tyrannid. Sicul.*

(5) *Const.* honorem nostri diadematis, *de uxore non ducenda sine permissione Curiae.*

(6) *In Capitulo* item statuimus, quod licitum sit Baronibus.

Digitized by Google

permisit, *libere matrimonia contrahere, filias, amitas, sorores, & neptes maritare, filios uxorare, & alia matrimonia celebrare, in quibus hactenus requirebatur assensus, sine assensu Curiae impetrando, dummodo feuda, vel res feudi non dentur in dotem, & dummodo eadem inter fideles contrahant, & fiant.* Idem Carolus II. (7) (abrogata lege Caroli patris in Capitulo *satis constat*) concessit *filiis bannitorum & foriudicatorum* sine Regis assensu nuptias celebrare, quamvis feudalia bona habeant, modo parentes crimen haeresis, aut laesae maiestatis non admiserint.

§. III. Postulat hic locus, ut de matrimonio morganatico paucis edisseramus. Eiusmodi matrimonium continet pactum, ut uxor, & liberi nascituri dignitatis & hereditatis mariti ac patris participes non fiant, sed bonis adsignatis contenti sint. Prima eius mentio fit in consuetudinibus feudorum (8): *Quidam habens filium ex nobili coniuge, post mortem eius non valens continere, aliam minus nobilem duxit, qui nolens existere in peccato eam desponsavit ea lege, ut nec ipsa, nec filii eius amplius habeant de bonis patris, quam dixerit tempore sponsaliorum; verbi gratia decem libras, vel quantum voluerit dare, quando eam desponsavit; quod Mediolanenses dicunt accipere uxorem ad morganaticam, alibi lege Salica. Hic filiis ex ea susceptis decessit. Isti in proprietatem non succedunt aliis extantibus; sed*

(7) *In Capitulo* humanitatem, *de filiis bannitor. & foriudicator*, & *Capitulo* item statuimus quod filiae proditorum -

(8) *II. F. 29.*

Digitized by Google

nec in feudo, etiam aliis non exiſtentibus, qui licet legitimi ſint, tamen in beneficio minime ſuccedunt. In proprietate vero ſuccedunt patri, prioribus non exiſtentibus, ſuccedunt etiam fratribus ſine legitima prole decedentibus ſecundum uſum Mediolanenſium. Apud Germanos potiſſimum viget matrimonium ad morganaticam. Hoc autem pacto cavetur. (I) Ut inter virum illuſtrem & mulierem imparis conditionis ſit verum & chriſtianum matrimonium. (II) Ut uxor nobilitatis viri particeps non fiat, ſed in ſua maneat conditione, parteque ſibi a marito adſignata unice contenta ſit. (III) Ut liberi inde ſuſcepti legitimi quidem ſint, at a patris titulis & inſignibus abſtineant, nec in feudis aliiſque bonis ſuccedant, portione, pacto ſibi deſtinata, contenti.

§. IV. Spectat itaque morganaticum pactum tam uxorem, quam filios. Quod ad primam, ea, etſi vera & chriſtiana uxor, vi pacti a nobilitate ac dignitate viri excluditur; cum alias certum ſit, *nuptas clariſſimis perſonis, clariſſimarum perſonarum appellatione contineri*, uti loquitur Ulpianus (9). Excluditur etiam a quovis iure in bona mariti, ſive a iure communi, ſive a ſtatuto, vel conſuetudine promanet (10): tantum adſignata ſibi portione contenta eſſe debet. Quod vero pertinet ad filios, ii pacto patris nobilitate nequeunt excidere, niſi ea peculiaribus ſtatutis ex utroque latere, tam paterno, quam materno, requiratur; etenim avita nobilitas non *μεσως mediate* per patrem, ſed

αμε-

(9) *L. 8. pr. D. de ſenator.*
(10) Vid. Vogd. *de iure coniugum in bon.*

Digitized by Google

ἀμέσως *immediate* ex concedentis voluntate in omnes posteros dimanat. Verum liberi morganatici a feudis parentum semper excluduntur; in allodia vero succedunt, si filii prioris matrimonii desint. Nec pariter adgnatis in feuda succedunt, sed dumtaxat in allodia. Omnes fere consentiunt, eosdem matri cum in allodia, tum in feuda feminea succedere, deficientibus prioris matrimonii liberis. Succedunt quoque agnatis cognatisque maternis, etiamsi illustres sint, quippe qui iura familiae maternae non amittunt.

§. V. Cum iuri communi adversetur pactum morganaticum, quod a successione excludit filios ob eam quae ipsis in sponsalibus adsignatur portionem, iusta de caussa matrimonium ad morganaticam permittendum est. Caussa duplex existit, ut scilicet per idem consulatur familiae & conscientiae. Familiae quidem, ut sumptibus alendae eiusdem nobilitatis uxori necessariis parcatur; nec patrimonium relictum in plures particulas divisum evanescat. Conscientiae autem, ne qui dono continentiae non pollet, in concubinatus, vel vagae libidinis barathrum se praecipitem agat. Haec pacti morganatici caussa probatur in iure feudali (11): nec alia de caussa sustineri potest. Etenim ius receptum contra rationem iuris (cuiusmodi est pactum hoc) stricte interpretandum. Ad rem Paullus (12) tradit: *Quod contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentia*, idest, *ad similia exempla*. Fuse de matrimonio morganatico dis-

 serunt

(11) *II. F. 29.* (12) *L. 141. D. de R. I.*

Digitized by Google

ferunt Henricus de Cocceis (13), Io. Frid. Neumannus (14), & Henricus Linch (15), quos adi.

CAP. IX.

De tutela feudali.

§. I. IN Conſtitutionibus Regni tutor filiorum Comitum, Baronum, aliorumque feuda *quaternata* poſſidentium, *balius* & *baiulus* appellatur. Moribus Nortmannorum, ubi feudorum ſucceſſores erant impuberes, quod ii militiae idonei non eſſent, dominus feudum recipiebat, ſibique illud retinebat, atque pupillo inde pro dignitate alimenta praeſtabat, aut alii feudum concedebat, ut eo frueretur, tributis tamen pupillo alimentis, qui *baiulus* dicebatur, donec feudatarius perveniret ad pubertatem, ut ea aetate conſtitutus poſſet fidelitatem domino iurare, ſervitiumque exhibere, tumque illi feudum reſtituebatur: quod pluribus confirmat Choppinus (1).

§. II. Primus certum de hac re ius conſtituit Fridericus II. (2): *Minoribus*, inquit, *qui aetatis ſuae ſuffragio iuvari non poſſunt, imperiali remedio providentes ſtatuimus, ſi quando balium impuberum maſculorum, aut feminarum gerendum alicui Serenitas noſtra conceſſerit; hi qui balium geſſerint pupillorum, poſtquam balium ipſum pubertate ſuperveniente dimiſerint, de adminiſtratione balii reddere debeant rationem, praeſente Iuſtitiario*

(13) *De lege Morganatica.*
(14) *De Principum matrimoniis.*
(15) *De matrimonio lege Salica contracto.*
(1) *Lib. III. de domin. Franc. tit. 19. n. 9.*
(2) *Conſt.* minoribus, *de iure balii.*

Digitized by Google

rio regionum, aut alio, cui hoc ſpecialiter duxerimus delegandum; ita videlicet, quod deducto eo quod Curia pro ipſo balio, prout moris eſt, dederit, nec non deductis iuſtis & moderatis expenſis, quas pro victu & veſtitu ſuo; & quas in perſona, aut rebus pueri, vel pro ſervitio debito Curiae noſtrae, de his, quae minor tenet, ipſum balium feciſſe conſtabit; reliqua pupillo integre reddere teneatur. Quod ſi fraudulenter eum res minoris adminiſtraſſe fuerit manifeſte compertum, omne damnum quandocumque per fraudem ipſam pupillo contigerit, eidem de rebus ſuis reſarcire cogatur, & tantumdem ſacris noſtris largitionibus inferre, prava conſuetudine, quae hactenus balios a ratiociniis eximebat, in poſterum quieſcente. Idem Fridericus Rex noſter (3) cavit, filiabus Baronum a Rege dari balium ad ipſarum uſque pubertatem, ac inde congrua dote elocari: *Si vero minores filiae Comitum, Baronum, aut Militum ſuperſtites fuerint, ipſarum baiulum noſtra Excellentia recipiat, ipſum vel ſibi tenendum, vel alii, qui ex fide illud gerere debeat, iuxta approbatam Regni conſuetudinem, concedendum: ac deinde ipſas, cum ad nubilem aetatem pervenerint, & baiulum noſtrum vel alterius ſupervenientem quintum decimum annum exceſſerint &c.*

§. III. Iam ſentis, ſanctionibus hiſce ſanciri. (1) Balium feudatariorum filiis impuberibus tam maribus, quam femellis a ſolo Rege dandum eſſe; idque optimo iure cautum, ne feudum per balium negligentem deterius fiat non

(3) *Conſt.* in aliquibus, *de ſucceſſione filior. Comit. & Baron.*

Digitized by Google

ſine Regis ipſius, qui illorum dominus eſt, detrimento. (II) Balium finiri pubertate ſuperveniente, ideſt, anno decimo quinto inchoato. (III) Competens ſalarium balio dandum eſſe. (IV) Finito baliatu teneri balium adminiſtrationis rationem reddere Iuſtitiario regionis, vel alii ſpeciatim a Rege deputato. (V) In reddendis rationibus deducendas eſſe iuſtas impenſas pro pupillo, & Curia factas, reliqua ipſi pupillo reddenda. (VI) Tandem balium, qui fraude adminiſtravit, ad duplum damnari, & ad damnum reficiendum, & ad tantumdem fiſco inferendum.

§. IV. Porro pupillis feudatariis balius a Rege datur, non ſolum ſi eorum pater naturali, ſed etiam civili morte deceſſerit. Idem enim Fridericus (4) ſtatuit, patre proſcripto ſeu foro-iudicato, impuberum filiorum tutelam a Rege ſuſcipi; iis vero ad pubertatem pervenientibus, patre adhuc vivo, Regi dandam eſſe virilem fructuum feudi partem, pro qua liberi ſervitia non praeſtant: *Si quando* (inquit Rex) *aliquem foriudicari contigerit, qui liberos habens inveniatur feudale aliquid poſſidere; ſi quidem liberi eius, vel eorum aliqui in pupillari aetate conſiſtant, qui protectione balii indigere noſcantur, ipſorum balium cum adminiſtratione bonorum eis contingentium Curia noſtra ſuſcipiat, quemadmodum in caſu mortis balium ipſum habere deberent; eis autem pubertatis tempus excedentibus, & in tutelam propriam venientibus, fructus partis illius, quae viventem patrem, licet pro mortuo habitum, ſe-*

(4) *Conſt.* ſi quando, *de poena foriudicator. & balio dando filiis eorumdem.*

Digitized by Google

ſecundum praedictum modum, dinumeratione liberorum attenta, ſi res adquiſita de feudo foret dividua, contingere debuiſſet patre ipſo adhuc ſuperſtite, Curiam noſtram percipere volumus, & habere, pro ea tantum parte de ſervitio nobis pro feudo ipſo debito diminuto, pro qua Curiam noſtram fructus percepiſſe conſtabit. Patre autem forisdicato naturae debitum exſolvente, pars illa, cuius fructus Curia noſtra perceperit, ad integritatem feudi libere revertatur. Itaque foroiudicatus feudatarius fit ſervus poenae, hoſtis publicus, & pro iam mortuo habetur. Hinc praxis apud nos invaluit, ut, lata proſcriptionis ſententia, praeambulum favore liberorum expediatur: quibus, ſi feudatarii ſint, balius; ſi privati, tutor datur (5).

§. V. Novum poſtea ius inſtituit Carolus II. Andegavenſis (6), quo Fridericianum ſublatum eſt: *Feudatarius*, inquit, *decedens teſtatus ſtatuat filio minori balium, quem vult, qui baliatum ſuſcipiat, nulla de hoc a nobis, vel a Curia noſtra licentia impetranda. Si inteſtatus, Curia eligat de proximis, & defuncti coniunctis magis idoneum, & baliatum committat. Sed ſi mater huius minoris filii vitae ſit honeſtae ac ſobriae, de qua fide dignorum teſtimonio Curiae liqueat, in baliatu defuncto coniunctis dandis per Curiam, quando maritus inteſtatus deceſſerat, praeferatur. Sed ſi ſecundis vel aliis nuptiis funeſtata, ſtatim baliatum ſibi conceſſum per Curiam ipſo facto per ſuperinductionem vitrici perdat, idoneiori de coniun-*

(5) Vid. Capyc. *in Inveſtitura v. feudatariorum balii.*
(6) *In Capitulo* feudatarius, *de ſtatuendo balio.*

Digitized by Google

stis feudatario mortuo concedendum. Permittit itaque Carolus cuique feudatario, balium, quem putaverit, testamento relinquere liberis, iussu Regis haud expectato. Si vero decesserit intestatus, balium a Rege dari iussit e proximis adgnatis magis idoneum. Quod si superstes sit minoris mater, modo sit vitae sobriae ac honestae, eam omnibus adgnatis in baliatu praefert; quae, si ad secunda vota properet, confestim baliatu excidit, isque magis idoneo de propinquis defuncti feudatarii defertur.

§. VII. Ex Friderici iure baliatus marium, & femellarum finiebatur pubertate, sive adveniente anno decimo quinto. Sed tandem *pragmatica* 2. *de minoribus*, cavit, ut minores etiam feudatarii usque ad annum XVIII. expletum balium habeant; nisi mulier feudataria ante eam aetatem nubat: quo quidem casu nuptiis balius finitur, non quod ea perfectae aetatis per nuptias evadat, sed quod feudum a viro sit administrandum. Hinc, marito mortuo, antequam aetatis annum XVIII. mulier compleverit, rursus a balio regenda est.

§. VII. Quamvis hodie ius a Carolo II. & dicta pragmatica 2. constitutum vigeat; Fridericianum tamen non prorsus interiit. Etenim balius testamento datus sine Regis confirmatione administrare nequit, nisi baliatus privilegium a R. Camera obtinuerit, & quae de iure sunt adimpleverit, nempe inventarium confecerit, & fideiussionem dederit rem pupilli salvam fore, quamvis testamento sit datus, paternoque probatus iudicio: quod secus est in tutoribus iure civi-

Digitized by Google

civili (7). Cumque ob feudorum & div copiam fideiuſſor tam locuples haud faci niatur, praxis apud nos inolevit, fideiu dari pro unius anni reditu, & cogi quotannis rationes reddere (8).

§. VIII. Ceterum, quae hactenus ediſſeruimus, intelligenda ſunt de iis pupillis, qui poſſident feuda *quaternata*, hoc eſt in R. Camerae quaternionibus deſcripta, ſive *ſimpliciter quaternata*, ut interpretes loqui amant, ſive *ſecundum quid*. Profecto qui feuda *plana* & *de tabula* tenent, quae potius feudorum ſimulacra ſunt, quam feuda, ii tamquam ceteri burgenſes tutori ſubſunt. Quod vero feudalia utpote digniora ad ſe trahant allodialia, balius non ſolum feudalia, ſed & burgenſatica bona, ſi quae pupillus habeat, quaſi per acceſſionem adminiſtrabit. Inde uſque ab aetate ſua obſervatum, a balio feudalia & non feudalia bona curari, teſtatur Affli-ctus (9).

CAP. X.

De perſonis feudum concedentibus.

§. I. QUi feudum aliis concedit, *dominus*, *patronus*, & *ſenior* appellatur. Dominus in legibus & ſtatutis Principum, nullo adiecto vocabulo, dominus feudi intelligitur rarione vaſſalli. Patronus nonnunquam *dominum*, *ſeniorem* deſignat. Ratherius epiſcopus Veronenſis

(7) Conf. Camillum de Curte *reſolut. feudal. cap.* 30. §. 90. (8) Vid. Marad. *Singul.* 232. & Roſa *Conſult.* 23. *n.* 47. (9) *Ad cit. Conſtit.* minoribus.

Digitized by Google

Filis feudatario mortuo concedendum. Permittit itaque Carolus cuique feudatario, balium, quem putaverit, teſtamento relinquere liberis, iuſſu Regis haud expectato. Si vero deceſſerit inteſtatus, balium a Rege dari iuſſit e proxinis adgnatis magis idoneum. Quod ſi ſuperſtes ſit minoris mater, modo ſit vitae ſobriae ac honeſtae, eam omnibus adgnatis in baliatu praefert; quae, ſi ad ſecunda vota properet, confeſtim baliatu excidit, iſque magis idoneo de propinquis defuncti feudatarii defertur.

§. VII. Ex Friderici iure baliatus marium, & femellarum finiebatur pubertate, ſive adveniente anno decimo quinto. Sed tandem *pragmatica* 2. *de minoribus* cavit, ut minores etiam feudatarii uſque ad annum XVIII. expletum balium habeant; niſi mulier feudataria ante eam aetatem nubat: quo quidem caſu nuptiis balius finitur, non quod ea perfectae aetatis per nuptias evadat, ſed quod feudum a viro ſit adminiſtrandum. Hinc, marito mortuo, antequam aetatis annum XVIII. mulier compleverit, rurſus a balio regenda eſt.

§. VII. Quamvis hodie ius a Carolo II. & dicta pragmatica 2. conſtitutum vigeat; Fridericianum tamen non prorſus interiit. Etenim balius teſtamento datus ſine Regis confirmatione adminiſtrare nequit, niſi baliatus privilegium a R. Camera obtinuerit, & quae de iure ſunt adimpleverit, nempe inventarium confecerit, & fideiuſſionem dederit rem pupilli ſalvam fore, quamvis teſtamento ſit datus, paternoque probatus iudicio: quod ſecus eſt in tutoribus iure civi-

Digitized by Google

civili (7). Cumque ob feudorum & divitiarum copiam fideiuſſor tam locuples haud facile inveniatur, praxis apud nos inolevit, fideiuſſionem dari pro unius anni reditu, & cogi quotannis rationes reddere (8).

§. VIII. Ceterum, quae hactenus ediſſeruimus, intelligenda ſunt de iis pupillis, qui poſſident feuda *quaternata*, hoc eſt in R. Camerae quaternionibus deſcripta, ſive *ſimpliciter quaternata*, ut interpretes loqui amant, ſive *ſecundum quid*. Profecto qui feuda *plana* & *de tabula* tenent, quae potius feudorum ſimulacra ſunt, quam feuda, ii tamquam ceteri burgenſes tutori ſubſunt. Quod vero feudalia utpote digniora ad ſe trahant allodialia, balius non ſolum feudalia, ſed & burgenſatica bona, ſi quae pupillus habeat, quaſi per acceſſionem adminiſtrabit. Inde uſque ab aetate ſua obſervatum, a balio feudalia & non feudalia bona curari, teſtatur Affli-ctus (9).

CAP. X.

De perſonis feudum concedentibus.

§. I. QUi feudum aliis concedit, *dominus*, *patronus*, & *ſenior* appellatur. Dominus in legibus & ſtatutis Principum, nullo adiecto vocabulo, dominus feudi intelligitur rarione vaſſalli. Patronus nonnunquam *dominum*, *ſeniorem* deſignat. Ratherius epiſcopus Veronenſis

(7) Conf. Camillum de Curte *reſolut. feudal. cap.* 30. §. 90. (8) Vid. Marad. *Singul.* 232. & Roſa *Conſult.* 23. *n.* 47. (9) *Ad cit. Conſtit.* minoribus.

Digitized by Google

sis (1): *Patronus, sive, ut usitatius a multis dici ambitur, senior es?* Charta Hamelini episcopi Cenomanensis (2): *Hoc audientes & scientes tam monitu Iuelli de Meduana patroni eiusdem loci, quam clamore vulgi.* Infra: *Hoc approbante loci patrono.* Ex vocabulo *patronus* enata Italica vox *padrone*, quo Liberti, Aldii, aliique, ut aiebant, *Pertinentes* suos dominos distinguebant, cum adhuc ab eorum iure penderent: qua de re Muratorius (3). Senior dominum significat. Occurrit passim in Capitulis Caroli M. & Caroli Crassi, in Annalibus Francicis, & alibi (4). Seniores passim vocati Duces, Comites, Marchiones, Episcopi, Abbates, quibus vassi obsequium & servitium praestabant. Hinc orta Italica vox *Signore*, quae & Gallis & Hispanis communis est. In Italia tamen non solum a *vassis*, sed a *colonis liberis* appellati sunt *seniores* domini, ut videre est in Chartis Monasterii Vulturnensis (5). Hinc *seniorare* idem est ac dominari. Charta Tabularii S. Sophiae Benevent. an. MXIII. (6): *Et sumus residentes in ista civitate Luceriae ad seniorandum, iudicandum, & regendum.*

§. II. Iam de feudorum largitoribus plerique hanc statuunt regulam, eos omnes, qui domini sunt,

(1) *Lib. I. Praeloq.* apud Martene *tom. IX. Ampliss. Collect. col.* 805.

(2) Apud Dufresne *in Glossar. h. v.*

(3) *Antiquit. Italic. medii aevi diss. XV. de manumiss.*

(4) Vide Goldastum *ad Theodorum Eremitam de vit. S. Magni lib. II. cap.* 4. Multa ex Italia, Burgundia, aliisque regionibus exempla profert Bouche *Hist. Provinc. tom.* 2. *p.* 41.

(5) Apud Murator. *P. II. Tom. I. S. R. I.*

(6) Apud Peregrin. *diss. de Ducatu Benevent. p.* 81.

Digitized by Google

ſunt, & liberam habent rerum ſuarum adminiſtrationem, poſſe feudum concedere. At haec regula nec primae feudorum naturae, nec librorum feudalium ſententiae congruit. Cum primum concedi feuda coeperunt, iis dumtaxat videtur haec facultas competiſſe, qui ius indicendi, propulſandique belli haberent, quod haec fuerit prima cauſſa feudorum, ut vaſſalli dominos bellum gerentes adiuvarent. Poſtquam vero longe frequentior dandi feudi uſus invaluit, ab antiquo quidem ſplendore feudorum receſſum eſt: at mihi perſuadere nequeo, vel ignobiles quoſque homines, & abiectiſſimos cerdones potuiſſe feuda concedere, & quae conceſſiſſent pro feudis haberi, ſed potius pro aliis negotiis, in quibus tamen pacta quaedam eſſent adiecta, quae feudis ipſis adiici poſſunt, & ſolent. Huic rei luculentiſſimo argumento eſt, quod feudiſtici iuris auctores, dum de his ex propoſito agunt, quibus fas eſt feuda concedere, certas tantum perſonas commemorent (7). Quod ergo tradit Feudiſta *I. F.* 3. non generalem, quam illi putant, regulam continere videtur, ſed potius aliam explicare, quae eos ſpectat, quibus competere poſſit feudi dandi poteſtas: nimirum quaeritur, an minor poſſit facere inveſtituram, ille quidem, cui, praeter aetatem, aliud non obſit; & recte diſtinguit Feudiſta inter inveſtituram feudi veteris, & novi, dumtaxat poſterior alienatio eſt, & ideo minori interdicta, quia non habet liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem.

§. III. Sed iam certum eſt, ius dandi feuda fere

(7) Videſis *I. F.* 1. 3. 6. 7. aliaque loca.

Digitized by Google

fere non habere, niſi qui ſuprema polleat poteſtate. Cum enim feudis adnexa ſit iuriſdictio, merum, & mixtum imperium, qui alterius imperio ſubſunt, eiuſmodi iura regalia conferre nequeunt, quamvis maxima poſt Principem auctoritate polleant (8); niſi hanc facultatem ſingulari iure obtinuerint. In Regno noſtro, atque alibi, nemo poteſt de alodio ſuo feudum conſtituere, ſive privatus ſit, ſive baro; ſed ſolus Rex, aut eius venia alius. Unus Rex apud nos eſt dominus perſonarum: *Nos enim*, inquit Fridericus II. (9), *qui ſumus domini perſonarum, abſque noſtrae Serenitatis aſſenſu perſonas ſervitiis perpetuis, aut conditionibus nolumus obligari*. Iusiurandum autem fidelitatis ſervitus quaedam eſt, quam nemo ſubire poteſt, niſi Regis venia. Praeterea vaſſallus inveſtituram accipiens fidem domino iurare tenetur: cuiuſmodi ſacramentum dumtaxat Regi, aut alteri ex regia venia praeſtatur, ut idem cavit Fridericus II. (10). Tandem feudum adnexam habet iuriſdictionem & imperium; quae exerceri nequeunt ſine Regis licentia. Diſerte Fridericus II. (11) *merum imperium eſſe celſitudinis ſuae* ait, vetuitque baronibus & eccleſiarum praelatis *iuſtitiaratus* (nempe gladii) *officium in terris ſuis exercere, vel gerendum alicui demandare*.

§. IV. Ceterum in iure feudali (12), atque pontificio (13) iniicitur mentio de eccleſiae praelatis

(8) Argum. *l. 3. C. de iuriſdict.* (9) *Conſt.* quia frequenter *lib. III. tit. 9.* (10) *Conſt.* Comite vel Barone *lib. III. tit. 24.* (11) *Conſt.* ea quae ad ſpeciale decus, *lib. I. tit. 49.* (12) *I. F. I. 3. & 6.* (13) *Cap. 2. ext. de feud.*, *Extrav. ambitioſae de reb. eccleſ. non alienand.*

Digitized by Google

latis, deque feudis, quae ipſi concedunt. Sed quoniam, quae in his feudis occurrunt notabiliora, ad res pertinent, quae in feudum dantur, de his *lib. II. cap.* 1. opportunius ediſſeremus.

CAP. XI.

De perſonis feudum accipientibus.

§. I. FEudi adquiſitores diverſis nominibus deſignantur; generaliter vocari ſolent *vaſſalli*, *clientes*, *milites*, *fideles*, *beneficiarii*, aut *beneficiati*; ſpecialiter autem *Duces*, *Marchiones*, *Comites*, *Principes*, *Barones*. Hi omnes in Regno noſtro, ubi maior nobilitas ſine exemplo eſt multa, vocantur *Titulati*, & Latine *Titularii* dicuntur M. Antonio Surgenti (1). Quamquam autem omnes hi maiores Titularii generali ſignificatione Barones vocentur; diſtincta tamen apud nos eſt Baronum dignitas, uti ſupra vidimus.

§. II. Olim feuda iis dumtaxat concedebantur, qui ad militiam eſſent idonei. Inducta exinde feudali ſucceſſione, quilibet feudi capax evaſit, niſi iure moribuſve expreſſe prohibeatur; quin etiam feminis, eccleſiis, & monaſteriis feudorum aditus patuit. Latiſſime quidem protenditur regula de his, qui feuda poſſunt adquirere, cum a domini voluntate pendeat, cui magis lubeat, feudum elargiri. Etſi enim plures ſint, qui nequeunt militarem operam praeſtare, aut nominatim in feudum ſuccedere prohibentur, tamen ſi Princeps alicuius impedimenti haud igna-

(1) *Lib. I. Neap. illuſtr. cap.* 23. §. 1. *ſeq.*

Digitized by Google

ignarus feudum det, illud remittere intelligitur, & vaſſallum acquirendi capacem efficere, aut militaribus ſervitiis eum eximere, aut permittere, ut ſibi per ſubſtitutum praeſtentur.

§. III. Itaque non modo laici, ſed etiam clerici feudum accipere poſſunt. Clerici quidem de novo feudo inveſtiri poſſunt (2); at nec per ſucceſſionem illud adquirere, nec ante quaeſitum, quam eccleſiaſticae militiae nomen darent, retinere poſſunt, cum deſinat eſſe miles ſaeculi, qui coepit eſſe miles Chriſti (3). Praeſertim ſaeculo IX. & X. feuda eccleſiaſticis data, iique loricati in praelia pergebant, canonibus invitis & obluctantibus (4). Inde ad temperandos canones diſputari coepit, an clericus ſeniori per ſubſtitutum deſervire poſſet; invaluitque clericum feudo inveſtitum poſſe per ſubſtitutum, praeſertim ſi dominus ſciverit illum eſſe clericum, inſervire. Monachus etiam feudum adquirit monaſterio, modo poſſeſſionis incapax non ſit; ita quidem, ut ſi monachi ſolius contemplatione datum ſit, eo mortuo, redeat ad dominum; ſin monaſterii contemplatione, huic adquiratur. Cum Princeps feuda eccleſiae, monacho, aut monaſterio elargitur, annuere intelligitur, ut per ſubſtitutum ſerviant, pecuniam, victum, & milites tempore belli contribuant (5).

§. IV. Maſculi aeque ac feminae feudi capaces ſunt. Cum feuda militiae cauſſa ſint inſtitu-

(2) *II. F.* 40. §. *ult.*
(3) *II. F.* 21. 26. §.4. *qui clericus*, *II. F.* 30. 36. 40.
(4) Conf. Zieglerum *de epiſcopo milite cap.XI.*
(5) Conf. Murator. *Antiquit. Italic. medii aevi diſſ. XXVI.*

Digitized by Google

ſtituta, vel ut dominum in rep. gerenda adiuvent, feminae ob ſexus imbecillitatem feudis olim excluſae fuerunt. Inde ſtatutum eſt, ut feminae accipere feuda poſſint (6); quin & ad feudorum ſucceſſionem admiſſae ſunt, modo ita conventum ſit, & maſculus deſit. Servitium autem per ſubſtitutum domino praeſtabunt. Item maiores, & minores aetate feudis non arcentur, ita tamen, ut, ſi de pupillo agatur, iusiurandum fidelitatis in id tempus differatur, quo pubes ſit factus (7). Interim per ſubſtitutum ſerviet, cum dominus perſonae ad ſervitium minime idoneae feudum dederit: immo illud remiſiſſe, ſtante pupillari aetate, videtur (8).

§. V. Non ſolum patresfamilias, ſed & filiifamilias accipere feuda poſſunt. Anne feudi uſusfructus patri acquiritur? Prorſus negandum eſt. Iuri enim feudali convenire non videtur, ut qui, mortuo filio, nequit in feudo ſuccedere (9), eo vivo totum capiat emolumentum. Deinde cenſendus eſt Princeps aut praeterita filii merita remunerari, aut eum ad bene de ſe merendum allicere, ſicque communi eum lege ſolvere voluiſſe. Porro ius civile filiofamilias & res a Principe donatas (10), & plenum caſtrenſis & quaſi caſtrenſis peculii dominium addicit (11): feudum autem militiae cauſſa datur. Nec obſtat, feudi fructus non feudales eſſe, ſed allodiales (12). Inde enim ſequeretur, fru-

(6) *II. F.* 3. *II. F.* 50. *& alibi.*
(7) *II. F.* 26. §. 4. *ſi minori & II. F.* 55. §. 5.
(8) *II. F.* 26. §. *ſi deceſſerit.* (9) *II. F.* 50.
(10) *L.* 7. *C. de bon. quae liber.*
(11) *L.* 6. *&* 7. *C. eod.* (12) *II. F.* 28. *&* 45.

Digitized by Google

fructus etiam peculii castrensis & quasi pertinere ad patrem. Nec spectandum, quales sint fructus ipsi, sed qualis sit res, ex qua percepti sunt. Res autem est eiusmodi, ut qui eam habet, possit uti frui, nec alteri acquiratur, quam quibus Princeps voluit gratificari.

§. VI. Non tantum liberis hominibus, sed etiam servis potest feudum concedi (13). Si dominus servilis conditionis non ignarus servum suum investiat, censetur ei libertatem dare voluisse (14); secus feudum sibi ipsi adquireretur, quod fieri nequit. Si vero servum alienum, hic domino suo etiam invito & ignoranti statim adquirit secundum notissimas iuris civilis regulas, quas deficiente feudistico sequimur. Denique muti, surdi, mentecapti, aliique corporis, vel animi vitio laborantes feudum accipere non prohibentur (15). Inter hos prodigi feudo investiri possunt, quippe qui in adquirendo tales non habentur (16).

ELE-

(13) *II. F.* 3. §. 1.
(14) *Argum. l.* 6. *C. qui milit.*
(15) *II. F.* 36.
(16) *L.* 5. §. 1. *D. de adquir. heredit.*

Digitized by Google

ELEMENTA
IURIS FEUDALIS
COMMUNIS ET NEAPOLITANI.

LIBER II.

De rebus feudalibus.



Rimum iuris feudalis obiectum, quod *perſonas* complectitur, hactenus enarravimus: ad ſecundum nunc, quod circa *res* verſatur, decedere par eſt. Ex iure clientelari res in *alodiales* & *feudales* diſpeſcuntur; quarum illae proprietario, hae uſufructuario iure ſub lege fidei & ſervitii poſſidentur. Inſtitutis enim feudis, nova rerum diviſio, Romanis ignota, in *proprias* & *fiſcales* emerſit. *Proprias* ſeu *alodiales* barbarica aetas dixit, quae nullius iuri obnoxiae erant, ſed pleno iure ad aliquem pertinebant; *fiſcales* vero, quae a Rege primum, deinde ab aliis concedebantur ſub lege fidei ac ſervitii ſi-

Digitized by Google

ve militaris, sive urbani, atque mero usufructus iure possidebantur. Ut autem tractationem hanc de rebus feudalibus rite absolvamus, primum de rebus, in quibus feudum constituitur; deinde de modis feudi constituendi & adquirendi; tum de iure domini & vassalli in feudo, deque iurisdictione feudali; postea de oneribus feudorum; tandem de feudi amissione, pro instituti nostri ratione disputabimus.

CAP. I.

De rebus, in quibus feudum constituitur.

§. I. PRimum omnium, quae res iure feudi concedi queant, expendamus. Regula sit, res, quae in commercio sunt, & quidem immobiles, atque proprias, in feudum dari posse, modo lege, vel pacto alienari non prohibeantur. Quum enim feudi concessione usufructus in vassallum transferatur, proprietate penes dominum manente; qui unquam feudum in re commercio exempta constitui potest? Quumque feudum alienationis species sit, res, in qua constituitur, esse debet eiusmodi, ut alienari non vetetur (1). Inutile itaque est feudum in re extra commercium posita, vel alienari prohibita constitutum, quamdiu est in ea conditione.

§. II. Rem quoque immobilem esse oportet, aut quae iure immobilis gaudet, ut verum feudum constituatur, sic scilicet ferentibus hominum moribus,

(1) *II. F. 3. §. sed etiam.*

Digitized by Google

bus; unde tota vis feudorum exſurgit, ut, cauſa obligationis in ſtabilibus conſtituta, vaſſalli perpetuo fidei & obſequii nexu obſtringerentur. Itaque in feudum dari poſſunt praedia, pagi, caſtra, territoria, item imperium, iuriſdictio, iura lignandi, venandi, piſcandi, molendi, furnos habendi, demum regalia, modo diſerte exprimantur, quorum conceſſione non imminuitur maieſtas, ſed augetur. Quin nihil Principe dignius, quam integra maieſtate, proceribus Regni aliquid ſplendoris ac dignitatis ſuae communicare, ut maiori beneficio devincti in diuicando ſerviendoque fiant alacriores, ſicque virtus adaugeatur, & publica ſalus confirmetur. Iura vero in feudum concedi poſſunt tam principaliter & ſeparatim, ut iuriſdictio, ius venandi, quam per modum acceſſionis aliarum rerum. Hinc uni iuriſdictio, alteri caſtrum iure feudi dari poteſt.

§. III. Sed & propria concedentis eſſe debet res, quae in feudum datur. Quod ſi res aliena data ſit ſive a ſciente, ſive ab ignorante, ea evicta, vaſſallo, qui ignorabat alienam, competit actio de evictione adverſus dantem, ut ſibi vel aliud feudum eiuſdem qualitatis, vel pecunia praeſtetur; quam vice feudi evictori ſolvit, ut nimirum poſſit feudum retinere. Atque hoc eſt quod ait Feudiſta (2), *ut aliud eiuſdem bonitatis, vel quantitas* (perperam legunt nonnulli *quantitatis*) ſibi praeſtetur, vel nummos in feudum dandos numeret, vel demum ſibi pecu-

(2) *II. F.* 8. & 25.

Digitized by Google

nia ſolvatur, qua aliud emat feudum. Nec intereſt ſciverit, an ignoraverit is, qui feudum dedit, cum nemo ſive ex alterius dolo, ſive inſcitia fraudari debeat (3); ſed in vaſſallo intereſt, quia ei poteſt imputari, quod ſciens rem alienam acceperit (4), nec pacto ſibi proſpexerit (5). Actio autem evictionis negatur vaſſallo non ſolum ſcienti, ſed etiam negligenti, ei nempe, qui litem contra ſe motam domino non denuntiaverit, ut ipſe rem iudicio defenderet (6). Nec quemque moveat vocabulum evictionis, quae in donatione bona fide facta non praeſtatur (7); nam feudi datio ſimplex donatio non eſt, naſcuntur inde mutuae obligationes. Itaque hoc loco ſpectamus feudum ut contractum, illum quidem, ex quo naſcuntur mutuae obligationes, proinde maxime intereſt vaſſalli feudum habere, immo magis, quam habere pecuniam. Atque haec eſt cauſsa, cur actionem ei dederit potius ad aliud feudum petendum, quam ad id, quod intereſt. Verſatur etiam concedentis utilitas, qui ſi aliud feudum det, retenturus eſt militem, clientem, amicum ſibi obſtrictum. Ex hactenus dictis de re prorſus aliena, liquet, quid de re communi, ideſt partim propria, partim aliena, ſentiendum ſit. Itaque in parte propria feudum conſiſtet, & communi dividundo actio da-

(3) *Argum. l. 1. §. 2. D. de aedilit. edict.*
(4) *L. 27. C. de evict. l. 7. C. commun. utriuſq. iudic.*
(5) *Cit. tit. 8.*
(6) *Cit. tit. 25.*
(7) *L. 2. C. de evict. l. 18. §. als. D. de donat.*

Digitized by Google

dabitur ad rem dividendam (8).

§. IV. Inter res alienas referri poteſt feudum alienum, quod a vaſſallo etiamnum poſſidetur. Itaque ſi dominus pure alteri dederit, non valet conceſſio (9). Quamquam etiam directum eius dominium habeat, qui concedit, tamen utile, quod adhuc alterius eſt, in alterum transferre nequit. Num vero poſſit ſub conditione: *ſi ad ſe revertatur*; veluti extincta vaſſalli linea, vel propter feloniam, quaeritur. Vaſſallo poſſeſſore conſentiente, nulla ratio id vetat; at eo non conſentiente, illa videtur impedire, quod talis conditio votum captandae mortis contineat, bonisque moribus refragari videatur exemplo pactionum, quae fiunt de hereditate viventis (10). Sed moribus huiuſmodi expectativa, ut aiunt, & conditionata conceſſio non immerito probata eſt (11). Etenim dominus de re ſua diſponit: & quamvis interim utile dominium non habeat, quod in novum vaſſallum transferat in praeſenti, ſperat tamen in poſterum, & ea quidem ſpe, quam poſſeſſor fruſtrari nullo modo poſſit; certum enim eſt, ſi is caſus evenerit, in quem collata conceſſio eſt, fore, ut feudum ad dominum revertatur. Quam igitur iniuriam, & cui facit is, qui ſi veterem vaſſallum amittat, quaerit ſibi novum eiuſdem feudi poſſeſſorem futurum? Quae poteſt in eo, aut in vaſſallo im-

(8) *II. F.* 58. §. 2.
(9) *I. F.* 3. *II. F.* 35.
(10) *L. ult. C. de pact.*
(11) *II. F.* 26. §. 2.

Digitized by Google

probitas reprehendi, dum ſine alterius iniuria & damno inter ſe negotium gerunt: an quiā mortem alienam optare videantur? At nihil tale ſuſpicandum de iis, qui rem honeſtam agunt; ſecus teſtamenta, donationes mortis cauſſa, ſtipulationes in tempus alienae mortis collatae, idque genus alia eſſent improbanda, quae tamen iure civili permittuntur, & nihil cum iure naturae pugnant. Quod ſi aliquando immoderata futuri lucri cupiditate mors aliena exoptetur, non id, cuius occaſione exoptatur, ſed exoptantis avaritia & nequitia carpenda eſt. Diſſimiles vero ſunt pactiones de hereditate viventis, quippe quae, quum interim nullo modo ad paciſcentes pertineat, ſed pertinere dumtaxat aliquando poſſit, ſi nempe ille voluntatem ita declaraverit, aut mutaverit, vel non, agunt profecto improbiſsime paciſcentes, ſeque dignos reddunt, qui ob id ipſum ab eo omni ſucceſſione priventur.

§. V. Nunc quae res in feudum dari nequeunt, videamus. Regula eſt, concedi in feudum non poſſe rem, cuius alienatio prohibita eſt ſive a lege, ſive teſtatore, ſive contrahentium pacto. Hinc (I) *Res litigioſa*, de cuius nempe dominio lis pendet, uti alienari, ita infeudari nequit. (II) *Fundus dotalis*, quem alienari lex vetat; niſi fuerit aeſtimatus, cuius dominium maritus adquirit, adeoque iure feudi dare poteſt. (III) *Bona adventitia filiifamilias*; quorum ſolus uſusfructus eſt patri, a quo ſicut alienari, ita ſine cauſſa infeudari non poſſunt. (IV) Ex voluntate hominis fideicommiſſa, maioratus, bo-

Digitized by Google

bonaque omnia reſtitutioni obnoxia, quemadmodum alienari, ſic in feudum dari veranter.

§. VI. Quum in concedente feudum & dominium, & libera rerum adminiſtratio requiratur, res eccleſiae in feudum dari nequeunt, quippe clericus beneficii aut dignitatis iure earum dominus non eſt, nec libere de iis ſtatuere poteſt, adeoque nec in feudum concedere. Accedit, quod infeudatio alienationis ſpecies eſt, quae ſine iuſta cauſſa, & legitimis ſollemnibus interdicta eſt. Verum ob eccleſiae monaſterive neceſſitatem aut utilitatem, & adhibitis ſollemnitatibus, praelati ut alio modo alienare res ad patrimonium eccleſiae pertinentes, ita & in feudum de novo dare poſſunt. Sollemnitates noviſſime ſancivit Paullus II. (12), qui omnem vetuit rerum eccleſiaſticarum & piorum locorum alienationem, adeoque infeudationem, *inconſulto Romano Pontifice*: quod ius non ubique receptum eſt. Poteſt vero praelatus ſine ſollemnibus eccleſiae terrulas minus utiles in emphyteuſim vel feudum ex iuſta cauſſa dare ſecundum canonem 53. *cauſ.* 12. *q.* 2., cui a Concilio Tridentino *ſeſſ. XXV. cap. XXI.* haud derogatum, cenſuit Sacra Congregatio (13).

§. VII. Mediis ſaeculis eccleſiae & monaſteria res ſuas non ſolum in emphyteuſim, precariam, libellum, verum etiam in feudum dare

(12) *Extravag.* ambitioſae *de reb. eccleſ. non alienand. inter comm.*

(13) Vid. Fagnan. *ad cap.* 5. *de his quae ſunt a praelat. n.* 25.

Digitized by Google

consueverunt, modo ut defensores parārent bonorum suorum adversus barbaros ecclesias & monasteria diripientes, modo ut certum alerent militum numerum pro subsidiis Regi praebendis, modo etiam episcoporum & abbatum fastu, qui regalibus aucti, barones, comites, & valvasinos de bonis ecclesiae vel monasterii sibi creabant. Hinc crebra in legibus barbaricis *vassorum*, *fidelium*, *hominum*, *vassallorum* ecclesiae vel monasterii mentio iniicitur. Saeculo XI. Urbanus II. in Synodo sive Placentina, sive Claromontana *titulos* in feudum dari vetuit. Rem enarrat Feudista (14): *Item si Episcopus*, *vel Abbas*, *vel dominus plebis* (nempe *plebanus*, seu *parochus*) *feudum dederit de rebus ecclesiarum*, *quae eis subiectae sunt*, *& tituli vocantur*, *nullum habere vigorem*, *secundum hoc*, *quod institutum est a Papa Urbano in S. Synodo*, *hoc est*, *illud*, *quod post eius decretum fuerit: quod autem ante datum fuerit*, *firmiter permanere debet*. Heic *tituli* sunt bona necessariae clericorum sustentationi destinata, sive *convenientia stipendia militiae clericalis*, uti loquitur Alexander III. (15) (*a*). Tandem Urbanus VIII. an. MDCXXV.

(14) *II. F. 6.*

(15) *In cap. 4. ext. de praebend.*

(a) Boehmerus *ad tit. Decretal. de reb. eccles. alien.* §. 24. nomine *tituli* ecclesias paroeciales intelligit, quas praelati sine iusta causa in feudum dabant, atque abusionem hanc ab Urbano II. impediri scribit. At ecclesiae omnes *tituli* dictae sunt, non paroeciales dumtaxat: & porro exceptiones, quibus Pontifex concedit, demonstrant bona de mensa ecclesiae intelligenda esse.

Digitized by Google

MDCXXV. (16) interdixit clericis civitates, caſtra, terras, villas, arces, bona iuriſdictionalia, in feudum vel emphyteuſim dare, aut ultra triennium locare, etſi Sedis Apoſtolicae privilegium, aut immemorabilis conſuetudo fuerit: quae tamen conſtitutio non ubique ſervatur.

§. VIII. Res infeudari ſolitae, ſi ad eccleſiam vaſſalli morte, felonia, vel interitu lineae, fuerint reverſae, rurſus in feudum concedi poſſunt ſine ſollemnitatibus, iiſdem tamen conditionibus, quibus antea datae fuerant (17). Singularis de hac re eſt decretalis Innocentii III. (18), qua Mediolanenſi Archiepiſcopo reſpondit, poſſe praelatum res iam infeudatas, finito feudo, iterum ex iuſta cauſſa infeudare, quamvis iuraverit, *non infeudare de novo*, *Romano Pontifice inconſulto*. Sollemnitatibus in reinfeudatione opus non eſt. Haec enim alienationis nomine non continetur, eſtque potius antiquae alienationis rite factae renovatio. Porro res alienabilis ſemel facta, ſemper manet alienabilis; unde cum res in feudum data evaſerit alienabilis, ſi ad eccleſiam reverſa alteri conferatur, non novum conſtituitur feudum, ſed potius antiquum ſervatur. Facit huc exemplum pupilli, qui novum concedere feudum nequit ſine auctoritate tutoris; at vetus renovare non prohibetur (19). Bona eccleſiae in emphyteuſim, precariam, libellum ſine

(16) Vid. Boehmer. *ad tit. Decret. de feud.* §. 43.
(17) *II. F.* 35. *I. F.* 6.
(18) *In cap.* 2. *ext. de feudis.*
(19) *II. F.* 3. §. 1.

Digitized by Google

ſine ſollemnitate concedi nequeunt; ſed renovari ſine ſollemnitate poſſunt, quum renovatio non ſit novus contractus. Nec vero ſollemnitatem requirit Innocentius verbis, *feudum decedentis libere, ſi videris expedire, concedas*; iis enim Mediolanenſem antiſtitem monet, ne temere infeudet, ſed videat, an magis expediat eccleſiae, feudum devolutum retinere, quam alteri rurſus dare.

§. IX. Integrum praelato eſt, etiam conſanguineis ſuis feudum reverſum concedere: quod Innocentius III. (20) ſupponit. Numnam vitio verti poteſt ei, qui naturae vocem propinquos commendantis tum ſequatur, cum nulla ſubeſt fraudis ſuſpicio, eademque lege coniunctis feudum dat, quod ſine ulla reprehenſione ignoto homini dare poſſet (21)? Neque regeras Iuſtinianum (22), qui oeconomis, eorumque propinquis res eccleſiae in emphyteuſim accipere interdixit. Ut enim omittam, maiorem praelatis, quam oeconomis in rerum eccleſiaſticarum adminiſtratione facultatem eſſe, facilius in emphyteuſi, quam feudo evenire fraus poteſt; quum enim diſputamus de rebus infeudari ſolitis, rurſuſque ſecundum veteris inveſtiturae legem infeudandis, nullum metui poteſt damni periculum: contra quum Imperator non agat de rebus ſolitis in emphyteuſim concedi, iure metuen-

(20) *Cit. loc.*
(21) *Argum. cap. 12. ext. de teſtib. & cap. 25. de praebend.*
(22) *Nov. CXX. cap. 5. §. 1.*

Digitized by Google

tuendum eſt, ne qua conditio eccleſiae damnoſa adiiciatur.

§. X. Inter res eccleſiaſticas recenſentur decimae, in quibus peculiaris quaedam ratio videtur attendenda, cum de iis in feudum dandis quaeritur, quippe quae alendis clericis ſacra munera obeuntibus deſtinatae ſunt. Mediis ſaeculis eccleſiarum decimas in feudum laicis cefferant; unde *infeudatae* audiunt, Quibus modis alia bona eccleſiarum, iiſdem decimae in feudum laicis quaeſitae ſunt. Reges Francorum, in primis Carolus Martellus & Carolus M., ob publicas neceſſitates praedia eccleſiaſtica & decimas tamquam beneficia militibus ſaepe diſtribuerunt, quod & pro defenſione eccleſiarum ſimul hoſti arma inferrent (23). Epiſcopi etiam bona eccleſiarum & decimas viris potentibus & militibus in feudum contulerunt, modo ut eos arctiori vaſſallorum nexu obſtringerent, modo ut bellis laceſſiti pacem redimerent, modo ut iis ad tuenda bona eccleſiaſtica contra invaſores, & alias neceſſitates uterentur: nec defuerunt epiſcopi, qui conſanguineos ſuos decimarum & oblationum conceſſione ſaginarent (24). Adhaec potentiores in villis ſuis capellas & oratoria pro ſe & ſuis ſubditis extruebant, quae inſtar eccleſiarum paroecialium eſſent, ex quibus decimas ſibi retinebant, *iure cenſus* eccleſiae a ſe fundatae

(23) Conf. Fibſacum *de ſacrilegio laico*, Petr. de Marca, *net. in can. VII. Conc. Claromont.*, Murator. *diſſ. LXXII. Antiquit. Italic.*, & Thomaſſin. *part. III. lib. I. cap.* 11.

(24) *Can.* 3. *cauſ.* 16. *q.* 7.

Digitized by Google

tae impositi (25). Accessit tandem nobilium rapacitas, qui variis artibus in bona ecclesiae & decimas irruerunt. Ablata quum reparari non possent, transigendum saepe fuit de sacra praeda, & quaedam iis dimittenda, ut, quantum fieri posset, relictis decimis salvaretur (26). Translata vero ecclesiarum bona & decimae *ecclesiae* & *altaria* dicebantur (27); quae a laicis possidebantur tamquam feuda, adeoque in commercio erant, & in heredes transibant.

§. XI. Tandem saeculo decimo, & deinceps episcopi decimas aliaque bona ecclesiae a laicis repetere fortius adlaborarunt. Detrectantibus autem laicis, quibus dulce erat vivere de bonis ecclesiasticis, prudenter processit ecclesia, intempestivam severitatem male cedere rata. Pluribus decretis laicos veluti sacrilegos traduxit, ad restituendum hortata est, & quandoque excommunicationem minata est: variis interim delinimentis rei ecclesiasticae consuluit. Vetuit enim laicos, qui ecclesias possidebant, in presbyteros dominatum exercere (28): iisdem imposuit, tertiam decimarum partem presbyteris integram relinquere (29): permisit etiam decimas hereditario iure possessas idoneo clerico concedi ea conditione, ut postea ad ecclesiam, cuius iuris erant, reverterentur (30). Inde Concilium Lateranense

(25) Concil. Meldens. *cap.* 75.
(26) Concil. Trosleian. *cap.* 6.
(27) Vid. Cangium *Glossar. v.* altaria, & ecclesiae.
(28) *Concilium Bituricense an.* 1031. *can.* 21. & 22.
(29) *Concilium Tolosan. an.* 1056. *can. XI.*
(30) *Concilium Abrincatense an.* 1172. *can.* 9.

Digitized by Google

ſe III. ſub Alexandro III. an. MCLXXIX. (31) prohibuit, *ne laici decimam cum animarum periculo detinentes, in alios laicos poſſint aliquo modo transferre: ſi quis vero receperit & non reddiderit, chriſtiana ſepultura privetur.* Primum ergo Synodus pronuntiat, laicos cum animarum ſuarum periculo decimas detinere: earum vero reſtitutiones expreſſe non iniunxit, forte quia operoſum erat, ſacram praedam a laicorum manibus exeutere. Deinde, ut quantum temporum iniuriae paterentur, eccleſiaſticae rei proſpiceret, novas interdixit decimarum in laicos translationes, quas alicui eccleſiae reſtitui optavit. Nihil itaque a ſuperioribus decretis deflexit: proinde eius Concilii auctoritate legitimae non evaſerunt antiquae decimarum infeudationes (32). Potius Innocentio III. legitima decimarum iam infeudatarum poſſeſſio tribuenda eſt; is enim primus veluti iuſtas habet decimas a laicis ab antiquo poſſeſſas, modo pro decimarum quantitate obſequia & onera eccleſiis praeſtarent (33). Poſt Innocentium a repetendis decimis, quas nobiles laici in feudum tenebant, Concilia abſtinuerunt.

§. XII. Ex hodierna diſciplina, decimae laicis in feudum datae ante Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. recte ab iis retinentur, non item ſi poſt. Id praeſertim invaluit poſt Ale-

(31) *Can. XIV.*, & *cap. XIX. ext. de decim.*

(32) Conf. Thomaſſin. *de vet. & nov. diſcipl. par. III. lib. I. cap.* 11.

(33) *Cap. XXV. ext. de decim.*

Digitized by Google

Alexandrum IV., qui licite a laicis possideri decimas profitetur, quas *ante Lateranense Concilium* in feudum perpetuo obtinuissent (34). Quod si dubitetur, utrum ante, an post concessae fuerint, ante praesumuntur concessae, si per tempus, cuius non extat memoria, possessae probentur (35). Et quamvis decimae olim iniuste fuissent quaesitae, hodie tamen iuste possideri intelliguntur; probari enim nequit iusta ne, an iniusta fuerit adquisitio, inque dubio, praesertim cum de re antiquissima differatur, iusta praesumenda est. Ceterum decimae a laicis rite possessae tamquam bona patrimonialia pro lubitu alienantur, inque alios etiam laicos transferuntur, idque contra relatam Concilii Lateranensis sententiam & Gregorii IX. decretum (36).

CAP. II.

De constituendo feudo, sive de investitura feudali.

§. I. HActenus de rebus, quae in feudum dari possunt: nunc de feudo constituendo agendum. Si proprie loqui velimus, differunt inter se feudum *constituere* & *adquirere*. Constitui-

(34) *Cap.* 11. §. 3. *eod. in VI.*

(35) *Cap.* 7. *eut. de his quae fiunt a praelat.* Conf. Canisium *ad tit. de decim. cap.* 13. *n.* 9.

(36) *Cap. ult. ext. eod.* Vid. Espen. *part. II. tit.* 33. *cap.* 4. *n.* 38.

Digitized by Google

tuitur feudum, cum res alodialis primum efficitur feudalis, domino scilicet ius in re sua sub lege fidei ac servitii in alterum transferente. Adquiritur vero feudum, cum iam constitutum in alium defertur. Interdum eae voces promiscue usurpantur, quia statim ac dominus constituit, eo ipso vassallus adquirit. Iam proprius feudi constituendi modus unus est, nempe *investitura*, qua res feudalis evadit, & primum a vassallo adquiritur. Hinc *feudum sola investitura constitui* tradit Feudista (1). Huc ergo non pertinent modi, quibus feudum iam constitutum & adquisitum ab aliis adquiritur per successionem, vel alienationem; hic enim de constituendo feudo non de iure iam constituti, quo referenda est successio, alienatio, & alia eiusdem generis, agitur.

§. II. Investitura, sive *vestitura* idem est ac traditio, missio in possessionem, a verbo *investire*, quod possessionem conferre feudi, vel alterius rei significat, quasi vassallus feudo vestiatur, eiusque securam stabilemque possessionem adquirat. Hinc esse *in vestitura* rei alicuius dicitur, qui eam possidet. Hoc sensu Carolus M. (2) ait: *Si quis proprium nostrum, quod in vestitura genitoris nostri fuit, alicui querenti sine nostra iussione reddiderit.* Est autem investitura *sollemnis feudi traditio a domino vere vel ficte facta*. Dividitur in *propriam* & *impropriam*.

Pro-

(1) *II. F. 2. & 18.*
(2) *Lib. IV. Capitul. cap. 34.* Plura congerit Dufresne in Glossar. v. *investitura*, & v. *vestire*, *vestitura*.

Digitized by Google

Propria seu realis, cum dominus in veram feudi possessionem vassallum immittit. Impropria seu verbalis, & abusiva, cum dominus traditione alicuius signi possessionem innuentis, veluti hastae, vexilli, annuli, gladii, coram testibus feudum alicui concedit. Inter omnes convenit, propria investitura utile dominium transferri. Num vero idem praestet impropria, disputatur. Negant Hotomanus (3) Struvius (4), aliique. Contra Boëhmerus (5), Strykius (6), Gudelinus (7), & plerique omnes adfirmant. Profecto iure naturae dominia voluntate transferuntur: traditione opus non est; quin iuris civilis auctoritate etiam sine apprehensione rerum dominia adquiruntur (8). Porro symbola, quae in hac investitura adhibentur, traditionis vice funguntur: proinde par civili huic traditioni effectus, quoad dominii translationem, est tribuendus. Dominium quidem a possessione distinguendum est. Ubi adfuit voluntas domini feudum concedentis, atque vassalli acceptantis, dominium iam translatum intelligitur, non item possessio, quae, utpote facti, adprehendenda est (9). Sic in hereditatis aditione iura omnia ad heredem transeunt, possessio autem naturaliter apprehendi

(3) *Disput. feud. cap. 23. in fin.*
(4) *Syntagm. iur. feud. cap. 8.*
(5) *De investit. feudal. cap. 2. §. 46.*
(6) *Disput. XI. cap. 3. tom. VIII.*
(7) *De iur. feud. part. II. cap. 5. n. 10.*
(8) *L. 23. D. de adquir. possess.*
(9) *L. 30. §. 5. D. eod.*

Digitized by Google

di debet (10). Nunc intelligis quod Feudista (11) inquit, factam videri investituram, feudumque vassallo adquisitum, si dominus ei dixerit: *Vade in possessionem illius fundi, & teneas illum pro feudo*; quodque alii responderunt, dominum, qui investivit, cogi posse tradere feudi possessionem (12).

§. III. Sollemnis feudi investitura fit symbolis quibusdam. Apud gentes Germanicae originis, in tanta temporum ruditate, res immobiles & pretiosae tradebantur per symbola quaedam in sensus incurrentia, quae affinitatem aliquam cum ipsa re alodiali vel feudali haberent, ut ita de seria contrahentium voluntate constaret. Eiusmodi signa fere innumera erant; fas enim cuique fuisse videtur symbolum adhibere, quod rei convenire putabat. Ita fiebant traditiones vel per *gladium*, *cultellum*, *spathae capulum*, *veru* (quae omnes eiusdem naturae fuisse videntur); vel per *festucam*, *baculum*, *viridem scirpum*, *lignum*, *virgam*; vel per *caespitem & ramusculum*, *herbam*, *glebam*, *Vasionem* seu *guasionem* (quae voces apud Saxones glebam vel caespitem significant); vel tandem per *annulum*, *chirothecam*, *vexillum*, aliaque signa; quae petitis ex antiquitate exemplis illustrat Cangius (13). Eiusmodi tesserae, sollemni more porrectae, ut posteris in memoriam essent fa-

P ctae

(10) *Cit. l.* 23.
(11) *II. F.* 33.
(12) *I. F.* 4. *II. F.* 7. §. 1. & 26. §. 5.
(13) *In Gloss. voc.* investitura.

Digitized by Google

ctae translationis, in templis, archivis, aliisque publicis locis servari solebant, ut ostendit Sirmondus (14). Quin interdum traditionis symbolum, donationis, cessionis, vel venditionis instrumento intexebatur, affuebatur, vel alligabatur, ut observavit Mabillonius (15).

§. IV. Feudales investiturae expediebantur per traditionem *gladii*, *vexilli*, *hastae*, *sceptri*, *libri*, *baculi & annuli*, aliorumque signorum. Regna tradebantur *gladio* seu *ense*, qui meri & mixti imperii tessera habetur. Otto Frisingensis (16): *Est enim consuetudo Curiae, ut regna per gladium, provinciae per vexillum a Principe tradantur, vel recipiantur*. Idem memoriae prodidit Guntherus (17). Et Dudo (18): *Regnum*, inquit, *quod mihi ultro dedisti, per hunc mucronem, duodecim libras auri habentem, reddo tibi*. Investituram regni etiam *corona*, *pileo*, *cruce*, vel *annulo* factam, liquet. Maiora feuda, uti ducatus, comitatus, marchionatus, conferebantur *vexillo*, *sceptro*, *virga*, vel *pileo*. Per vexillum provincias a Principe tradi & recipi scribit Otto Frisingensis (19). De Rogerio Nortmanno refert Falco Beneventanus (20): *Misit praeterea Domino Papae Honorio munera multa ... ut ducatus*

(14) *Not. ad Goffrid. Vindocinens. lib. I. ep. 6.*
(15) *Act. SS. Ordin. S. Benedict. Tom. IV. in vita Fulradi Abbat. n. 19.*
(16) *Lib. II. de gest. Frideric. cap. 5.*
(17) *Lib. I. Ligurin.*
(18) *Lib. II. de morib. Nortmannor.*
(19) *Cit. lib. II. cap. 5. & cap. 32.*
(20) *In Chronic. p. 238.*

Digitized by Google

catus ei vexillum & nomen largiretur. Idem (21) tradit: *Rainulphum . . . in Ducem elegit, & eo electo vexillum ad honorem Ducatus Apostolicus & Imperator in conspectu omnium ei tradiderunt.* Rogerium Siciliae Regem *filium suum Ansusum, favore Optimatum militumque, Capuani Principatus honore per vexillum sublimasse*, narrat Telesinus (22). Ducatu Apuliae Boamundus adhuc sanguinolentus a patre investitus est per sceptrum aureum. Robertus Montensis (23): *Ioanna uxor Willelmi Regis Siciliae, filia Henrici regis Anglorum, peperit ei filium primogenitum, quem vocaverunt Boamundum, qui cum a baptismate reverteretur, pater investivit eum ducatu Apuliae per aureum sceptrum, quod in manu gerebat*. Manfredus *nonnullos per investituram vexilli ad comitatus excellentiam sublimavit*, teste Fazello (24). Per *annulum* etiam maiorum praesertim praediorum & dignitatum factas investituras, patet ex Petro Damiano (25), Bernardo (26), aliisque. Thomasius de S.Severino Comes Marsici an.1295. (27) Abbatissam monasterii S.Benedicti *per annulum suum* investivit. In monumentis Caroli I. Andegavensis primum occurrit formula *per annulum nostrum investimus*. Minorum feudorum investitura fiebat per *hastam*, an-

(21) *Pag.* 308.
(22) *Lib. III. cap.* 27.
(23) *Ad A. C.* 1181.
(24) *Lib. II. rer. Sicul. cap.* 2.
(25) *Lib. I. epist.* 9.
(26) *Serm. de Coena Domini.*
(27) Apud Ughellum *Ital. Sac. tom. VII. p.* 507.

Digitized by Google

nulum, *fustem*, aliave signa (28). Tandem feuda ecclesiastica tradebantur per *baculum & annulum*, ut in primis constat ex diuturnis inter Sacerdotium & Imperium iurgiis de ea re obortis (*a*).

§. V. Investitura vero facienda est coram *Paribus Curiae*, ideſt, aliis eiusdem domini vassallis (*b*), saltem duobus; *alioqui*, *licet alii interſint teſtes*, *inveſtitura minime valeat*, ut inquit Feudista (29). Id ideo cautum, quia alii te-

(28) *II. F.* 2.

(29) *II. F.* 32. & 33.

(a) Videsis Petr. de Marca *lib. VIII. de Concord. Sacerdot. & Imp. cap.* 19. & Iuretum *not. ad Ivon. Carnotenſ. ep.* 236.

(b) Pares curiae, seu curtis in libris feudorum dicuntur convassalli, qui ab eodem domino feuda tenent. Cur *Pares* nuncupari sint, non adeo liquet. Alteserra *de Ducib. & Comit. Galliae lib. III. cap.* 9., & Fleischer *in inſtit. iur. feud. cap.* 22. §. 5. ideo dictos putant, quod hi iudices reo erant pares dignitate, & ισοτιμοι inter se. Provocat Fleischerus ad monumentum apud Miraeum *Supplem. III. Operum p.* 1225. ubi Pares ideo nominantur, quod Gosuino vassallo essent pares ceteri. Contra Io. Georg. Wachterus in Glossario Germanico v. *Bar* & *Baron* Pares curiae ita vocari censet a perantiqua voce Germanica *Bar*, quae virum, militem, vassallum, denotat: cui adstipulatur Estor *in praef. ad Alteſerrae tract. de Ducib. & Comitib. Gall.*, qui etiam *Bares* non *Pares* Curiae scribi iubet. Quidquid sit de originatione, certum est, duo potissimum fuisse Parium munera; primum quod inveſtitura feudi non fit sine praesentia Parium; alterum, quod orta inter dominum & vassallum controversia de feudo Pares sint iudices. Videsis Augustum Ferdinandum de Zech *diſſ. de Paribus Curiae*, & Ienichen *comment. de uſu hodierno Pariuin Curiae in feudis Germaniae proviuciaſibus*.

Digitized by Google

teſtes facile corrumpi poſſunt ſenioris damno; cum contra fides Parium magis certa & explorata habeatur ob fidei ſacramentum ſeniori ſuo exhibitum (30). Si nulli ſint Pares Curiae, extranei teſtes adhibendi, modo iure communi teſtimonium dicere non prohibeantur (31). Requiritur etiam in inveſtitura, non quidem ad negotii validitatem, ſed ſolam probationem, *breve teſtatum*, hoc eſt, ſcriptura coram Paribus, aliiſve teſtibus, cum nulli Pares exiſterent, confecta, ab iiſque ſubſcripta, in qua pacta & conditiones, quibus feudum conceditur, declarantur. Apud nos inde a Normannorum aevo feuda per Regis privilegium, ſeu breve teſtatum conferri conſueverunt. Fridericus II. (32) cuique vetuit civitates, caſtra, villas, aliudve regii demanii retinere, *de quo non habeat privilegium divorum Regum Rogerii, & Gulielmi I. aut II. praedeceſſorum noſtrorum: ante oraculum noſtrae celſitudinis ſpeciale a nobis ex certa ſcientia impetratum, vel indultum a praedeceſſoribus noſtris divis parentibus noſtris, & ex certa ſcientia noſtra confirmatum.* Hodie inveſtitura in ſcripturam rite confectam redigitur, & conceſſionis diploma expeditur.

§. VI. Poſtremo loco breviter de inveſtiturae pactis edicam. Inveſtitura baſis & fundamentum feudi eſt, nec aliud ius competit vaſſallo, quam quod ei conceſſum eſt. Omnia pacta inveſtitu-

(30) *II. F.* 58.
(31) *Cit. II. F.* 32. & 33.
(32) *Conſt.* dignum *de iure ſuo curiae obſervando.*

Digitized by Google

rae adiici possunt, praeter ea, quae feudi substantiae adversantur. Si haec adiiciantur, non erit feudum, sed aliud negotii genus, puta ususfructus, emphyteusis, donatio (33); nisi pactum sit eiusmodi, ut totum negotium corrumpat, atque adpareat contrahentes aliud negotium gerere noluisse (34). Quae vero pacta dumtaxat adminicula spectant, sive adiicientia sint, sive detrahentia, uti Papinianus (35) inquit, multoque magis, quae extrinsecus adiiciuntur, seu ad accidentalia feudi pertinent, sunt utrinque observanda. Si obscuritas sit in pactis, quibus natura feudi laeditur, strictior in dubio interpretatio facienda est, ea nimirum, qua ordinario feudorum iuri minimum detrahatur.

§. VII. Clausulae quaedam feudorum investiturae adnecti solent. Clausula *cum integro statu suo* comprehendit feudi possessionem, uti in praesentia est, nempe cum fructibus, instrumentis, colonis, mancipiis, ceterisque ad feudi conservationem & utilitatem pertinentibus. Ita, vendita arce, machinae & tormenta debentur, quasi pars arcis (36). Tantidem est *clausula cum pertinentiis suis*, qua veniunt oppida, villae, & praefecturae, nisi exemptio probetur, servi adscriptitii, & quidquid lege, consuetudine, vel de-

(33) *Argum. l.* 80. §. 1. *D. de contrah. empt.*, *l.* 46. *D. locat.*, *l.* 6. *de praescript. verb.*, *& l.* 8. *de acceptilat.*

(34) *Argum. l.* 1. §. 4. *de constit. pecun.*, *l.* 12. *D. de precar.*, *& l.* 1. §. 2. *D. de V. O.*

(35) *L.* 72. *D. de contrah. empt.*

(36) *Argum. l.* 13. §. *ult. D. de act. empt.*

Digitized by Google

destinatione concedentis ad feudum refertur (37), item feuda plana, subfeuda, molendina, bona redditicia, ius pascendi, ligna incidendi, venandi, flumina, non vero quae concedens titulo particulari possidet, nec in feudum dare consuevit (38). Clausula cum *iurisdictione* concessum non intelligitur merum imperium, quod peculiari lege demandatur, sed dumtaxat civilium causarum cognitio, ac levionum criminum coërcitio; etenim iurisdictio sine mixto imperio exerceri nequit, & a mero imperio quammaxime distat. Nec merum imperium transfertur, si aut *plena & omnis iurisdictio*, aut *omnimoda iurisdictio* concedatur. Quamvis enim latissima sit eius adiuncti significatio, vim tamen nominis, cui adhaeret, immutare nequit; quippe vox *iurisdictio* quovis adiuncto muniatur, semper aliud omnino est a voce meri imperii (39). Clausula cum *iurisdictione & mero imperio* non complectitur, quae Curiae Regis speciatim competunt, neque cognitionem de crimine maiestatis & falsae monetae, licet feudum *cum mero imperio & potestate gladii in quibuslibet causis & delictis, etiam iis, de quibus M. Curia cognoscit*, sit datum (40); nec etiam portulaniam sive maris, puta ius exigendi vectigal ob merces, quae ex portubus, mare, vel

(37) *Vid. tit. D. de instructo vel instrumento legato.*

(38) Vid. Strykium *disput. 3. cap. 1. tom. VI.* & Petrum Gregorium *de concess. feud. part. II. q. 7.*

(39) Conf. Afflict. *in Const.* Iustitiarii per provincias *n. 22. & 24.*

(40) Vid. de Franchis *dec. 77.*

Digitized by Google

pontibus extrahuntur, aut inducuntur, ſive terrae, quae circa vias & loca publica verſatur, ne quid in iis extruatur, quod publico uſui obeſt; haec enim pro publica Regni utilitate inſtituta ſunt (41). Clauſula *cum regalibus* non maiora regalia, quae veriſimile eſt Principem non donaturum (42), ſed minora tantum comprehendit. Demum clauſula *cum bonis vacantibus* ius baroni confert ſuccedendi vaſſallis, qui ſine herede decedunt; ea enim deficiente in bona vacantia fiſcus ſuccedit (43). Ceterum, *conceſſo feudo*, indulta baroni non intelligitur iuriſdictio, quippe quae feudo adiuncta non eſt (44). Quod vero ad iuriſdictionem exercendam territorium requiritur, intra cuius fines geri queat, *conceſſa iuriſdictione*, territorium quoque conceſſum intelligitur (45).

CAP. III.

De praeſcriptione feudali.

§. I. FEudum ſine inveſtitura conſtituitur & adquiritur legitima praeſcriptione, quae efficit, ut inveſtitura praeſumatur. Scribit enim Feudiſta (1): *Si quis per triginta annos rem aliquam, ut feudum poſſedit, & ſervitium domino exhi-*

(41) De Roſa *in praelud. feudalib. lect. V.*
(42) *L. 1. D. de pignor.*
(43) De Franchis *dec. 125.*
(44) Cuiac. *lib. IV. Feudor. tit. 19.*
(45) Sanſelicius *dec. 101. n. 7. & ſeq.*
(1) *II. F. 26. §. 4.*

Digitized by Google

bibuerit, quamvis de ea re non sit investitus, praescriptione tamen triginta annorum se tueri potest. Ut ergo res alodialis evadat feudalis, tricennalis possessio requiritur. Eiusmodi praescriptionem, a Theodosio Iuniore institutam, Gothi, Franci, Germani, Longobardi, aliique populi probarunt (2). Requiritur etiam, ut praestetur, vel saltem exhibeatur servitium; cum enim vassallus moram in eo praestando non commiserit, intelligitur, si exhibuerit, praestitisse (3). Porro iure feudali bona fides non exigitur, uti iure pontificio requiritur; nam Feudista (4), ubi agere ex proposito videtur de conditionibus praescriptionis, bonam fidem non recenset. Profecto si de feudo alieno agatur, quod qui dominus non erat, alteri tradiderit, praeter spatium triginta annorum, etiam bona fides requiritur (5). Aliud enim est rem alterius longa possessione adquirere adversus eumdem ipsum, aliud rem ab uno traditam adquirere in alterius detrimentum.

§. II. Nunc de feudi praescriptione ex iure patrio. Fridericus II. Rex noster (6), abrogata veteri consuetudine, qua feuda quamvis magna temporum longinquitate possessa praescribi non poterant, decrevit, *eum qui in posterum triginta annis*

(2) *Lib. II. LL. Longob. tit.* 35. *l.* 4. 5. 6. *&* 11. *Lex Burgund. tit.* 79. *Lex Wisigothor. lib. V. tit.* 5.

(3) *Argum. lib. I. F. tit.* 21. §. 2. *& lib. II. tit.* 11. 25.

(4) *II. F.* 26. §. 4.

(5) *II. F.* 87.

(6) *Const.* Consuetudinem pravam *de rei actione & exceptione.*

Digitized by Google

annis feudum integrum, vel quotam partem feudi, de quo certum & designatum servitium nostrae Curiae, vel cuilibet alii debeatur, continue, & sine interruptione civilis, vel naturalis temporis, vel minoris aetatis adversarii, praesente etiam in regno adversario suo, possederit, in perpetuum fere securum. Qui ergo feudum alterius triginta annis possedit, & servitium Regi praestitit, tricennali praescriptione se tuetur adversus vassallum illud repetentem; licet hic veram investituram exhibeat, ille praesumptivam tantum habeat, cum ius ex vera investitura quaesitum praescriptione hac extinctum fuerit. Ut autem procedat praescriptio, requiritur continua possessio, hoc est nec naturaliter, nec civiliter interrupta, servitium curiae praestitum ab eo, qui praescribit, & ut adversarius semper fuerit in Regno. Idem Fridericus Rex (7) cavit, solam praescriptionem centenariam locum habere contra fiscum, sive alodialia, sive feudalia sint bona, sublata praescriptione quadragenaria Romani, & sexagenaria Longobardici iuris, qua res fiscales acquirebantur.

CAP. IV.

De testamentaria feudorum successione.

§. I. FEudum iam constitutum & adquisitum rursus ab aliis adquiritur *successione*, vel *alienatione*. Successio aut testamentaria est, aut le-

(7) *Const.* quadragenalem *de prorogatione praescriptionis.*

Digitized by Google

legitima. In rebus feudalibus testamentaria non datur. Etenim vassallus nequit de feudo *disponere*, hoc est, testari, fideicommittere, legare, donare, etsi domini consensus accedat, quippe qui liberis adgnatisve obesse nequit (1). Sane investitura successionem unice moderatur, hoc vinculo vassalli voluntas coërcetur, nec quidquam investiturae pactis adversum iubere testamento potest. De bonis, quae pleno iure possidemus, disponere pro lubitu possumus: quae vero alterius beneficio tenemus, non sunt arbitrii nostri, & ipsius concedentis legibus, quas in successione dixit, penitus obsequendum. Cumque integrum cuique sit legem, quam velit, rei suae dicere, potest dominus feudum ea conditione largiri, ut vassallus ipse ad vitam fruatur, eoque mortuo, ad certas personas transeat, quin vassallus iis possit facto suo nocere, quibus voluit dominus gratificari; & contra non possit illis prodesse, quos dominus beneficentiae suae participes esse nolit. Itaque sive de extraneis agatur, sive de liberis ipsius vassalli, testamentaria quaevis dispositio, utpote facta contra feudi naturam, & investiturae legem, non consistit.

§. II. Ex dictis consequitur, feudum non venire in restitutionem fideicommissi, quamvis is, cui restituendum est, ex numero sit eorum, qui investitura comprehensi sunt (2). Etenim aut is simul potest in feudum succedere, & iure fidei-

(1) *l. F. 8. in pr. II. F. 9. §. 1.*
(2) *Argum. l. 22. §. 2. D. de usurp.*

Digitized by Google

annis feudum integrum, vel quotam partem feudi, de quo certum & designatum servitium nostrae Curiae, vel cuilibet alii debeatur, continue, & sine interruptione civilis, vel naturalis temporis, vel minoris aetatis adversarii, praesente etiam in regno adversario suo, possederit, in perpetuum fore securum. Qui ergo feudum alterius triginta annis possedit, & servitium Regi praestitit, tricennali praescriptione se tuetur adversus vassallum illud repetentem; licet hic veram investituram exhibeat, ille praesumptivam tantum habeat, cum ius ex vera investitura quaesitum praescriptione hac extinctum fuerit. Ut autem procedat praescriptio, requiritur continua possessio, hoc est nec naturaliter, nec civiliter interrupta, servitium curiae praestitum ab eo, qui praescribit, & ut adversarius semper fuerit in Regno. Idem Fridericus Rex (7) cavit, solam praescriptionem centenariam locum habere contra fiscum, sive alodialia, sive feudalia sint bona, sublata praescriptione quadragenaria Romani, & sexagenaria Longobardici iuris, qua res fiscales acquirebantur.

CAP. IV.

De testamentaria feudorum successione.

§. I. FEudum iam constitutum & adquisitum rursus ab aliis adquiritur *successione*, vel *alienatione*. Successio aut testamentaria est, aut le-

(7) *Const.* quadragenalem *de prorogatione praescriptionis.*

Digitized by Google

legitima. In rebus feudalibus testamentaria non datur. Etenim vassallus nequit de feudo *disponere*, hoc est, testari, fideicommittere, legare, donare, etsi domini consensus accedat, quippe qui liberis adgnatisve obesse nequit (1). Sane investitura successionem unice moderatur, hoc vinculo vassalli voluntas coërcetur, nec quidquam investiturae pactis adversum iubere testamento potest. De bonis, quae plano iure possidemus, disponere pro lubitu possumus: quae vero alterius beneficio tenemus, non sunt arbitrii nostri, & ipsius concedentis legibus, quas in successione dixit, penitus obsequendum. Cumque integrum cuique sit legem, quam velit, rei suae dicere, potest dominus feudum ea conditione largiri, ut vassallus ipse ad vitam fruatur, eoque mortuo, ad certas personas transeat, quin vassallus iis possit facto suo nocere, quibus voluit dominus gratificari; & contra non possit illis prodesse, quos dominus beneficentiae suae participes esse nolit. Itaque sive de extraneis agatur, sive de liberis ipsius vassalli, testamentaria quaevis dispositio, utpote facta contra feudi naturam, & investiturae legem, non consistit.

§. II. Ex dictis consequitur, feudum non venire in restitutionem fideicommissi, quamvis is, cui restituendum est, ex numero sit eorum, qui investitura comprehensi sunt (2). Etenim aut is simul potest in feudum succedere, & iure fidei-

(1) *l. F. 8. in pr. II. F. 9. §. 1.*
(2) *Argum. l. 22. §. 2. D. de adopt.*

Digitized by Google

deicommissi non indiget, quum alio nitatur; aut non potest, & non debet ea res aliis damno esse. Nec vero feudi legatum valet; vassallus enim ius habet in feudo, donec vivit; eo mortuo, ius suum extinguitur. Id adeo verum est, ut legato feudo, nec eius aestimatio debeatur. Primum enim feudum in Principis patrimonio est; legato autem praedio, quod in patrimonio Caesaris est, ne aestimatio quidem debetur (3). Deinde, si res commercio exemta legetur, nec eius aestimatio praestatur; eius autem rei commercium non est, quae nec alienari, nec obligari potest (4), cuiusmodi feudum esse non ambigitur. Nec quidquam obturbat, re aliena legata, teneri heredem, dum testator alienam esse non ignoraverit, eam redimere, ac, si non possit, aestimationem praestare (5). Etenim rei alienae legatum nulla lege prohibitum est, atque eius vis ex scientia testatoris pendet, qui licet nequeat per se efficere, ut eam legatarius habeat, damnare tamen potest heredem, ut aut eam redimat, aut aestimationem solvat: contra legatum feudi adversus legem relinquitur, ideoque nullum est ipso iure (6), eamque continet rem, quae extra privatorum commercium est.

§. III. Sunt vero casus nonnulli, quibus vassallus de feudo testari potest. (I) Si hanc a domino

(3) *L.* 39. §. 7. *& seq. D. de legat.* 1.
(4) *L.* 34. *D. de contrah. empt.*
(5) Iustinian. §. 4. *inst. de legat.*
(6) *Argum. l.* 5. *C. de legat.* 3. Vid. Ludov. Crellium *diss. utrum feudo legato eius aestimatio debeatur.*

Digitized by Google

mino potestatem expresse aut tacite sit consecutus, quae ad eius etiam heredes transit, cum hoc casu feudum voluntate domini in commercio sit. Si de hac venia dubitetur, ea capienda interpretatio est, quae minus recedit a iure communi. Si id investiturae adiiciatur, quod vi ipsa talem facultatem contineat, perinde erit ac si data nominatim fuisset: ut ecce, si liberum feudi alienandi ius concessum adpareat, vassallus etiam testamento disponere potest; quia testamentaria dispositio est quaedam species alienationis (7). (II) Idem obtinet, si feudum sit *mere* hereditarium, etiamsi domini & agnatorum consensus desit, inspecto scilicet non solum succedendi, verum etiam disponendi iure (8); eiusmodi enim feudum rei hereditariae naturam induit, ac hereditario iure succeditur. Dixi *mere* hereditarium, quia si dumtaxat tale sit succedendi modo, inter eos solos dispositio valebit, qui possunt succedere. Illud quoque notandum, primum generali institutione comprehendi, quoniam in hoc a ceteris bonis alodialibus non videtur distare: secundum vero non comprehendi, quia ubi vassallus nihil de eo cavit, eo animo feciſſe intelligitur, ut ea succedendi ratio servaretur, quae venit ex eiusdem feudi natura (9). (III) Si feudum sit novum, de quo vassallus pro arbitrio disponet, aut uni filio-

(7) *L. 8. §. 2. C. de secund. nupt.*
(8) *Argum. lib. II. F. tit. 48.*
(9) *Argum. lib. II. F. tit. 26. §. 5. vers. in generali.*

Digitized by Google

filiorum adſignabit (10); modo accedat conſenſus domini, ſive feudum ſit hereditarium, ſive ex pacto, cum clauſula *pro ſe & filiis*. Ius enim filiorum eſt in ſpe, ut nempe, non vivo patre, ſed poſt mortem feudum ad eos perveniat: nec eiuſdem ius filiis quaeſitum impedimento eſt, quominus pater diſponat. Iure etiam civili filii ius habent in alodio, & vivo patre, quaſi domini ſunt, & tamen pater alienare poteſt. (IV) Tandem ſi adgnati conſentiant (11); qui tamen conſenſus ipſis, non eorum filiis natis, vel naſcituris nocet.

§. IV. Venio nunc ad patrium ius. In Regno ſub Nortmannis feuda omnia erant ex pacto & providentia, uti ius commune in Longobardia praecipiebat. Inde ſub Suevis hereditaria evaſerunt; ſub ils enim generalis inveſtitura erat *pro ſe & heredibus*; cui ſub Carolo I. Andegavenſi addi coepit *ex corpore legitime deſcendentibus*. Oborta mox dubitatione, an hac formula frater ſuccederet fratri in feudo, Carolus II. (12) ſuccedere pronuntiavit in feudo tantum antiquo; is enim licet ab ultimo morientе non deſcenderet, a primo tamen adquirente ortus eſt. Nunc feuda in Regno *mixtae* quodammodo naturae cenſentur; nam nec per omnia *hereditaria* ſunt, nec per omnia *ex pacto*, ſed de utroque participant. Ex. hereditario quidem; quia iure noſtro vocatus eſſe debet heres defuncti

(10) *II. F. 39.* Vid. Piſtor. *lib. II. QQ.* 4. n. 23.
(11) *Cit. lib. II. F. tit. 39.*
(12) *In Capitulo* conſiderantes.

ri, ratum eius factum habere, atque oneribus satisfacere. Ex pacto autem, cum heres sanguinis, non extraneus, ad feudalem successionem vocetur.

§. V. Iure feudorum communi non licet vassallo de feudo disponere, successionis ordinem invertere, aut fideicommissum super ipso feudi corpore constituere; nam corpus feudi *tanquam sagitta*, uti loquuntur Feudistae, ad legitimos successores in investitura comprehensos defertur, nec in ea vocatis vassallus nocere potest. Ius hoc apud nos immutatum est. Philippus II. an. 1595. (13) optime baronum agnationi consuluit. Quum enim experientia apud nos compertum esset, feuda diuturno labore quaesita a propriis familiis avelli, apertaque mulieribus successione, in alienas familias per nuptias abire, Rex baronibus efflagitantibus permisit excludere feminas proximiores, & tam inter vivos, quam ultima voluntate disponere de feudis quibuscumque favore illius masculi, qui de ipsorum familia & adgnatione successurus fuisset, nisi feminae ad succedendum proximiores existerent: quibus tamen exclusis possent testatores aliquid titulo dotis, si fuerint innuptae, aut donationis, si iam elocatae sint, super feudi valore relinquere. Id etiam baronibus indultum, ut super eiusmodi dispositionibus concessus intelligeretur regius adsensus, ac feuda, eveniente casu, ab eorum natura non recederent, atque antiqua & hereditaria manerent.

§. VI.

(13) *Pragm. XXXIII. de feudis.*

Digitized by Google

§. VI. Ex hac itaque gratia licet baroni remotiorem agnatum filiae teſtamento praeferre, qui ei proxime ſucceſſiſſet, niſi filia fuiſſet, ut feuda in familia ſerventur, nec in alienas per matrimonium tranſirent. Nec opus eſt, teſtatorem exprimere uti ſe gratia velle; quum in dubio quiſque cenſeatur eam viam elegiſſe, qua ipſius actus valeat potius, quam pereat (14). Porro conſilium baronibus datur, ut feminis feudo excluſis aliquid aut dotis, aut donationis nomine adſignent, uti ſcite de Roſa (15), aliique obſervant. Pragmatica enim utitur verbo *poſſit*, non *debeat*, quod poteſtatem quidem tribuit, neceſſitatem non imponit. Id verum eſt, ſi mulier ſit de numero collateralium, veluti diſponentis ſoror, cui ius noſtrum copiam dotis a collateralibus petendae non attribuit. Si enim ex numero deſcendentium ſit, veluti filia, congrua ei dos debetur ex Friderici II. lege (16).

§. VII. Olim baroni non licebat fideicommiſſum, ſeu maioratum ſuper feudo conſtituere, ne Proregis quidem venia. At Philippus IV. anno 1655. (17) feudatariis conceſſit, fideicommiſſa, ſeu maioratus, & primogenituras conſtituere in feudis ſuis, modo perſona in inveſtitura comprehenſae vocentur: *concedimus*, inquit, *praedictis viris nobilibus, quod quilibet poſſit fundare maioratus in feudis ſuis, intra terminos*

(14) *L.* 80. *D. de V. O.*
(15) *In praelud. feud. lect.* 10. *n.* 11.
(16) *Conſt.* in aliquibus *de ſucceſſ. filior. comit. & baron.*
(17) *Pragm. XXXIV. de feudis.*

Digitized by Google

nos tamen ſucceſſionis permiſſae, ut ſupra; ita ut reſtitutionis ſeu fideicommiſſi onus alterius in detrimentum iuris devolutionis nobis, & noſtrae curiae competentis non procedat.

§. VIII. In maioratibus itaque inſtituendis nec ordo ſucceſſionis in inveſtitura praeſtitutae, nec ius Regis in caſu devolutionis violandum eſt. Utrumque ſapienter inſtitutum. Prius enim familiarum decus; poſterius ius Principis tuetur. Nefas ergo eſt teſtatori, ſucceſſionis ordinem invertere, remotiores proximioribus praeferre, maiorem natu contemnere, minorem vero praediligere, uxorem inſtituere, atque lineis extraneis ad feudum vocatis, devolutionem fiſco impedire. Vocatus autem ad feudum iure fideicommiſſi, onera ſuper eo appoſita ferre non tenetur, ſed ea tantum, quae natura feudi ſecum fert; is enim non cum qualitate hereditaria, ſed ex pacto & providentia ſuccedit. Magnam haec gratia familiis nobilibus utilitatem attulit. Quum enim feuda adgnationis ſplendorem ſervent, quem ſucceſſores ſaepe parum curantes, eo perveniebant, ut facile feuda alienarent; vinculo opus erat, quo devincti ſucceſſores plena libertate ſibi poſteriſque ſuis noxia non uterentur. Id ſcilicet factum eſt, obtenta maioratus conſtituendi poteſtate; hoc enim pacto cavent teſtatores, ut propinqui feudo gaudere poſſint, excidere autem non poſſint.

§. IX. Etſi non liceat baroni in inveſtitura vocatos feudi corpore privare, poteſt tamen teſtamento legitimum ſucceſſorem gravare ad ſolvendas etiam in gratiam extraneorum ſummas

Digitized by Google

ſuper feudi valore, vel integram feudi aeſtimationem (18). Ea enim eſt feudorum Regni indoles, ut miſta ſint, nempe ex pacto, & hereditario, adeoque heres ratum defuncti factum habere, ſatiſque oneribus facere tenetur; nec porro haec teſtatoris diſpoſitio corpus feudi tangit, aut realem parit actionem, ſed perſonalem. Verum inter deſcendentem & collateralem prorſus diſtinguendum eſt. Si enim ſit e numero deſcendentium, cui legitima portio debetur, ad integrum feudi valorem gravatur, deducta tamen legitima: quae in feudis ſemper eſt tertia pars feudi primogenito ſucceſſori tribuenda, qualis qualis ſit numerus filiorum, non, ut iure civili cautum, triens, aut ſemis hereditatis pro numero filiorum (19). Si vero ſucceſſor in corpore feudi ſit collateralis adgnatus, diſputatur, an poſſit integro feudi valore privari, quin legitimam detrahat. Prae ceteris Camillus de Curte (20) cenſet, aliquid huic ſucceſſori dandum arbitrio iudicis, ne inſtitutio cum tali gravamine facta potius heredem eludere, quam allicere videatur, praeſertim quod lucri aliquid ſentire debeat, qui ab inveſtitura ad feudi ſucceſſionem vocatur, ne ſucceſſio in vacuum & inane nomen reſolvatur: idque Romano iuri congruit,

cui

(18) Vid. Camerarium *in II. F.* 55., de Franchis *dec.* 1. & 204., & Rovitum *ad pragm.* 4. *de feud. n.* 117.

(19) Conf. de Marinis *lib. II. reſolut. cap.* 189., Altimari *ad Rovit. lib. I. conſ.* 35. *n.* 33. & 37., & Piſtorium *lib. II. QQ.* 1.

(20) *In diverſor. feud. part. I. n.* 40.

Digitized by Google

cui acerbum eſt viſum, heredem in tota hereditate legatis vel fideicommiſſis onerare, ideoque illi Falcidiam, aut Trebellianicam deducere ſivit. At iamdiu apud nos receptum eſt, poſſe collaterales integro feudi valore gravari ſine legitimae deductione, propterea quod extranei, uti ſunt collaterales, ſatis habere debent, ut per ſucceſſionem non careant honore adquirendi feudi, & dignitate vaſſalli potiantur. Deſcendentes itaque uſque ad beſſem, collaterales etiam integra feudi aeſtimatione gravari poſſunt.

§. X. Denique licet baroni, etiam ſine regis conſenſu, fructus feudi legare, veluti ſi iubeat heredem quotannis legatario quotam fructuum ex feudo praeſtare. Sed nequit uſumfructum legare; nam ita ius reale in feudo conſtitueretur. Feudi autem ipſius legatum adeo inutile eſt, ut ne aeſtimatio quidem debeatur, ceu ſupra §. II. probatum dedimus.

CAP. V.

De legitima feudorum ſucceſſione generatim.

§. I. PRogredior iam ad ſucceſsionem, quae nullo hominis facto, ſola iuris feudalis diſpoſitione defertur. Quum primum concedi feuda coeperunt, quaſi precarii dumtaxat iure poſsidebantur, ideoque pro domini arbitrio revocari poterant: inde ad annum, tum uſque ad vitam vaſſalli; poſtea ad filios extendi coeperunt, tandem hereditaria evaſerunt. In Gal-

Digitized by Google

lia id factum ſub Carolo Simplice, qui anno MCCCXCIII. regnavit, & diplomata omnia, quae ducatus & comitatus hereditarios commemorant, ſpuria eſſe, tradit Mabillonius (1). Contra Connanus (2), Alteſerra (3), Bulengerus (4) aliique ſtatuunt, ducatus, comitatus, & baronias, quae temporariae erant dignitates, ab Hugone Capeto, qui anno DCCCCLXXXVII. Gallorum regnum obtinuit, primum factas perpetuas, atque ita deinceps reliqua feuda tranſiiſſe ad heredes. Saeculo XI. Conradus Salicus Imp. (5) ius hoc ad nepotes, & defuncti quoque fratres protraxit, ſi feudum eſſet paternum. Tandem deſcendentes omnes in infinitum admiſi ſunt (6). Quod ſpectat ad collaterales, primum fratribus, uti dictum, deinde fratribus patruelibus, ſive filiis fratrum, poſtea agnatis uſque ad ſeptimum gradum, denique univerſis uſque in infinitum ſuccedere permiſſum eſt (7). In Regno noſtro primus de ſucceſsione feudali leges tulit Fridericus II. (8), qui deſcendentes in infinitum, laterales ad tertium gradum vocavit.

§. II.

(1) *Lib. III. de re diplomatic. cap. 1. n. 6. & 7.*
(2) *Lib. II. comment. iur. civ. cap. 9. n. 9.*
(3) *Lib. I. de Ducib. cap. 4.*
(4) *De offic. Regn. Gall. tit. de Ducib.*
(5) Extat Conradi conſtitutio *I. F. 2.* & *V. F. 1. edit. Cuiac.* Eamdem integram mendiſque elutam exhibet Muratorius *Antiq. Italic. med. aev. diſſ. XI.*
(6) *I. F. 1. §. 2. & ult. & I. F. 14. §. 1.*
(7) *Cit. lib. I. F. 1. §. 4.*
(8) *Conſt.* ut de ſucceſſionib. *de ſucceſſione nobilium in feuda*, & *conſt.* in aliquibus *de ſucceſſ. filior. comit. & baron.*

Digitized by Google

§. II. Inteſtatae feudorum ſucceſsionis duo ſunt gradus, primus *deſcendentium*, alter *collateralium*. Adſcendentes autem deſcendentibus non ſuccedunt (9) tam in antiquo, quam novo feudo. Debet ergo de contraria domini voluntate apparere, eaque eſſe poteſt aut *expreſſa*, ſi nominatim eos vocet ad ſucceſsionem, aut *tacita*, ut ſi dominus patris contemplatione filio feudum elargiatur (10); aequum enim eſt, Principis munificentiam, filio ſine liberis mortuo, ad cauſſam ſuam redire. Ob diverſum ſucceſsionis fundamentum factum eſt, ut ordo legitimae ſucceſsionis in alodio per Iuſtinianum praeſcriptus non obtineat in feudo. Quum enim Iuſtinianeae ſucceſsionis fundamentum ſit amor, qui primum deſcendit, tum adſcendit, poſtea tranſvergitur, ideo primo loco deſcendentes, ſecundo adſcendentes, poſtremo collaterales ad legitimam hereditatem admiſsi ſunt. At fundamentum ſucceſsionis feudalis non eſt decedentis amor, ſed lex in inveſtitura feudi dicta. Initio enim ita concipiebatur inveſtitura, ut feudum daretur *pro ſe & liberis ſuis*, quae verba non praeteritum, ſed futurum, ideſt, non parentes, ſed liberos ſpectant. Spes vero, quam dominus, quum feudum largiretur, de vaſſalli liberis concepit, fore, ut fidem & paternam virtutem in conſiliis, factiſque aemularentur, facit, ut eius adſcendentes, de quibus dominus non cogitavit, a ſuc-

(9) *II. F.* 20.

(10) *Argum. l.* 5. §. 2. *D. de iur. dot.*, & *l. ult. C. de uſufruct.*

ceſſione arceantur. Quid quod liberi ad militiam & ſervitia fortiores aptioreſque cenſentur, quam adſcendentes grandioris aetatis & effaetis plerumque viribus?

§. III. Quamvis autem iure feudali duo ſint legitimorum ſucceſſorum ordines, tamen unus proprie eſt, nempe deſcendentium non tantum ab ultimo poſſeſſore, ſed etiam a primo adquirente: aut, ſi duo ſint, puta deſcendentium, & collateralium, ab iis differunt, qui Romano iure ſuccedunt. Deſcendentes in iure civili accipiuntur ab ultimo poſſeſſore, neque ſpectatur, an deſcendant ab eo, ad quem primum ea bona pervenerunt. Collateralium vero nomine veniunt, qui gradu propiores ſunt defuncto, de cuius hereditate agitur: dico *gradu*, quia linea non attenditur. At iure feudali omnis ſuccedendi ratio a primo adquirente aeſtimanda eſt, ut deſcendentes ab ultimo admittantur, quia ſimul deſcendunt a primo, & adgnati ultimi poſſeſſoris a primo quoque ius ſuum agnoſcunt. Hinc ſequitur, ut non tantum gradus, verum etiam linea ſit inſpicienda. Quidquid tamen ſit de hac diſtributione, placet eam ſervare, ut res luculentius exponi queat.

§. IV. Duplex in Regno noſtro eſt in feuda ſuccedendi ratio, nempe *iuris Longobardorum*, & *iuris Francorum*. Iure Longobardico feuda maiora, uti ducatus, comitatus, *individua* ſunt, & ſoli primogenito deferuntur; minora vero, ut curtis, manſus, *dividua* ſunt, & liberi omnes aeque ſuccedunt (11). Sic nuncupata eſt haec ſuc-

(11) *II. F.* 10. *II. F.* 55.

Digitized by Google

succedendi ratio, non quod a Longobardis fuerit instituta, quibus feuda ignota fuere, sed quod in Longobardia natales habuit, ibique servabatur. Iure Francico feuda omnia *individua* sunt, adeoque primogeniti tantum succedunt, secundogenitis exclusis. Eiusmodi successio apud nos sub Rogerio I. recepta est. Hic enim saepe ex Francia milites & duces arcessivit, eosque ob bellicam virtutem feudis donavit: quumque apud Francos primogenitus tantum in feuda succederet, eumdem morem Rogerius probavit.

§. V. Num vero ius Francorum in Regno generale sit, an speciale, disputatur. Equidem iis adstipulor, qui peculiare esse statuunt (12). Primum enim aevo Rogerii iure, quod in Longobardia vigebat, utebantur in feudali successione Franci, qui pauci erant, suis moribus vivebant. Deinde Fridericus II. (13) ius Francorum *speciale* dixit: eodemque nomine appellant veteres feudistae nostrates, nominatim Andreas (14), Camerarius (15), & Afflictus (16). Porro in provincia Aprutii satis ampla feuda prope omnia iure Longobardiae reguntur. Quid quod nulla extat lex patria, quae generatim primogenituram servari cavit; inque archivis Aragonensium,

(12) Conf. de Rosa *in praelud. feudalib. lect.* 8. Capanum *de iure relevii part.* 1. *q.* 17. & Franc. de Andreis *disp. feud. cap.* 11. §. 7.

(13) *In const.* ut de successionibus *de success. nobil. in feud.*

(14) *In cit. const.* v. speciali, & *in praelud. feud. n.* 37.

(15) *In II. F.* 55. *in fin.*

(16) *Dec.* 119. *n.* 3. *& dec.* 248. *n.* 3.

Digitized by Google

Regis Catholici, & Caroli V. multae proſtant conceſſiones, quae ſunt iuris Longobardici? Longobardicum itaque ius apud nos commune eſt, quod in dubio ſemper praeſumitur, niſi in inveſtitura expreſſum ſit, ut Francorum iure vivatur.

CAP. VI.

De legitima deſcendentium ſucceſſione.

§. I. PRimus legitimae ſucceſſionis ordo eſt deſcendentium. In feudum ergo ſuccedunt deſcendentes a primo adquirente, maſculi, & iuſtis nuptiis quaeſiti, niſi peculiari lege, aut culpa ſua, vel facto excludendi videantur. Deſcendentium nomine veniunt filii, nepotes, pronepotes, & deinceps alii in infinitum (1). Nullum hac in re inter feudale ac civile ius diſcrimen. Immo deſcendentes in infinitum ſuccedunt, licet in inveſtitura feudi nulla filiorum heredumque mentio ſit facta; nam praeſumitur hoc votum cum in dante, tum in accipiente feudum. Nemo ſibi uni conſulit, ſed ſoboli, atque iis, qui ab ea deſcendunt, quum quiſque ſeipſum in prole conſervatum, & perenniter duraturum contempletur.

§. II. Liberi autem ſuccedunt ſive ſui ſint, ſive emancipati; in feudis enim patria poteſtas non attenditur (2), & praecipua ſuccedendi ratio

(1) *I. F.* 1. §. *hoc quoque*, *II. F.* 58.
(2) *I. F.* 11. §. 7.

Digitized by Google

tio in masculino genere est posita (3). Hic ergo locum non habet subtilitas iuris civilis, quod suos heredes eos facit, qui in familia & potestate defuncti permanserunt, sed naturae simplicitas, quam spectarunt contrahentes, & ratio sanguinis, quae si quidquam valet, ut aliquando valet plurimum, ad liberos fide, obsequio, omnique officiorum genere erga dominum similes parentibus efficiendos, idem profecto praestabit in suis, ac in emancipatis. Nec quidquam interest, nati ne sint, an postumi; hi namque pro iam natis habentur, quum de ipsorum commodo agitur. Quare mulier ventris nomine Carboniani edicti potestate in feudi possessionem immittitur.

§. III. Nihil descendentibus exheredatio, aut praeteritio obest, quum ita ius sanguinis, quod potissimum in feudis spectatur, auferri nequeat. Ab alodiali nimirum successione differt feudalis, utpote singulari iure delata; quo fit, ut nec institutio proficiat, nec exheredatio noceat; nam culpa, qua filius mereri potest exheredationem, talis esse potest, ut non ideo indignus feudo iudicandus sit. Quare patris de filio iudicium remotum est a iudicio feudali, in quo disceptatur, sitne feudum vassallo velut indigno auferendum. Utrumque communi ratione tam civili, quam naturali nititur, & quemadmodum iuste agit pater filium male de se meritum exheredando, ita dominus vassallo indigno feudum adi-

(3) *I. F.* 1. §. *& quia vidimus.*

Digitized by Google

adimendo, uti ratiocinatur Feudiſta (4); cuius non ea eſt ſententia, filium exheredatum a feudi quoque ſucceſsione arcendum, aut omnes cauſſas exheredationis eſſe quoque cauſſas legitimas amittendi feudi, ſed haec ſimpliciſsima: ſicut conſentaneum eſt filios aliquando exheredare, ita vaſſallos feudo privare.

§. IV. Quemadmodum civili, ita etiam feudiſtico iure deſcendentes in infinitum ſuccedunt vel in *capita*, vel in *ſtirpes*, ſive iure repraeſentationis (5). Repraeſentatio autem in feudis tam iuris Longobardorum, quam Francorum locum habet. In feudis, quae dividua ſunt, nepotes ex filio praemortuo ſuccedunt in capita, quippe qui gradum & iura denati patris exhibent: in feudis vero individuis dumtaxat maior natu ſuccedit, quum etiam primogenitura repraeſentationem contineat. Hinc mortuo avo nepos patruo praefertur; etenim filius iura patris repraeſentat, eumque veluti viventem ſiſtit, quum liberos quis gignat, alatque, ut, exacto vitae curriculo, in iis vivere videatur. Ius autem defuncti patris erat, ut ipſe tamquam primogenitus potiretur feudo, quod ius in filium eius tranſit, qui auctoritate iuris proximior, adeoque primogenitus exiſtimatur.

§. V. Nunc ius noſtrum appingere non pigeat. Fridericus II. Rex noſter (6) tria de ſucceſsione deſcendentium in feuda decrevit. (I) Ut feu-

(4) *II. F.* 24. §. 2. *v. praedictis*.
(5) *I. F.* 1. §. 1. *& II. F.* 11.
(6) *Conſt.* ut de ſucceſſionibus *de ſucceſſ. nobil. in feud.*

Digitized by Google

feudo defuncti baronis filii, nepotes, ceterique in infinitum ex descendenti linea proficiscentes masculi succedant, exclusis feminis, & ex maribus tantum maior natu, si iure Francorum vivatur. (II) Ut deficientibus maribus feminae eadem aetatis praerogativa succedant. (III) Tandem ut femina maior natu, si de bonis paternis dotata, iamque viro copulata sit, excludatur a sorore minore, si haec adhuc innupta fuerit.

§. VI. Primo itaque Fridericus mares omnes ad successionem vocat in feudo iuris Longobardorum, si dividuum sit; in feudo autem iuris Francorum tantum maiorem natu, exclusis feminis, & masculis secundogenitis. De gradu nihil cavit Fridericus; sed a iure Longobardiae non discessit, quo proximior excludit remotiorem. Hunc itaque ordinem praescripsit, ut spectetur gradus, in eodem gradu sexus, & in sexu aetas; nempe proximior gradu praeferatur, in pari vero gradu masculus, & inter masculos primogenitus. Omnia haec recte sapienterque instituta sunt, ut infra videbimus.

§. VII. Maribus vero non existentibus, femina proximior succedit. Primum a Friderico II. feminae ad feudi successionem admissae sunt, quum iure Longobardiae, quod sub Nortmannis obtinuit, repellerentur. Si plures in eodem gradu sunt feminae, maior natu ceteris praefertur. Verum si tempore successionis primogenita bonis patris dotata iam elocata sit, a sorore secundogenita adhuc innupta excluditur a feudo iuris Francorum. Huius rei non alia produci ra-

Digitized by Google

ratio poteſt, quam leges iis maxime conſulere, quae ſtatum adhuc non ſunt adeptae, eaſque minus diligere, quae alieno non indigent auxilio, viroque ſuſcepto ſuam firmarunt conditionem. Scilicet feudo ſecundogenitae delato, facilius ei eſt honeſtum inire matrimonium, parique nubere cum familiae decore.

§. VIII. Tria itaque requiruntur, ut primogenita feudi ſucceſſione per ſecundonatam ſororem arceatur. (I) Ut fuerit dotata. Quare non excluditur, ſi ſine dote nupſerit, veluti ob venuſtatem, quae non bonum patris, ſed filiae vocatur. Secus vero eſt, ſi dos fuerit promiſſa, nec ſoluta, quum dos promiſſa ſit vera dos (7). Congrua eſſe dos debet; durum enim eſſet, primogenitam parva dote accepta, quae facultatibus dotantis & conditioni ſuae impar eſt, etiam ſucceſſione privari. Si ergo integrum paragium non habuerit, vel ad ſupplementum aget, vel ut ad feudi ſucceſſionem admittatur; nam excluſio primogenitae eſt conditionalis, ſi integrum habuerit paragium, & ſolutio, quae perfecte facta non eſt, pro infecta habetur; praeſertim quum hic de ſucceſſione agatur, quae iure primogenitae competit (8). Porro inutilis eſt primogenitae dotem accipientis proteſtatio, nolle ſe feudi ſucceſſione ſpoliari; privata namque proteſtatio publicas leges, quibus primogenita do-

(7) *L. 1. ſeqq. C. de dot. promiſſ.* Camillus de Curte *reſolut. feud. cap. 2. n. 83.* Urſinus *de ſucceſſ. feud. part. III. q. 1. art. 2. n. 8.*

(8) Urſinus *cit. loc. art. 9. n. 7.*

Digitized by Google

dotata excluditur, labefactare nequit; maxime quod, dote accepta, proteſtatio facta eſt nulla, quum nemini liceat palam aliquid agere, quod ſibi praeiudicium inferat, ipſo ſciente & conſentiente. (II) Requiritur, ut primogenita de bonis patris dotata ſit. Hinc non excluditur, ſi de bonis matris dotata fuerit, & de ſucceſſione feudi paterni agatur (9). (III) Tandem, ut fuerit coniugata. Nuptiis ergo eſt opus, ſponſalia de futuro non ſufficiunt, quippe Fridericus nuptam requirit tempore mortis patris, quo defertur ſucceſſio. Nec vero opus eſt, primogenitam poſt matrimonium rite celebratum in domum viri fuiſſe ductam; ſatis enim liquet, domiductionem non ad nuptiarum ουσιαν, ſed ad ſollemnitatem ſpectare, nuptamque dici primogenitam, etiamſi in domum viri non deducatur. Quod ſi pater inter vivos, vel mortis cauſſa dotem primogenitae aſſignaverit, nec adhuc nupſerit, innupta ſoror ei non praeferetur; nam nec nupta eſt, nec dotata dici poteſt, quum dos ſine matrimonio eſſe nequeat (10).

§. IX. Legibus Friderici II. (11) feminae, deficientibus maribus, in feudo patribus, & fratribus ſuccedunt, excluſis patruis, aliiſque agnatis. Num vero in feudis iuris Francorum ſoror elocata, ſed non dotata ex bonis fratris, a ſucceſſione ipſius fratris ſine liberis mortui excluda-

(9) Gloſa. *ad cit. conſt. v. excludunt.*
(10) Camillus de Curte *cit. loc. n. 77.*
(11) *Cit. conſt.* ut de ſucceſſionibus, & *conſt.* in aliquibus *de ſucceſſ. filior. comit. & baron.*

Digitized by Google

datur per patruos, alioſve agnatos, neene, olim quaeſitum fuit. Sed controverſiam diremit Ioanna II. edita an. MCCCCXVIII. celebri *pragmatica I. de feudis*; quae *Filangeria* (*a*) vulgo appellatur. Nimirum Iacobus Nicolaus Filangerius comes Abellinatum, qui iure Francorum vivebat, teſtamento heredem in feudalibus inſtituit Gorrellum filium primogenitum, in alodialibus vero tres filios Alduinum, Ioannucium, & Urbanum, cumque iis Catharinam unicam filiam, cui uncias 800. praelegavit. Gorrellus poſt patris obitum iam comes Abellinenſis Catharinam ſororem nuptum dedit Ioanni Caracciolo M. Seneſgallo, eique in dotem dedit uncias 800. a communi patre praelegatas. Non multo poſt moritur ſine filiis Gorrellus, & poſt eum paucis diebus tres fratres in pupillari aetate deceſſerunt, una ſuperſtite Catharina ſorore. Hinc contentio de ſucceſsione comitatus Abellini orta inter Catharinam, Philippum eius patruum, Richardum Matthaeum, filium & heredem Richardi, alterius Catharinae patrui, & fiſcum, qui feudum ſibi devolutum tuebatur. Ad Catharinam excludendam allegabatur, quod cum ea nupta & dotata fuiſſet ſuccedere fratri in feudo non debebat ſecundum Friderici II. conſtitutionem

(a) *Filangerii*, vel *Filingerii* cognomen factum a nomine patris, praemiſſa voce *filius*, quaſi *filius Angerii*. Barbaris temporibus occurrunt nomina propria *Ancerius*, *Angerius*, & *Ingerius*. In Chronico Vulturnenſi *lib. V.* legitur: *Filii Burrelli ſuper filios Ancerii ſurrexerunt*. Conf. Iannon. *hiſt. civ. Regn. Neap. lib. VII. cap.* 2. & in primis Ianuar. Grande *de origine cognominum gentilitior. in Regno Neapolit. part. III. & IV.*

Digitized by Google

nem *ut de successionibus*. Interim Ioanna II. precibus annuens Catharinae causam doctoribus delectis commisit, ut sine figura iudicii decernerent cuinam successio comitatus Abellinensis deberetur, Catharinae ne, an eius agnatis, an potius fisco fuerit devoluta. Re perpensa electi iudices successionem Catharinae detulerunt, etsi a fratre fuerit dotata, quia dos illi ex bonis fratris constituta non fuit. Fundata decisio fuit illis laudatae constitutionis verbis: *Filiae autem in capillo post mortem patris in domo manentes, maiores sorores coniugatas, & dotatas de bonis patris excludunt. Ceterum si de bonis paternis dotatae non sunt, maiores minoribus praeferuntur, si Francorum iure vivant*. Hinc doctores intulerunt, in feudis iuris Francici sororem tunc demum excludi a successione fratris, si dotata fuerit de bonis ipsius fratris. Hanc decisionem certa & perpetua lege confirmavit Ioanna II. *cit. pragm.* qua statuit, *quod in viventibus iure Francorum, tunc soror excluditur a successione fratris, quando ipsa soror fuerit maritata de bonis fratris, de cuius successione agitur, alias non excluditur. In viventibus autem iure Longobardorum vindicat sibi locum* glossa Marini de Caramanico, *quod sufficit, si fuerit maritata & dotata a communi patre, vel a fratre, dummodo habuerit dotes de paragio, ut excludatur a successione fratris, quibuscumque iuribus, vel constitutionibus, ritibus, observantiis, & capitulis, ac privilegiis, & rescriptis factis, & in antea faciendis, in contrarium disponentibus, repugnantibus, seu obsistentibus, nullatenus obstaturis*.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VII.

De legitima collateralium ſucceſſione.

§. I. DEficiente deſcendentium linea, collaterales a primo adquirente orti in infinitum ſuccedunt; nemo ſiquidem ſuccedere poteſt, niſi a primo adquirente deſcendat. Hinc mortuo ſine liberis vaſſallo, qui primus feudum adquiſivit, collaterales non ſuccedunt. Itaque ne frater quidem ſuccedit defuncto fratri in feudo novo, quia ab eo non deſcendit. Etenim Conradus Salicus, qui primus feudorum ſucceſſionem fratribus detulit, eoſdem ea lege admiſit, ſi feudum a communi parente comparatum eſſet. Secus vero eſt, ſi expreſſum pactum inveſtiturae ſit adiectum, aut tam validae ſuppetant coniecturae, aut pro adiecto habendum videatur (1). Exemplum taciti pacti eſt, ſi fratres, quos indiviſa bona poſſidere, vel ſimul habitare dominus ſciebat, communi pecunia & nomine feudum comparaverint (2): nam & ipſos contribuere inter ſe utile feudi dominium voluiſſe bonorum communio oſtendit, & dominum ratam habere eorum voluntatem ex eius ſcientia, ſilentioque colligitur. Praeterea ſi armis communibus, rebuſque ſtrenue in hoſtem domini geſtis feudum ſibi pariter promeruerint, & acceperint; periculorum enim pro Principe ſu-

(1) *I. F.* 8. *in fin.* 12. 14. & 18. & *II. F.* 11.
(2) *I. F.* 20.

Digitized by Google

ſuſceptorum ſocietas talem quoque feudi ſocietatem poſtulare videtur, ut non modo quamdiu vixerint una frui eo poſſint, verum etiam alter ſine legitimo herede defuncto ſuccedere (3). Atque haec ſententia maxime conſentanea eſt Principis voluntati & munificentiae, qui ita cenſetur utriuſque virtutem magis remunerari voluiſſe. Quod ſi Principis voluntas minus perſpicua fuerit, eiuſmodi ſucceſſioni locus non erit. Exemplo ſit, ſi unus eorum fratrum, qui in communione vivebant, feudum acceperit, idque ſive dominus communionem ſciverit, ſive ignoraverit, quia non praeſumitur eum ad ſucceſſionem totius feudi vocare, qui ne partem quidem adquiſiverat. Id innuit Feudiſta (4) iis verbis: *Sed neque vivente eo, qui feudum adquiſivit, neque poſt mortem eius.* Communio igitur hoc caſu unum id efficiet, ut fructus feudi ſimul percipere queant, utque pecuniae pars, ſi pecunia communis ſoluta ſit, alteri reſtituatur (5). Item ſi communibus equis & armis adquiſitum quidem ſit feudum, ſed alteri tantum eorum facta inveſtitura. Sic intelligenda Feudiſtae (6) verba: *Ne forte invitus dominus alium, quam quem voluerit, ſibi acquirat vaſſallum*, eum nempe adquirat per ſucceſſionem, quem numquam habuit per inveſtituram.

§. II. Iam denato ſine liberis vaſſallo, qui non

(3) *Cit. I. F.* 20.
(4) *II. F.* 12.
(5) *Cit. II. F.* 12.
(6) *Cit. loc.*

Digitized by Google

non primus feudum quaesivit, seu non novum feudum, sed antiquum possidebat, succedunt collaterales a primo adquisitore descendentes, & primum omnium fratres. Nomine fratrum tam germani, quam consanguinei continentur; quum aeque omnes communem patrem habeant (7): quare in iure feudali non attenditur discrimen inter fratres uno dumtaxat, & utroque parente coniunctos, ut iure civili (8) spectatur. Uterini autem non veniunt, quippe ex eadem agnatione non sunt, quod aliter se habet iure civili, quo possunt ad successionem admitti (9). In eo utrumque ius similiter observatur, quod fratres quidem succedant in capita, si dividuum sit feudum, sed fratrum praemortuorum filii cum patruis concurrentes succedant in stirpes, ideſt eam ferant feudi partem, quam eorum patres laturi fuissent, ut innuit Feudista (10); quodque fratrum defunctorum filii, si soli sint, succedant in capita (11). Memoravi fratrum filios cum patruis concurrentes, ut indicarem si sint nepotes, iis defuncti fratres praeferri; tunc enim videtur cessare ius repraesentationis, ex quo sequitur fratres, utpote coniunctiores, solos admitti. Deficientibus vero fratribus vocantur ulteriores agnati usque in infinitum secundum gradus & lineae praerogativam.

§. III.

(7) *I. F.* 1. §. 2. *& II. F.* 11.
(8) *Nov.* 118. *cap.* 3.
(9) *Cit. Nov. cap.* 3.
(10) *II. F.* 11.
(11) *Argum. d. tit.* 11.

Digitized by Google

§. III. In feudali ſucceſſione ratio lineae & gradus habenda eſt, ita ut gradu proximior, & quidem in eadem linea, remotiorem excludat, niſi remotior in locum proximioris ſubingrediatur. Nihil agnato prodeſt proximiorem eſſe gradu, ſi linea ſit remotior, quum lineae coniunctio ſit gradus coniunctione valentior. Ita non agnati omnes feudo ſuccedunt, ſed dumtaxat qui a primo adquirente deſcendunt. Scilicet qui primus feudum adquirit, illud debet ad ſuos deſcendentes tranſmittere, cui conſequens eſt, ut ab eo, qui primo adquirenti ſuccedit, debeat ad ſuos quoque deſcendentes eodem iure tranſmitti, & ſic deinceps; quare quamdiu aliquis ſupereſt ex deſcendentibus illius, qui feudum habuit, excluduntur collaterales. Finge: pater meus feudum quaeſivit, in quod ego ſucceſſi. Si ego ſine liberis decedam, ſuccedunt fratres mei, non fratres patris mei, quia non deſcendunt a patre meo, primo feudi adquiſitore. Vides hic, unam proprie eſſe feudorum ſucceſſionem, nempe deſcendentium, quum nemo ſuccedere poſſit, niſi e ſanguine primi adquirentis deſcendat. Nec porro datur ſaltus lineae, ſive iure Longobardico, ſive Francico ſucceſſio regatur, ſed, una extincta linea, admittitur alia, omnibus vero peremtis, feudum redit ad dominum. Ut ecce: Seius feudum quaeſivit, & quatuor filiis ſuperſtitibus deceſſit. Si de ſucceſſione communis patris agatur, omnes liberi in eadem linea ſunt, & quidem recta, & ut unam ſub eodem capite familiam, ita unam conſtituunt lineam. Si vero liberi inter ſe conſiderentur, tot

Digitized by Google

incipiunt lineae adparere, quot ſunt fratres, qui ſinguli efficiuntur lineae ſuae principes, ex qua itidem pro numero liberorum, quos unuſquiſque fratrum relinquet, tot lineae exiſtent, & ex his aliae in infinitum. Si in lineam unius fratris ingreſſum ſit feudum, in eadem linea, immo in omnibus lineis, quae forte ab ea provenerint, feudum conſervari debet, eaque prorſus extincta, in aliorum fratrum lineas tranſit; quamvis in aliorum fratrum linea (quod evenire poteſt) aliqui reperiantur coniunctiores gradu. Quod autem dicitur de linea unius fratris reſpectu aliorum fratrum, idem dicendum eſt, ſi illa ipſa unius fratris linea in alias veluti lineolas ſubdiviſa, inque unam earum ingreſſum ſit feudum, ex qua propterea nequit exire, niſi fuerit omnino finita. Ex quo efficitur, ut quo plures lineae ex una fratris linea fiunt, tanto remotior ſit ſpes eorum, qui in aliorum fratrum lineis inveniuntur.

§. IV. Finge itaque feudum a Seio quaeſitum, quod, utpote dividuum, ad quatuor ipſius filios aequis partibus pertinebat, at iudicio familiae erciſcundae Titio uni filiorum adiudicatum eſt. Titio autem mortuo, duobus filiis ſuperſtitibus, Caio & Sempronio, hi ambo aequaliter ſuccedere deberent, excluſis patruis, ſeu Titii fratribus, eorumque deſcendentibus; at unum dumtaxat eorum, nempe Caium, ex diviſione feudum nanciſci fingamus. Si Caius ſine liberis deceſſerit, Sempronius eius frater ſuperſtes admittetur, qui eumdem, & proximam quidem ſtipitem cum defuncto communem habet, nempe

Digitized by Google

pe Titium patrem, excluſis eiuſdem Titii fratribus, eorumque deſcendentibus. Quod autem dictum eſt de Sempronio fratre Caii admittendo, idem quoque dicendum de eius deſcendentibus, cuiuſcumque ſint gradus, ob eamdem ſcilicet cauſſam, quia eumdem habent ſtipitem Titium: neq; iis obeſt, quod ſint remotiores gradu, fratres vero Titii ſint propiores, quia illi ſunt linea coniunctiores. Extincta vero Sempronii linea, feudum redit ad tres Seii primi adquirentis filios, ſeu Titii fratres, aut eorum liberos. Omnibus demum extinctis lineis, feudum domino aperitur.

§. V. Iam gradu proximior in eadem linea remotiorem excludit. Coniunctionem gradus metiendam eſſe ex perſona ultimi poſſeſſoris, ne dubites. Sed utrum in ſucceſſione feudali gradus computandi ſint ex iuris canonici, an civilis praeſcripto, inter omnes non convenit. Prius viſum Hotomano (12), Piſtorio (13), aliiſque. Poſterius autem Cuiacio (14), Duareno (15), Vulteio (16), & permultis aliis. Sane, ut omittam canonicam graduum computationem ad matrimonia ſpectare, non ad ſucceſſionem regendam; ſcribit Feudiſta (17), in computatione graduum ordinem ſervari, qui in *legibus* continetur: nomine *legum* non canonicas, ſed Romanas intel-

(12) *In diſput. feud. cap.* 19., *& in II. F.* 31.
(13) *Lib. II. q.* 19. *n.* 8.
(14) *In I. F.* 1. §. *& quia.*
(15) *De feud. cap. XI. n.* 14.
(16) *Lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 236.
(17) *II. F.* 37. §. 1.

Digitized by Google

ligit. Rurſus (18) civile ius deficiente feudali obſervandum edocet. Adhaec eodem ſenſu accipit gradum, atque *geniculum*, ſeu generationem (19); iure autem civili tot ſunt gradus, quot generationes. Idem Feudiſta (20) tradit, iure antiquo ſucceſsionem *ultra fratres patrueles* non proceſsiſſe; & alibi (21) ait, non progredi *ultra quartum gradum*: at in quarto gradu ſunt patrueles iure civili, in ſecundo autem iure canonico. Porro primi feudorum in Italia conditores, & ſapientes omnia ad ius Romanum tunc in Bononienſi Academia a praeſtantibus iuriſconſultis illuſtratum referre, cunctaſque Italiae leges & ſtatuta Romano iure illuſtrare ſatagebant. Quid quod iure feudali una proprie eſt ſucceſsio, puta deſcendentium, altera collateralium improprie fingitur; in deſcendenti autem linea quo modo civile, eodem canonicum ius gradus recenſet?

§. VI. Hactenus commune ius de feudali collateralium ſucceſſione explicuimus; nunc patrium tam vetus, quam novum adnectamus. Iure noſtro feudalis collateralium ſucceſſio ad quintum gradum patet. Eam enim ad tertium gradum Fridericus II., ad quartum poſtea Carolus V., ad quintum tandem Carolus VI. produxerunt. Provinciam iam ingredimur ſalebroſam, totque interpretum controverſiis implicatam

(18) *II. F.* 1.
(19) *I. F.* 1. §. 4., *iunct.* 1. 8. §. 1.
(20) *Cit. tit.* 1.
(21) *Dict.* 1. 8. §. 1.

Digitized by Google

tam potius, quam enucleatam, quae ob ignorata certa feudalis ſucceſſionis principia potiſſimum excitae ſunt. Duo quidem fundamenti loco praefigenda ſunt; quorum alterum, in ſucceſſione collateralium remotiorem gradu a proximiore excludi, niſi remotior iure repraeſentationis in locum maioris natu ſubingrediatur; alterum, ex iis, qui parem obtinent gradum, a maſculo feminam, a maiore natu minorem excludi, niſi maior ex feminis, dote accepta, nupſerit, minor vero adhuc innupta ſit. His poſitis, primum de ſucceſſione fratrum & ſororum; deinde filiorum fratrum ſororumque, item patruorum & amitarum; tum conſobrinorum; tandem de illorum ſucceſſione, qui quinto gradu defuncto feudatario coniunguntur, ordine diſſeremus.

§. VII. Agmen ducant fratres ſororeſque, qui ſecundo lateralis lineae aequalis gradu ſunt, quum primus iure civili non detur. Mortuo ſine liberis barone, primo loco vocantur eius fratres ſororeſve, utpote proximiores. Primus Regum noſtrorum Fridericus II. (22) cavit, ut fratri ſine filiis mortuo fratres ſororeſque ſuccederent, ſervata ſexus & aetatis praerogativa, ſive ex utroque latere defuncto coniungantur, nempe germani, ſive ex altero tantum, puta conſanguinei, & uterini ſint; ex feminis vero praetulit ſorores adhuc innuptas: *Ex collaterali linea*, inquit, *venientes, ut fratres, ſive ex utroque parente, ſive ex altero tantum, & ſorores in capillo, exclu-*

(22) *Conſt.* ut de ſucceſſionibus *de ſucceſſ. nobil. in feud.*

Digitized by Google

so etiam communi parente superstite, omnino succedant. Coniugatae autem & dotatae a fratrum successionibus repelluntur. Filii autem fratrum his, quae communis patris fuerunt, avi eorum scilicet, idem ius, quod pater eorum, habeant. In acquisitis autem a patre ex largitate nostra, vel quolibet titulo, iure suo nepotes ex fratribus non succedunt. In ulteriori autem gradu positis, scilicet filiis nepotum ex fratribus, & sequentibus, in his etiam quae communis proavi fuerunt, successio non defertur. Ita Fridericus collateralium successionem tertio gradu conclusit.

§. VIII. Primum itaque Imperator fratres sororesque cuiuscumque generis vocavit, sive feudum sit antiquum, sive novum. Generatim enim eos succedere iuffit, nulla inter vetus ac novum feudum distinctione iniecta. Quumque fratrum filios a feudo novo excluserit, fratres admisisse videtur. In hanc sententiam Friderici legem interpretati sunt doctores nostri Andreas (23), Afflictus (24), Ponte (25), de Curte (26), Marcianus (27), Ursinus (28), ceteriique. Sub Carolo I. Andegavensi primum investiturae adiici coepit clausula *pro se, & heredibus ex corpore legitime descendentibus.* Hinc sub eius filio Carolo II. dubitatum, an etiam in feudo antiquo frater succederet. Sed omne amo-

(23) *In cit. const.* ut de successionib. *v. fratres.*
(24) *In d. constit.*
(25) *De potest. Proreg. tit. de refutat. n.* 22.
(26) *Resolut. feudal. cap.* 3. *n.* 3.
(27) *Exercit. fiscal. cap.* 9.
(28) *De success. feud. part. II. art.* 1. *n.* 27.

Digitized by Google

amovit dubium idem Rex (29), qui eum in feudo antiquo admiſit, a novo autem repulit, quia licet non deſcendat ex corpore fratris, eſt tamen de corpore primi adquirentis: quod in novo feudo locum non habet.

§. IX. Hodie ſuccedunt fratres in omnibus feudis, quaecumque ſit inveſtiturae formula. Philippus II. an. MDLXX. (30) fratribus ſucceſſionem indulſit in feudo tam antiquo, aut antiqui iure conceſſo, quam novo, ſive inveſtitura ſit *pro ſe, & heredibus*, ſive *pro ſe, & heredibus ex corpore*, modo feudum a R. Curia emeretur, ac emtor tempore contractus filiis & deſcendentibus careret. Idem deinde Philippus II. an. MDLXXXVI. (31), inſtantibus baronibus, nihil intereſſe ſcivit, num a R. Curia, an a privatis feudum ſit emtum, & an contractus tempore filios, vel non, emtor habuerit. Tandem Imp. Carolus VI. an. MDCCXX. (32) declaravit, gratias omnes, quibus fratres germani, vel unilaterales, eorumque filii ad novi feudi ſucceſſionem vocantur, nihil obſtante inveſtitura concepta *pro ſe, & heredibus ex corpore legitime deſcendentibus*, locum habere non ſolum in feudis emtis a R. Curia, vel a privatis, ſed etiam in feudis ſola Regis munificentia quaeſitis, vel a privato legitime donatis.

§. X. Nunc de fratrum unilateralium ſucceſſione

(29) *In capitulo* conſiderantes *de prorog. ſucceſſ.*
(30) *Pragm. XVIII. de feudis.*
(31) *Pragm. XXII. & XXV. eod.*
(32) *Tom. I. privileg. Regn. in fin.*

Digitized by Google

ſpeciatim agendum. Hos ad feudi ſucceſſionem vocavit Fridericus II., qui generatim admiſit *fratres*, *ſive ex utroque parente*, hoc eſt, germanos, *ſive ex altero tantum*, nempe conſanguineos, & uterinos, deſcenderent. Nec porro diſtinxit Imperator, antiquumne, an novum ſit feudum, ſed generaliter locutus eſt, uti ſupra obſervavimus. Quod vero ſpectat ad feudum novum, Philippus II. an. MDLXXXIX. (33) ſtatuit, in feudo novo ſuccedere fratres ſororeſque uterinos, & eorum filios utriuſque ſexus. Quod vero Fiſci patroni R. Camerae in emergentibus cauſſis contenderent, privilegium hoc intelligendum de uterino, ſi concurrat cum Fiſco, non item cum alio agnato remotiore, ſed de corpore adquirentis; Philippus III. & IV. (34) precibus annuentes baronum indulſerunt, uterinos ad feudum admitti non ſolum in excluſionem Fiſci, ſed etiam quum deficeret perſona in gradu ſucceſſibili, a primo adquirente deſcendens.

§. XI. Maior exinde contentio in R. Camera exarſit. Etenim Fiſci patroni adſeverabant, reſcriptum Philippi II., quo fratres uterini ad ſucceſſionem vocabantur, intelligendum eſſe de feudo novo, de quo tantum fuerat conceptum, non item de antiquo. Reponebant uterini defenſores, in feudo antiquo opus non fuiſſe nova Regis munificentia, quum id a Friderico II. & Carolo II. iamdiu decretum eſſet. At urgebant Fiſci patroni, has leges novo Philippi II. ora-

(33) *Pragm. XXIX. de feud.*
(34) *Tom. II. privileg. Regn.* p. 81. & 92.

Digitized by Google

eraculo fuiſſe correctas. Quo factum, ut eiuſmodi cauſſae tranſactione cum Fiſco dirimerentur: quod in ſucceſſione marchionatus Gruttulae & Ducatus Ebuli factum eſt. Et quamvis barones Philippo IV., tum Carolo II. preces obtulerint, ut in feudis antiquis uterini & conſanguinei ſuccederent; id tamen remiſſum fuit ad terminos iuſtitiae, ut de ea re iudicarent Regia Tribunalia, a quibus definitiva ſententia numquam prodiit.

§. XII. Tandem tot iurgiis finem impoſuit Imp. Carolus VI. an. MDCCXX. (35). Ab eo ſupplices petierunt barones, ad praecidendas quae frequenter emergebant lites, ut declararet, aut concederet, in feudis tam novis, quam antiquis quoquo modo adquiſitis, ſuccedere poſſent fratres ſororeſque unilaterales, etſi coniunctio ex eo latere non ſit, a quo feudum perveniat, itemque nepotes ab iis deſcendentes, maſculi, & feminae, etiam in feudis iuris Francorum, ſervata ſexus & aetatis praerogativa. Precibus reſcripſit Caeſar, gratias, quibus fratres utrinque coniuncti, aut ex uno latere, & eorum filii, admiſſi fuerunt ad ſucceſſionem in feudis novis, non obſtante inveſtitura pro ſe, & heredibus ex corpore, locum habere non ſolum in feudis emtis a R. Curia, vel privatis, ſed generatim in omnibus quocumque modo legitime quaeſitis. Id etiam declaratum, ut dictarum gratiarum effectus non intelligatur in prima vice conſumtus, adeoque eaedem gratiae, quotieſcumque ca-

(35) *Cit. loc.*

Digitized by Google

casus contigerit, executioni mandentur.

§. XIII. Nunc illustres quasdam de successione fratrum quaestiones persequamur. Primum quaeritur, utrum in successione fratris praeferendus sit primogenitus unilateralis, an utrinque coniunctus, sed natu minor? Consiliarius Georgius (36) pro fratre germano secundogenito scripsit, nec quidquam decisum de hac re refert, quum transactione his fuerit composita. Contra pro fratre primogenito ex uno latere coniuncto decisum refert Minadous (37): parique modo sub Alphonso I. Aragonio iudicatum testatur Montanus (38). Communi huic opinioni, rerum iudicatarum auctoritate munitae, adhaesit Rovitus (39). Moventur omnes, qui ita sentiunt, vi primogenitorae, cui non obstat vinculum duplicis coniunctionis, quod in germano adest. Verum non desunt recentiores decisiones in contrarium scriptae. Orta enim contentione pro successione Marchionatus Clusani, S. Consilium iudicavit pro secundogenito germano adversus fratrem primogenitum, qui uterinus erat defuncto, ob eam rationem, quod in feudis, quae iure Francorum reguntur, non tam primogenitura sit attendenda, quam ligamen a stipite protractum, uti refert Tapia (40). Hinc in feudo iuris Francici uterinum concurrentem cum consanguineo secundogenito ad successionem feudi

(36) *Allegat.* 21.
(37) *Dec.* 36. *n.* 10.
(38) *In cap. imperialem* §. 1. *n.* 126. *in fin.*
(39) *In pragm.* 2. *de feudis n.* 20. *& seq.*
(40) *Dec.* 2.

Digitized by Google

di paterni, ab iſto excludi, colligit Flaminius Monachus (41).

§. XIV. Similem quaeſtionem expendit Franciſcus de Andreis (42) pro ſucceſſione Status Laurini. Baro heredem in feudo inſtituerat filium ſecundogenitum ex ſecundis nuptiis ſuſceptum, vi pacti cum Fiſco initi in emtione feudi, ut ad eius ſucceſſionem, quem vellet, filium vocare poſſet. Mortuo hoc filio ſine liberis, oborta contentio eſt inter eius conſanguineum prioris matrimonii, & fratrem germanum ſecundogenitum, cui ſucceſsio deberetur. Pro conſanguineo primogenito ſcripſit Urſinus (43). Contra pro ſecundogenito germano ſtetit laudatus de Andreis. Cauſſa definita non fuit; nam S. Conſilium decrevit, ut reſcribatur S. R. M. pro ratificatione pacti in venditione appoſiti pro facultate nominandi ſucceſſorem, atque interim frater germanus ſecundogenitus manuteneatur in poſſeſsione feudi. Ab hoc decreto propoſita per primogenitum conſanguineum reclamatione, plura in utramque partem expenſa fuere; ſed cauſſa perpetuo ſilentio ſepulta eſt.

§. XV. Diſputatur etiam, utrum defuncti frater uterinus, an eiuſdem patruus ad feudi ſucceſſionem admittendus ſit? Camerarius (44), quem Piſanellus, Villanus, aliique ſecuti ſunt, uterinum praeferunt. Moventur, quod uterinus in

(41) *In addit. ad Minadoi d. dec. 36. §. 9.*
(42) *Diſput. an fratres in feuda &c. cap. 3. §. 4.*
(43) *De ſucceſſ. feud. part. II. q. 3. art. 2.*
(44) *In cap. 1. de ſucceſſ. feud.*

Digitized by Google

in ſuccedendo antiquior eſt; is enim a Friderico II., patruus vero a Carolo V. ad ſucceſſionem vocatus eſt. Adhaec uterinus proximior eſt, quippe qui a defuncto ſecundo, patruus tertio abeſt gradu. Quumque nunc feuda in Regno non habeantur tamquam ex pacto, ſed potius hereditaria, in iis non agnatio, aut duplicitas vinculi, ſed gradus proximitas attenditur. Quid quod inveſtiturae formula *pro ſe, & heredibus ex corpore deſcendentibus*, hodie nihil obſtat iis, qui non ſunt de ſanguine primi adquirentis? Contra patruum fratri uterino praeferunt Marcianus (45), de Marinis (46), aliique. Urgent textum in *Capitulo ſi aliquem* Regis Iacobi de Aragonia, quod pro generali lege in Regno Siciliae ultra Farum receptum eſt. Addunt, ex gratia Philippi III. & IV. uterinos ad feuda admiſſos, deficiente perſona ſucceſſibili, quae a primo adquirente deſcendat; in praeſenti autem caſu adeſt perſona ſucceſſibilis a primo adquirente orta, quae in feudo paterno eſt patruus: quique de linea non ſunt, tunc ad ſucceſſionem vocandi, quum deficiunt legitimi deſcendentes. Secundum hanc ſententiam ſemel iterumque in R. Camera iudicatum non ſolum pro patruo, verum etiam amita, ut in ſucceſſione feudi S. Donati, in qua pro defuncti amita, excluſo eius uterino, deciſum refert de Marinis (47).

§. XVI. Si fratres ſororeſque deficiant, ſuc-

ce-

(45) *Diſp. 89. & 90.*
(46) *Lib. I. reſolut. cap. 126.*
(47) *Cit. loc.*

Digitized by Google

cedunt eorum filii. Primus Fridericus II. (48) ad tertium gradum, ideſt filios fratrum, ſucceſſionem extendit: *Filii autem fratrum*, inquit, *his, quae communis patris fuerunt, avi eorum ſcilicet, idem ius, quod pater eorum, habeant. In acquiſitis autem a patre ex largitate noſtra, vel quolibet titulo, iure ſuo nepotes ex fratribus non ſuccedunt.* Hinc habes, Fridericum excluſiſſe filios fratrum a ſucceſsione feudi novi, puta ab ipſo defuncto quovis titulo adquiſiti. Sed & illud hinc infertur, Imperatorem ius repraeſentationis admiſiſſe in linea collaterali.

§. XVII. Hactenus de collateralibus in linea deſcendenti poſitis; dicendum nunc de iis, qui in laterali linea adſcendenti ſunt tertio gradu coniuncti, puta de patruo, & amita. Olim dubitatum, an patruus nepoti ſuccederet. Negarunt nonnulli, propterea quod Fridericus II. etſi tertii gradus meminerit, de eo tamen loquens dumtaxat filios fratrum expreſſit, ceteros tacuit. Contra alii patruum & amitam admiſerunt non quidem ex verbis expreſsis, ſed ex ſententia Fridericianae conſtitutionis. Inde Carolus V. an. MDVII. (49) ad Regni preces ſtatuit, ut patruus ſuccedat non modo in feudis antiquis, verum etiam novis, licet in inveſtitura ſit clauſula *pro ſe, & heredibus ex corpore*. Quod vero gratia tantum de patruo ſtatuebat, idem poſtea Carolus V. an. MDXXXIII. (50) edi-

(48) *Cit. conſt.* ut de ſucceſsionibus.
(49) *Pragm. VI. de feudis.*
(50) *Pragm. XII. de feudis.*

Digitized by Google

edixit, ut in omni casu, quo patruus comprehenditur, amita quoque contineatur. Iam Rovitus (51) aliique patruo in feudo novo successionem denegant, licet a Rege Catholico (52) aperte vocetur, ne melior sit conditio patrui, quam fratris, qui a feudi nati successione excludebatur: unde si patruus ad feudum novum esset admittendus, plus iuris in hac successione haberet, quam frater: quod magnum visum est absurdum Galeotae (53). Ceterum avunculus & matertera filio sororis non succedunt. De iis nihil habet ius Longobardicum (54): ius constitutionum tantum fratres sororesque recenset, ceteros excludere videtur. Ius item gratiarum patruum & amitam dumtaxat admisit.

§. XVIII. Quaerunt feudistae, an filius fratris primogeniti patruum excludat a successione patrui defuncti? Finge: moritur feudatarius, superstitibus fratre tertiogenito, & nepote ex fratre secundogenito praemortuo, hic patruum a successione feudi arcet. Quamvis enim patruus secundo, filius fratris tertio gradu a defuncto distet; tamen hic repraesentat patrem suum, qui erat in eodem secundo gradu cum praerogativa aetatis: unde sicut pater secundonatus successisset, excluso tertiogenito, ita etiam eius filius praefertur vi repraesentationis, quae iure tam communi (55), quam patrio (56), etiam in li-

(51) *Dec. 94.*
(52) *Cit. pragm. VI.*
(53) *Responsa fiscal. 3. & 4.*
(54) *II. F. 11. §. hic vero.* (55) *II. F. 11.*
(56) *Cit. const.* ut de successionibus §. *filii autem fratrum.*

Digitized by Google

ſinea laterali obtinet. Rex Robertus pro nepote contra patruum ſententiam dixit in ſucceſſione comitatus S. Severinae, teſte Grammatico (57). Pari modo iudicatum fuit in cauſſa Ducis Traiecti, uti refert de Anna (58). Nec tantum nepos, ſed etiam neptis ex fratre primogenito patruum ſecundogenitum repellit. Etenim Fridericus II. vocat *filios fratrum*, quorum appellatione filiae quoque intelliguntur, quae iure noſtro feudalis ſucceſſionis capaces ſunt. Pariter neptis, ideſt filia fratris natu maioris, excludit filium fratris ſecundogeniti a ſucceſſione patrui eadem ſubingreſſionis vi, qua ipſe patruus ſecundogenitus, ideſt frater defuncti, excluſus fuit a nepote, orto ex altero fratre natu maiore: ſicque generali conſuetudine Regni receptum teſtantur Afflictus (59), de Ponte (60), Anna (61), aliique. Eodem repraeſentationis iure filius ſororis primogenitae excludit ſororem ſecundogenitam. Nam Fridericus II. (62) feminas in linea deſcendenti & collaterali vocavit: proinde in *cit.* §. *filii autem* filias quoque comprehendit, atque hoc loco maſculinum continet femininum (63).

§. XIX.

(57) *Dec.* 1.
(58) *Conſil.* 125.
(59) *Ad conſt.* in aliquibus *n.* 22.
(60) *Lect. feud.* 37.
(61) *Allegat.* 55.
(62) *Cit. conſt.* ut de ſucceſſionibus, & *conſt.* in aliquibus, *de ſucceſſ. filior. comit. & baron.*
(63) Conf. Urſinum *de ſucceſſ. feud. parte II. q. 4. art. 3. n. 17.*

Digitized by Google

§. XIX. Deficientibus patruis & amitis, vocantur collaterales quarto gradu constituti, nempe patrueles, consobrini, & amitini. Horum nulla olim ratio habita est. Quamvis enim in Longobardia collaterales ad septimum usque gradum, tandemque in infinitum succederent; tamen Fridericus II. (64), ab iure communi decedens, successionem intra tertium gradum coërcuit. Primus Imp. Carolus V. an. MDXXXVI. (65) feudalem successionem ad quartum lineae lateralis aequalis gradum extendit, sed certa personarum designatione adhibita; nam admisit tantum patrueles, modo & masculi sint, & per lineam masculinam a primo adquirente descendant: *Placeo*, inquit, *ut feudalis successio extendatur ad fratres patrueles provenientes & descendentes per lineam masculinam a primo domino & stipite feudi*. Quare frater patruelis, etsi masculus, & a masculo descendens, non succedit sorori patrueli, aut per lineam femininam, vel masculinam descendenti. Mens Caroli V. est, ut successor sit masculus, & a linea masculina descendat, atque is, cui succeditur, etiam masculus sit, & a masculo proveniens. Indulgentior postea fuit Philippus IV. an. MDCLV. (66), qui concessit, ut collaterales intra quartum gradum succederent, etsi masculi non essent, & porro ex feminis descenderent: *Quod succedant*, ait, *tam fratres & sorores, quam eorum filii utriusque sexus*,

(64) *Cit. const.* ut de successionibus.
(65) *Cit. Pragm. XII. de feudis.*
(66) *Pragm. XXXIV. eod.*

Digitized by Google

sus. Ita; ſublato ſexus diſcrimine, quod antea in filiis fratrum obſervabatur, non ſolum patrueles ſive a maſculis, ſive feminis deſcendentes ſibi invicem & ſororibus, ſed etiam ſorores fratribus patruelibus, atque conſobrini & amitini mutuo ſuccedunt, modo ex eo latere defuncto coniungantur, unde feudum tranſmiſſum eſt.

§. XX. Tandem Imp. Carolus VI. Rex noſter anno MDCCXX. (67) feudalem ſucceſſionem ad quintum gradum incluſive produxit. Ubi novum hoc ius prodiit, diſputatum eſt, utrum collaterales quinto gradu poſiti a maſculis deſcendere deberent, an ſufficeret a feminis prognatos fuiſſe. Prius Fiſci patroni in Regia Camera; poſterius alii cauſſae ſuae inſervientes tuebantur. Nihil de hac re definitum eſt. Oborientibus enim eiuſmodi quaeſtionibus, deſcendentes ex feminis admiſsi leguntur, tranſactione cum Fiſco inita. Sed privilegium hoc ſub Carolo Borbonio locum non habuit, uti conſtat ex Regiae Camerae poſterioribus deciſionibus, quibus quintus gradus prorſus excluditur; nec etiam collaterales quarto gradu remotiores ad tranſactionem admittuntur, ut olim fieri conſuevit. Nunc itaque collateralium in feudis ſucceſsio quarto gradu continetur.

§. XXI. Ceterum iure maritali nulla datur in feudis ſucceſsio. Itaque nec vir uxori ſine libe-

S ris

(67) *Tom. II. Privileg. in fin.*, & *Pragm. XXXVII. de feud. edit. Cervon.*

Digitized by Google

xis defunctae, neque haec vicissim marito succedit in feudo tam antiquo, quam novo, quum a primo adquirente non descendant, sed ad agnatos pertinebit, vel, his deficientibus, ad dominum redibit (68). Uno casu maritus admittitur, si ita diserte in investitura sit cautum. Ad rem Feudista (69): *Si femina*, inquit, *habens beneficium moriatur, nullo modo succedit in beneficium maritus, nisi specialiter investitus fuerit*. Idem interpretes perhibent de feudo mere hereditario, concesso scilicet *pro se & quibuscunque heredibus*, quippe quod alodii naturam praeferet (70). Praeter hos casus nulla lege, aut consuetudine licet marito, uxore sine liberis decedente, dotale feudum sibi adquirere, ne alias domino noceat (71).

CAP. VIII.

De feudalium successorum qualitate.

§. I. Opportune nunc agendum de his, qui in feudis succedere possunt. Feudalium successorum haec esse conditio debet, ut & descendentes sint, & masculi, & iustis nuptiis susceptí, nec a successione per legem, propriam culpam, aut factum arceantur. Sane universae successionis fundamentum est agnatio, quum

(68) *II. F.* 16.
(69) *I. F.* 13.
(70) Vid. Rhotium *diss. de feudo hereditario* §. 9.
(71) Vulteius *de feud. lib. I. cap.* 9. *n.* 247. Zasius *part. VIII. cap.* 70. alique.

Digitized by Google

quum nemo admittatur, nisi a primo adquirente descendat. In masculino autem genere praecipua succedendi ratio est posita. In quavis bene constituta republica viri maiori dignitate potiuntur; namque iis & perfectior est rerum cognitio, & sanctius consilium, & in hominum societate publice agendi maior facultas. Tandem ex iusto matrimonio progenitos cum civile ius, tum praesertim feudale (cui maximae curae fuit splendor & amplitudo familiarum) pro veris filiis agnoscit, ceteros repudiat.

§. II. Verum non omnes descendentes & iusti mares succedunt. Spectanda est feudi qualitas. In feudo *dividuo* descendentes ex aequo succedunt; in *individuo* maior natu ceteris antefertur. Sunt primogeniti primi paterni amoris delitiae, & quasi a natura ad familiam propagandam destinantur: nec eorum praelatio cedere invidiae secundogenitis debet, quippe non tam patris arbitrio, quam naturae beneficio tribuenda est, in cuius potestate fuit uni, non alteri privilegium hoc elargiri. Apud gentes tam priscas, quam posteriores primogenituraе ratio est habita (a). Quanti ea fuerit apud Hebraeos, neminem ignorare arbitror. Mosis sacerdotium, duae hereditatis partes, honor & auctoritas in

(a) De hoc argumento consule Freherum *de successione Principum in Primogenitis*, Goldastum *libris bbl. de Maioratu*, & *discurs. de iure representationis in Primogenitura Imperii Germanici*, Schilterum *diss. de feudis iuris Francici*, Ludolfum *tract. de introductione iuris primogenituraе*, Spizium *diss. de successionibus ex iure primogenituraе*, & Tinaquellum *de iure primogenituraе*.

fratres, iure primogeniturae nitebatur (1). Franci ad feuda omnia solos primogenitos vocarunt, rati hoc modo familias facilius conservari, ac elucere. In Longobardia feuda maiora iisdem delata sunt. Apud nos utrumque ius Francicum & Longobardicum in feudali successione viget. Primogenitus autem dicitur, qui primo natus est (*b*): nec interest, ante, an post feudum quaesitum ortus sit, quia successio tempore mortis spectatur. Appositе Ulpianus (2) ait, a Senatore procreatum eius filium esse, *nec interesse, iam in senatoria dignitate constitutus eum susceperit, an ante dignitatem senatoriam*.

§. III. Sunt quos a feudi successione lex arcet, ut feminae, naturales, adoptivi, clerici, monachi, item muti, surdi, mentecapti, aliique imperfecti; alios vero pactum, ut sunt morganatici, excludit. De feminis ad feudorum successionem admittendis aut reiiciendis sequenti capite fuse disputabitur. Iam a feudo excluduntur naturales tantum (3), multoque magis alii ex illicita copula susceptі. Et quamvis naturales matri non illustri succedant in alodio (4), tamen non modo a paterni, sed etiam materni feudi successione repelluntur (5); non enim in hoc licet a civili ad feudisticum ius, & a rebus alodialі-

(b) Varias de hac re quaestiones versat Zachias *lib. IX. QQ. medico legal. q. 1. tom. II.*

(1) *Genes. cap. IV.* ibique Grotius.

(2) *L. V. D. de senatorib.*

(3) *II. F. 26. §. 4. verf. naturales.*

(4) *L. penult. C. ad SC. Orphit.*

(5) *Argum. cit. verf.* naturales, *& verf.* mulier.

Digitized by Google

libus ad feudales argumentari. In alodialibus naturalis tantum parentum in filios affectio attenditur; at feudales sanguinem purum integrumque efflagitant, ut ita antecessorum exemplo successores possint sine aliorum fastidio, & sine ulla sui ipsorum macula aulam Principis frequentare. Dominus dum feudum elargitus fuit, legitimum sanguinem spectavit, nec liberorum nomine naturales intellexit, sed eos tantum, quos lex, & feudalis dignitas admittit.

§. IV. Quid vero de legitimatis sentiendum? Inquit Feudista (6): *Naturales filii, licet postea fiant legitimi, ad successionem feudi nec soli, nec cum aliis admittuntur*. Haec verba interpretes complures (c) de quavis legitimationis specie intelligunt, quia aliud ab alio non distinguunt, nec possunt ex ullo alio iuris feudalis capite aliter explicari; quumque satis per se clara sint, non est opus confugere ad ius civile, maxime quod diversa sit in alodialibus, ac in feudalibus rebus ratio successionis. At magis est, ut Feudista accipiatur de legitimatis per oblationem curiae, aut generatim per rescriptum Principis, non item de legitimatis nominatim rescripto Principis, ut feudo succe-

 dant,

(6) *II. F.* 26.

(c) Ayrerus *program. de exclusione legitimatorum a successione feudali* contendit, legitimatos omnes a feudis excludendos. Idem de legitimatis per subsequens matrimonium tuetur Io. Godofr. Baverus *diss. de successione legitimatorum in feudis per nuptias exsule in feudis*. Consule etiam Io. Schneiderum *diss. de successione legitimatorum in feudis*.

Digitized by Google

fiant, aut per subsequens matrimonium. Profecto si demum naturales succedere possunt, quos diserte Princeps successionis feudalis capaces declaraverit, adhibito tamen agnatorum consensu, quorum ius quaesitum sine ipsorum consensu auferendum non est. Nec prodest aut facta in genere declaratio, aut natalium restitutio (7). Illa enim commode potest intelligi de rebus allodialibus, in quibus tantus non viget rigor; haec vero de sublata macula & turpitudine nativitatis. Hoc ergo sensu ait Feudista, filios naturales, licet postea fiant legitimi, ad successionem feudi nec solos, neque cum aliis admitti.

§. V. Quis vero subsequentis matrimonii favorem ignorat (8)? Eo quidem legitimati iura filii adquirunt, quippe fictione iuris nuptiae ad tempus conceptionis retrotrahuntur. Nec refert, patrem tempore mortis nuptias cum concubina contraxisse, tum quia illae consensu, non concubitu constant, tum quod pater iure suo utitur, quin ulli iniuriam inferat (9). Quid si vasallus filium e concubina suscepit, tum, hac relicta, legitimam duxit uxorem, ex qua alium genuit filium, mortuaque uxore, concubinam duxit; uter praeferetur, iustus filius, an naturalis demum legitimatus? Quidquid alii sentiant, legitimatum anteferendum aio. Primum enim pari ius utrisque competit, adeo-

(7) *Argum. d. tit. 26. §. 5. v. in generali.*
(8) *L. 10. & seq. C. de natural. liber.*
(9) *L. 24. §. ult. D. de damn. infect.*

Digitized by Google

adeoque frui debent pari successione, quae ex legitimatione promanat. Deinde legitimatus utrumque ius ad succedendum necessarium habet, & legitimi, & primogenitorae, primum quidem a lege, alterum a natura, quod a lege nequit auferri; adeoque praeferendus est. Tandem capacitas succedendi spectatur tempore mortis & successionis, medium autem non nocet (10). Neque regeras ius filio iusto quaesitum. Sive enim spectes ius in re, nullum filius, patre adhuc vivo, in alode vel feudo ius habet, secus patri alienare non liceret, & duo eiusdem rei domini in solidum essent; sive ius in spe attendas, & hoc incertum est, quum exheredatione, aliave causa ab hereditate pelli contingat.

§. VI. Adoptivi insuper in feudum non succedunt (11). Dominus enim, dum feudum elargitus est, spectavit vasalli fidelitatem, quae in satis ex eodem sanguine, non in adscititiis praesumitur, & generosam eius stirpem, unde generosa quoque soboles exsurgit. Nec integrum, vasallo est efficere, ut hi succedant, de quibus dominus non cogitavit, alium invito domino clientem obtrudere, feudi devolutionem impedire, atque agnatis etiam, si feudum sit antiquum, nocere. Verum quandoque adoptivi succedunt, si ita investitura sit cautum, vel aliquis auctoritate Principis adoptaverit ea lege, ut feudo nominatim succedat, cuiusmodi adoptio seniori, non agnatis nocet, quorum consensus

(10) *L. 32. D. de legit. 2.*
(11) *Dict. lib. II. F. t. 26. §. 4. v. adoptivi.*

Digitized by Google

eſt neceſſarius, ne quaeſito iure ſpolientur (12). Clara quidem eſſe debet Principis voluntas, cuiuſmodi non eſſet, quod non ignoraret, vaſſallum, cum feudum acciperet, iam ſibi filium adoptaſſe, aut ſuo reſcripto adrogationem confirmaſſet, aut demum generali formula ſucceſſionis capacem adoptivum filium declaraſſet. Haec enim omnia poſſumus aliter interpretari, nec neceſſario evincunt Principem conſenſiſſe.

§. VII. Clerici in feudis non ſuccedunt (13), nec etiam quaeſitum feudum retinere poſſunt. Ut enim tradit Feudiſta (14), *deſiit eſſe miles ſaeculi, qui factus eſt miles Chriſti, nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium:* quae generalis ratio minores quoque clericos comprehendit. Canones quoque vetant militantes Deo ſaecularibus negotiis ſe implicare. Non tamen feudi incapaces ſunt; nam poteſt dominus clericos inveſtire, ipſiſque aut ſervitium remittere, aut per ſubſtitutum accipere. Quod de clericis, idem de monachis dicendum, qui non modo in feudo non ſuccedunt, ſed iam quaeſitum amittunt, ob eamdem ſcilicet rationem, quod mundanis rebus abrenuntiaſſe intelliguntur, ſeque impares reddiderunt obeundis officiis propriis vaſſallorum, illis potiſſimum, quae ad militiam pertinent. Excipiuntur Equites Hieroſolymitani, qui ſuccedere in feudum poſſunt. Ratio enim, quae clericos & monachos excludit, in

(12) *II. F.* 11. & 39.
(13) *II. F.* 26. *qui clericus II. F.* 21. 30. & 36.
(14) *Cit. t.* 21.

Digitized by Google

in his non obtinet, quippe qui pro ſuſceptae vitae ratione aptiſſimi ad militandum cenſentur, immo pro orthodoxae fidei defenſione, atque incremento militare tenentur. Quid vero dicendum de clericis, & monachis, qui habitum depoſuerunt? Intereſt, num re adhuc integra, hoc eſt iure alteri non quaeſito, a clericali vel religioſo ſtatu diſceſſerint, nec ne. Priori caſu ſuccedunt, quippe feudum a domino, aut ab agnatis quaeſitum non eſt, veluti ſi aſſumſerint & depoſuerint habitum, vivo adhuc patre. Poſteriori autem non ſuccedunt, quum ex poſtfacto, ideſt ad priorem ſtatum redeundo, auferri non debeat ius domino, agnatiſve iam quaeſitum (15).

§. VIII. A ſucceſsione feudi excluduntur etiam qui ob vitium corporis vel animi ſive a natura, ſive ex accidenti contractum nequeunt militaria ſervitia praeſtare, uti ſunt mutus, ſurdus, caecus, claudus, vel aliter imperfectus (16), item furioſi, & mentecapti (17). Anne huiuſmodi imperfecti adquiſitum feudum amittunt, ſi vitium ſupervenerit? Ita ſtricta iuris ratio poſtulare videtur; Feudiſta enim generalem tradit regulam, quae ſimiles perſonas feudi incapaces declarat (18), & generalem affert rationem, *quia nequeunt ſervire*; proinde feudum retinere nequeunt, quum tale vitium ſuperveniens impedimento ſit, quominus debita ſervitia

(15) *I. F.* 21., *II. F.* 26. §. 4. & *II. F.* 30. & 36.
(16) *I. F.* 6. §. *ult.* & *II. F.* 36.
(17) *Argum. d. tit.* 6.
(18) *D. tit.* 6.

Digitized by Google

tia praestentur. Summo tamen iuri aequitas anteponenda est, quae suadet feudi retentionem; eaque facilior est, quam adquisitio, spectatis praesertim hodiernis moribus, quibus feuda plerumque empta, non gratis quaesita sunt, ac servitium praesturi per substitutum potest.

§. IX. Nonnumquam a feudali successione removentur filii legitimi & naturales, vi conventionis, seu potius specialis legis, quae eamdem confirmavit, videlicet filii nati ex matrimonio morganatico, quod hoc pacto contrahebatur, ut filii ex eo progeniti patri non succederent, sed munere sponsalitio, aliave re contenti esse deberent. De eo sic Feudista (19): *Quidam habens filium ex nobili coniuge, post mortem eius non valens continere, aliam minus nobilem duxit . . ea lege, ut nec ipse, nec filii eius amplius haberent de bonis patris, quam dederit tempore sponsaliorum . . . Hic filiis ex ea susceptis decessit. Isti in proprietatem non succedunt, sed nec etiam in feudo, etiam aliis non existentibus: qui licet legitimi sint, in beneficio minime succedunt.* Videri potest hoc pactum & naturali rationi, quae filios ad parentum successionem vocat, & feudi naturae contrarium, quod vasallo concessum est, ut, eo mortuo, illud habeant filii, in quorum idcirco detrimentum nihil pater pacisci potest. At in proclivi responsio est. Consuetudo, quae vim legis habet, tale pactum & probavit, & iuste probare potuit. Iuris civilis est definire, qui debeant, aut possint in feu-

(19) *Il. F. 29.*

Digitized by Google

feudum succedere, ex iis nempe, quos naturalis ratio ad successionem vocat, quosque naturale ius non demostrat. Sed iam plura desino; quum de matrimonio ad morganaticam, quod in Germania potissimum viget, & morganaticorum liberorum successione, Germani iurisconsulti Henricus Linck (20), Gabriel Schwederus (21), Marcellus Riccius (22), ac plerique omnes, fuse & ornate differuerint.

CAP. IX.

De feminarum successione.

§. I. Consuetudines feudales in conservandis familiarum, agnationum, & gentilitatum iuribus non Romanas modo leges imitatae sunt, sed longe superarunt. Mortuo enim sine masculis vassallo, ad feudum non feminas, sed agnatos vocarunt, atque his deficientibus ad dominum reverti voluerunt (1). Ideo feudales heredes non solum descendentes, sed etiam masculos esse oportere diximus. Sane in feudis spectatur voluntas concedentis, & causa, ob quam dantur, ideoque iniuria feminae se paterno feudo excludi queruntur. Liberalitatis suae pignus conservare voluit dominus inter eos, qui ex primi adquisentis familia forent masculi, non per eas di-

scur-

(20) *De matrimonio lege Salica contracto.*

(21) *Diss. de matrimonio ad morganaticam.*

(22) *Diss. de matrimonio ad morganaticam donationem contracto.*

(1) *I. F.* 1. §. 3., *I. F.* 8. §. *filia*, *I. F.* 13. §. *etsi clientulus*, *I. F.* 24., *II. F.* 2. §. *uls.*, & *II. F.* 30.

Digitized by Google

ſcurrere, quas mulieres nubendo propagaviſſent. Deinde feminas obeundis muneribus vaſſallorum impares ſexus imbecillitas facit. Debent vaſſalli conſiliis, factiſque Principem adiuvare, vitamque, ſi neceſſe ſit, pro eo in diſcrimen obiicere, aſſidue in eius aula verſari, controverſias feudales diiudicare, atque alia praeſtare; at iis praeſidiis feminae ſunt deſtitutae, quae ad haec accurate exſequenda neceſſaria ſunt. Non habent rei bellicae ſcientiam, non animi fortitudinem, ac robur in periculis ineundis & ſuperandis, non in negotiis ſecrete tractandis, prudenterque expediendis uſum, quae promptae adeo ſunt ad arcana pandenda, mutandumque conſilium. Tandem eas dedecet in virilibus officiis occupari, in aula, caſtriſque verſari, ſed ſecretior domi receſſus ad pudorem ſervandum, ac familiam & rem familiarem curandam multo accommodatior eſt (*a*).

§. II. Adeo a feudali ſucceſsione ſubmoventur feminae, ut nec ſuccedant, etiamſi inveſtitura ſit *pro ſe*, *& heredibus*; vox enim *heres* in iure feudali marem, non feminam deſignat (2). Sane Principes bellis laceſsiti, dum feuda concedebant, de maſculis ad bella idoneis, non de fe-

(a) Hae rationes diſplicent Garzonio *tract. de feminis ad feuda recipiendis vel non*, quia eiuſmodi vitiis non ſemper femina laborat, eaque in maſculis etiam inveniri poſſunt, veramque ipſe rationem promit, quod ſic feudorum dominis placuit. At cur ita placuit, niſi ob eas, quas recenſuimus, rationes? Et licet nonnullae ex iis deficerent, ceterae tamen remanent.

(2) *I. F. 13. §. etſi clientulus*, & *II. F. 26. §. ult.*

Digitized by Google

feminis cogitabant. Idem ius eſt, ſi inveſtiturae clauſula ſit, *ut mares & feminae ſuccederent*; namque maſculi praeferuntur. Nec intereſt, francum ſit feudum, an emtitium. Quamvis enim feudum francum ſit a militari ſervitio immune, tamen ratio, quae feminas excludit, non eſt ſolum ſervitium, ſed conſulere ſeniori, ſecreta reticere, & alia, quae a feminei ſexus imbecillitate aliena ſunt: nec, una ceſſante ratione diſpoſitio iuris corruit (3). Pari modo excluditur a feudo emtitio (4), quippe quod licet pecunia comparatum ſit, naturam veri feudi non amittit, quae feminas repellit, niſi ſecus in inveſtitura ſit pactum (5). Praeterea alia eſt qualitas pecuniae numeratae, alia feudi ea comparati. Non ſolum feminae, verum etiam maſculi ab ea deſcendentes feudo excluduntur (6). Quum enim ſubrogatum ſapiat neceſſe ſit naturam eius, in cuius locum ſubrogatur, qui poteſt filius in locum matris ſubrogatus, eiuſque iura repraeſentans feudo ſuccedere, a quo mater ipſa excluſa eſt? Nullum matri ius fuit in feudo, nullum proinde ad filios potuit tranſmittere (7), ne ſucceſſor meliori conditione utatur, quam defunctus ipſe habuit (8). Adhaec dominus dum feudum dedit ſanguinem

&

(3) *L.* 83. *D. de heredib. inſtit.*
(4) *II. F.* 36.
(5) Vid. Ludov. Vitalem *var. lib. II. cap.* 30. *n.* 4.
(6) *I. F.* 1. §. 3. *II. F.* 11.
(7) *L.* 54. *D. de R. I.*
(8) *L.* 143. *D. eod.*

Digitized by Google

& genus vaſſalli elegit, quod a patre, non matre deſcendit: nec in iure novum eſt, beneficium generi poſteriſque datum, ad eos tantum coërceri, qui ex maſculis procreati ſunt (9).

§. III. Duae exceptiones iure feudali traduntur de feminarum ſucceſsione. Prima, ſi feudum femineum ſit, ideſt a femina primum adquiſitum; namque ſi a maſculo primum adquiſitum poſtea ad feminam pacto tranſiit, improprie *femineum* adpellatur. In utraque feudi ſpecie femina ſuccedit, ſed maribus non extantibus, niſi inveſtiturae cautum ſit, ut filii & filiae aeque ſuccederent; quum pacta contractibus legem dicant. Iam vetus eſt de feudo femineo controverſia, an maſculis deficientibus feminae ſuccederent, etiamſi pactum de ipſis admittendis inveſtiturae adiectum non ſit. Quidam adfirmabant, feminam in feudo femineo non ſuccedere, niſi ſpeciali pacto exprimatur. Sed ſcite Obertus & Gerardus (10) illam deficientibus maſculis admiſerunt, quamvis nihil de ea re conveniſſet; quorum vero ſententia obtinuerit, non ſatis liquet. Nobis probatur Oberti & Gerardi ſententia, tum quia celebriores erant iuriſconſulti, tum quia magno eſt veritatis argumento eorum conſenſio; quos alibi (11) de feminarum ſucceſſione diſſentiſſe ſcimus; tum demum quia validioribus ipſi, quam

(9) *L.* 13. *D. de munerib. & honorib.* *L.* 1. *D. de iur. immun.* Conf. de Marinis *tit. XI. de feud. femin. n.* 8. & Piſtorium *lib. II. QQ. cap.* 34. *n.* 3.
(10) *II. F.* 30.
(11) *II. F.* 51. §. 3.

Digitized by Google

quam adversarii rationibus nitebantur: quando enim femineum est feudum, facilius migrare potest ad feminas, quam quando a masculo primum adquiritur, quia vel primam sui originem habuit, quae iuris ordinarii regulis non congruebat. Praeterea dominus, qui in concessione feudi femineam qualitatem adprobavit, in successione postea reprobare nequit, quia feminis ius ex prima investitura quaesitum auferendum non est, nisi iusta de caussa. Quid quod Feudista (12) diserte filiam succedere vetat, excipitque, *nisi ex pacto, vel nisi sit femineum*; quae distinctio vitiosa esset, si pacto opus esset, ut femina in feudo femineo succederet?

§. IV. Altera exceptio est, si in investitura conventum sit, ut feminae possint succedere (13); sive pactum sit expressum, sive tacitum, modo sit eiusmodi, ut nulla de voluntate contrahentium moveri quaestio possit. Quod intelligendum est, masculis deficientibus; repellitur enim femina a successione, donec masculus supersit a primo adquirente descendens (14). Iam principii loco statuendum est, quum de feminis ad feudi successionem admittendis disputetur, imitandos nobis esse feudistici iuris auctores, qui nisi res admodum clara esset, contra illas respondere consueverunt (15), utpote quibus refraganturgeneralia iuris praecepta. Quare si feudum da-

(12) *II. F.* 50.
(13) *II. F.* 11. & 50.
(14) *II. F.* 17.
(15) *Argum. lib. II. t.* 17.

Digitized by Google

datum ſit ea lege, ut certa femina ſuccedere poſſit, ipſa dumtaxat, non item eius deſcendentes admittentur. Idem adfirmandum, ſi filiarum mentio in inveſtitura ſit facta; cum enim ea res ordinario iuri adverſetur, recte dicemus earum appellatione neque neptes contineri, neque deſcendentes alios, ſive feminae ſint, ſive maſculi: cui & ea ratio accedit, quod filiabus nonniſi ſexus officiat; earum autem deſcendentibus & illud obſit, quod in alia familia inveniantur. Idem quoque ſentiendum eſt, ſi feudum ſit datum *pro filiis & filiabus*. Quamvis enim ob orationis nexum eadem videatur capienda interpretatio filiorum, atque filiarum; tamen cum filiorum nomine nepotes etiam, pronepotes, & deinceps intelligere conſentaneum ſit naturae feudorum, ab ea vero abhorrere tam lata filiarum appellatio videatur, parum movere nos debet accuratior quaedam loquendi ratio, quae, ut ſimili ſenſu filii & filiae accipiantur, poſtulare videntur. Quod ſi feudum conceſſum ſit *pro maſculis & feminis*, vel *ut maſculi & feminae* ſuccedant, ea videtur capienda interpretatio, qua ſimul maſculi & feminae admittantur, quum perſpicua ſint pacti verba, & tamen alia recepta eſt, ut non niſi maſculis deficientibus locus feminis fiat (16); qua nempe, quo minus fieri poterat, a praeſcripta iuris communis diſcedere voluerunt. Itaque ut ſimul ſine diſcrimine ſexus ſuc-

(16) *II. F.* 11. & 17. Conf. Strykium *diſſ. de ſucceſſione in feud. maſcul. & femin. conceſſa.*

Digitized by Google

ſuccedere valeant, clariora verba deſiderantur, vel ut feminae una cum maſculis, vel ut feminae ſicut & maſculi admittantur, aut alia his ſimilia (17).

§. V. Femina itaque a maſculo excluditur, & non niſi eo deficiente ſuccedit. Excludi ſignificat, ſi, quum feudi ſucceſſio defertur, maſculus & femina concurrant. Anne femina ſemel quaeſito feudo, ob enatum poſtea maſculum, privanda eſt? Profecto ſi ea ob defectum maſculorum admiſſa eſt ad ſucceſſionem, feudum non amittet, quia deinde maſculus extiterit, ſed ad vitam uſque retinebit. Feudiſta enim (quod profecto aequiſſimum eſt) de tempore delatae ſucceſſionis accipiendus eſt, quo ſcilicet quaeritur, quis eius capax habendus ſit, non de tempore, quo feudum ſucceſſionis iure iam ad aliquem perveniſſet (18). Id etiam in hereditatibus obſervatur, ut maxime illud tempus ſpectetur, quo deferuntur, & adquiruntur (19): ac ſi ſemel fuerint adquiſitae, auferendae non ſunt, quod alius deinde exiſtat, qui, ſi antea extitiſſet, praeferri aliis debuiſſet (20). Itaque expectandum eſt, ut ſucceſſio feudi a femina quaeſiti rurſus deferatur, tuncque ſi maſculus & femina exiſtant, ille erit potior, quamvis forte

(17) *Argum. lib. II. t.* 104. *edit. Cuiac.*

(18) *Argum. lib. I. t.* 17. *& t.* 51. §. 3.

(19) *L.* 49. §. 1. *D. de hered. inſtit., l.* 2. §. 6. *D. de ſuis & legit. heredib., & §.* 6. *inſt. de legit. agnator. ſucceſſ.*

(20) *Argum. l. ult. D. de pact., & §.* 8. *inſt. de heredit. quae ab inteſt. deferunt.*

Digitized by Google

in alia linea inveniatur (21). Etenim quod dicitur, feudum in unam lineam ingreſſum non niſi ea prorſus extincta ad alias lineas tranſire, verum eſt, quando cetera ſunt paria, ideſt, omnes aeque capaces ſunt ſuccedendi, & tantum ratio propinquitatis habetur. At vero in hoc caſu ratio ſexus praevalet, ideoque feudum in lineam femineam ingreſſum, in qua nulli maſculi inveniantur, ſed tantum feminae, tranſibit ad aliam, in qua ſit maſculus. Id etiam confirmare videtur Feudiſta (22) hac propoſita ſpecie: Titius feudo pro ſe, ac heredibus ſuis maſculis, vel, his deficientibus, feminis inveſtitus, una tantum ſuperſtite filia deceſſit, quae in dotem marito feudum dedit, relictiſque duobus filiis obiit, quorum alter duas filias reliquit, alter filium. Oborta inter feminas & maſculum controverſia de feudi ſucceſſione, pro maſculo pronunciatum refert: *Non enim*, inquit, *patet locus feminae in feudi ſucceſſione, donec maſculus ſupereſt ex eo, qui primus de hoc feudo fuerit inveſtitus*. Si ex inveſtitura contrarium appareat, de linea, in qua ſola femina exiſtat, in aliam, in qua maſculus inveniatur, feudum non transibit, ut eſt in ſpecie, quam idem Feudiſta (23) proponit.

§. VI. Quaerunt feudiſtae, an femina ſemel per maſculum ab adquirendo feudo repulſa ſemper excluſa intelligatur. Ea quidem, exiſtente maſculo, num-

(21) *II. F.* 51. §. 3.
(22) *II. F.* 17.
(23) *II. F.* 18.

Digitized by Google

numquam ſuccedit; at, illo deficiente, ad ſucceſſionem admittenda eſt. Quum enim tempus delatae hereditatis ſpectandum ſit, ſequitur, ut ſi iterum deferatur, nulluſque ſit maſculus, eadem femina, quae olim fuit excluſa, nunc admittatur. Profecto nihil commune habet primum illud tempus cum altero; nam de ea re diſputatur, quae toties defertur, quoties vaſſallus deceſſit, quaeque certam legem & naturam initio accepit, eo uſque duraturam, donec ad ſuam cauſſam, ideſt ad dominium, revertatur. Quum plures ordine ſequi debeant adquiſitiones, & quidem inter ſe & temporis, & perſonarum ratione diſtinctae, ſingulae conſiderandae ſunt (24): quod liquet iis Feudiſtae (25) verbis: *Donec maſculus ſuperſit*, item *maſculis exiſtentibus excludi feminas*, *maſculis deficientibus eas admitti*. Conditio, quae his formulis ineſt, ſaepe exiſtere, ſaepe deficere poteſt, ideoque prout exiſtat, vel deficiat, admittendae, vel ſubmovendae ſunt. Quare ius ab ipſis amiſſum ideo poteſt revivi-ſcere, quia eius excitandi cauſſa naſcitur, ſupradicta nempe conditio. Quamquam non amiſſum, vel extinctum hoc caſu dici debet, ſed potius ſopitum eſſe, aut ceſſaviſſe, uti propoſitis exemplis ratiocinatur Paullus (26). Immo ſi proprie loqui velimus, ne delatum quidem dici poteſt, quia maſculus impedimento fuit, quominus feminae deferretur, alioqui quod de

(24) *Argum. l. 23. §. 1. D. de adquir. rer. domin.*
(25) *I. F. 8. §. 2. II. F. 17. & 30.*
(26) *L. 98. §. 8. D. de ſolut. & liberat.*

Digitized by Google

ea quidam defendunt, idem de agnatis dicere deberent, quos simili modo excludendos, existentibus nimirum filiis, vel adgnatis coniunctioribus, aut admittendos illis deficientibus, iure feudali traditum est (27). Nec obstat Feudista (28), qui scribit: *Quin etiamsi quis eo tenore feudum acceperit, ut eius descendentes masculi & feminae illud habere possint, relicto masculo,* ULTERIUS *feminae non admittuntur.* Omnis argumenti vis in τω *ulterius* est posita. At ibi non alia sententia traditur, quam supra proposita, aliisque iuris locis confirmata, feminas scilicet non admitti, nisi deficientibus masculis (29), non autem ea quaestio tractatur, an semel a masculo excluſae, semper excluſae intelligantur. Nec ulli negotium faceſſat verbum *ulterius*. Ut enim omittam, feudalium consuetudinum auctorem non ita castigate ac proprie locutum fuisse, illum eumdem tractum temporis denotat, quem verba praecedentia *relicto*, seu *superstite masculo*, quae significant, quotiescumque vassallus decesserit superstite herede masculo, toties excludi feminas; & contra quotiescumque defuerint masculi, toties feminas admitti. Hactenus dicta de feminarum succeſſione in feuda spectant ius commune. Quae vero speciatim iure Regni nostri de feminis in defectum masculorum admittendis, deque succedendi ordine inter eas, sunt cauta, iam supra cap. VI. & VIII. praeoccupavimus. Actum hic agere nec vacat, nec lubet.

CAP.

(27) *I. F.* 1. §. 4., *I. F.* 8., *II. F.* 11. & 50.
(28) *I. F.* 6. §. 1.
(29) *I. F.* 8. v. *filia*, & *tit.* 17.

Digitized by Google

CAP. X.

De feudi alienatione.

§. I. ALter conſtituti feudi adquirendi modus eſt alienatio. Olim licuit vaſsallo totum, vel partem feudi, inconſulto domino, alienare. Primus Imp. Lotharius Saxo an. MCXXXVII. (1) in futurum interdixit feudi alienationem ſine domini conſenſu. Inde Fridericus I. qui anno MCLIV. imperator fuit renuntiatus, non modo alienationes vetuit in futurum, ſed etiam eas, quae antea factae fuiſſent, irritas declaravit (2). Id aequiſſimum ius eſt; iniuriam namque domino vaſſallus infert, feudum ſine illius venia alienando, quum eiuſdem beneficium aſpernari, inque ſui locum alium vaſſallum forte etiam incognitum, minuſve dignum, aut acceptum ſubſtituere intelligatur, idque non ſine domini, quin & imperii detrimento (a).

§. II. Alienationis nomine venit omnis actus, quo utile feudi dominium transfertur, ut venditio, donatio, permutatio, emphyteuſis, libellus, datio in ſolutum; item viam munire ad eam poſſit, ut eſt pignus, aut deteriorem efficere cauſſam proprietatis, ut ſervitus, vel quodcumque gravamen. Prohibetur itaque *conſultum*, ideſt

(1) *II. F.* 52.
(2) *II. F.* 55.
(a) Plura de hac re tradit Chriſtian. Thomaſius *diſſ. de cauſſis prohibitae alienationis feudi*, qua multos Feudiſtarum naevos demonſtrat.

Digitized by Google

pignus (*b*), & hypotheca (*c*), quia ius in re conſtituitur, & debitore non ſolvente, poteſt creditor pignus diſtrahere (3); quae ratio locum habet in omni pignore ſpeciali & generali, tacito & expreſſo, iudiciali & conventionali, traditione perfecto, ac ſola conventione conſtituto (4). Recte ſervitutem feudo vaſſallus imponit; at ea res domino non nocet, quum ad eum feudum revertitur: eamdem autem adquirere poteſt (5). Dos etiam inter prohibitae alienationis ſpecies refertur, ſi pater, vel extraneus feudum in dotem mulieri dare velit (*6*); hoc enim modo praeter omnem utilitatem dominium in accipientem

(b) Pignus a Feudiſta *II. F.* 8. §. 11. *conſultum* vocatur, quia eo magis ſibi conſulit creditor, quam nuda chirographi traditione: *Nec pignus*, inquit, *quod CONSULTUM dicitur, fieri poteſt ex feudo*. Nae labuntur qui pro *conſultum* legunt *conſtitutum*, inter quos Struvius *Syntagm. iur. feud. cap. XIII.* §. 7.

(c) Sunt qui hypothecam in feudo conſtitui poſſe contendunt, quin contra legem alienatio facta intelligatur. Ita Baldus in *II. F.* 57. aliique permulti. Sed quum ius in re ſola conventione conſtituatur, quumque hypotheca ſolo nomine differat a pignore, profecto ut ius feudale pignus prohibuit, ita etiam hypothecam prohibuiſſe videtur. Conf. Vulteium *lib. I. de feud. cap.* 10. *n.* 54., & Duker. *de latinit. Iſtor. ad cap. LVII.*

(3) *Tot. tit. D. de diſtrah. pignor.*

(4) *II. F.* 8. Conf. Io. Michaël. Rotermundi *diſſ. de feudi oppignoratione non niſi ex conſenſu domini directi valida*, & Iuſt. Henning. Boehmerum *diſſ. de hypotheca feudali expreſſa*.

(5) *II. F.* 8. §. 1. *& tit* 28. *v. ſi vaſſallus*. Vid. Georg. Gottlieb. Siegel *diſſ. de vera ſervitute a vaſſallo feudo impoſita*.

(6) *II. F.* 9. §. 1.

Digitized by Google

tem transfertur (7), quod quidem facile ad extraneos successores aliquando venturum est, & fortasse numquam ad dotantem reversurum. Non item, si ipsa mulier feudum sibi in dotem constituat (8); tum quia dominium adhuc retinet (9), tum quia facilius nubere potest, si feudum marito tradat, atque nupta adhuc feudo frui videtur, quum eam maritus alere teneatur: quam utramque utilitatem spectare dominus censetur, quum feudum feminis elargitur, maxime quod post parentum obitum communes liberi illud sint habituri, illi videlicet qui ad feudi successionem vocantur. Num vero, & quatenus alienationis nomine subinfeudatio, & refutatio contineantur, infra suis locis explicabitur.

§. III. Certae poenae sancitae sunt tam in vassallum, qui feudum, inconsulto domino, alienaverit, quam in emtorem, ipsumque tabellionem eiusmodi instrumentum conficientem. Si vassallus feudum contra legem alienet vel in totum, vel pro parte, illud in commissum cadit, & ipso iure domino aperitur (10), qui proinde illud vindicare poterit, vel condicere condictione ex lege adversus quemcumque possessorem (11). Pretium etiam, quod accepit, amittet; nam recte cum eo agit bonae fidei emtor ad id re-

(7) *L.* 7. §. 3. *D. de iur. dot.*
(8) *II. F.* 13. & 17. Conf. Paul. Christian. Schroeterum *de feudo ab uxore marito in dotem dato.*
(9) *L.* 75. *D. de iur. dot.*, & *l.* 30. *C. eod.*
(10) *II. F.* 38.
(11) *II. F.* 55.

Digitized by Google

petendum (12). Dico *bonae fidei*; pretii enim repetitio deneganda eſt ei, qui mala fide comparaverit [13]. Hinc habes poenam, cui emtor contra legem ſubiicitur; quam non declinabit, quia nominatim ſibi de evictione conſuluit, quum ita contrahendo particeps evaſerit eiuſdem delicti, & nullius prorſus momenti contractum geſſerit. Pretium vero non venditori, ſed fiſco cedet; alioquin ille nullo modo puniretur, & contractus lege reiectus effectum produceret delinquenti proficuum. Tabellio etiam, qui ſciens inſtrumentum alienationis confecit, officii amiſſione, infamia, & manus amputatione punitur (14).

§. IV. Iam dominus feudum contra legem alienatum repetit adverſus quemcumque poſſeſſorem, quin huic iuſtus titulus & bona fides prodeſſe queat. Num praeſcriptio poſſeſſori aliquando proficiat contra ſeniorem male alienatum feudum repetentem, diſputatur. Io. Andreas (15) aliique arbitrantur, praeſcriptionem etiam triginta vel quadraginta annorum domino non obſtare. Contra Struvius (16) putat, eum qui a vaſſallo ſine conſenſu domini feudum bona fide coëmit, triginta annis adverſus dominum praeſcribere; poſſeſſorem vero malae fidei praeſcriptione immemorabili ſe tueri. Roſen-

(12) *II. F.* 52. & 55.
(13) *Argum. l.* 27. *C. de evict.*, *l.* 7. *C. commun. utri*
(14) *Cit. t.* 52. & 55.
(15) *In II. F.* 40. §. *praeterea.*
(16) *In Syntagm. iur. feud. cap.* 13. §. 10.

Digitized by Google

senthalius (17) tradit, utile feudi dominium annis triginta adversus dominum praescribi. Equidem sentio, nullam domino praescriptionem obstare. Id enim in libris feudorum (18) generatim statuitur. Praeterea ibidem (19) ratio traditur publicae utilitatis, atque illa iuris regula commemoratur, quod initio non valet, non debere tractu temporis convalescere. Illud non negaverim, alienati feudi possessorem tunc uti posse praescriptione triginta annorum adversus dominum, quum non modo illud possederit, sed etiam eius nomine praestiterit domino, alienationem non ignoranti, servitia: quo casu ratihabitione videtur confirmata alienatio, atque eadem fere ratio obtinere, ac in eo, qui rem alodialem tamquam feudalem per triginta annos possedit, suoque nomine servitia domino praestitit (20).

§. V. Ad feudum itaque rite alienandum domini consensu est opus (21): nec refert ante, an post consensus intervenerit, quum in arbitrio domini sit, quando ei libuerit, renuntiare iuri suo; item expressus sit, an tacitus, modo talia argumenta concurrant, ex quibus eum consensisse pateat. Tale autem non est, quod sciverit feudum alienari, nec contradixerit (22); nam

(17) *De feudis cap. 9.*
(18) *II. F.* 40. & 55.
(19) *Cit. t.* 55.
(20) *II. F.* 26.
(21) *Cit. t.* 52. & 55.
(22) *Argum. l.* 8. §. 15. *quib. mod. pign. vel hypoth. solv.*

Digitized by Google

nam ideo tacuisse censendus est, quia se adversus quemlibet posse iure suo experiri sciebat (23). Neque confirmata alienatio putanda est, quamvis silentium eius usque ad mortem perduraret; ius enim ipsi statim adquisitum est, ideoque in heredes transmittitur, praesertim quod de re agitur, quae revertitur ad pristinam causlam (24): quo fit, ut licet dominus vivo alienante feudum non petierit, eo tamen mortuo, possit. Anne sufficit futuram alienationem domino denunciare, eiusque consensum exquirere, aut conditionem inserere alienationi, *si dominus consenserit?* Primum negandum est, quia leges consensum desiderant, proinde expectandus est. Alterum vero hoc sensu adfirmandum, quatenus cum vassallus tam aperte profiteatur nolle dominum suum offendere, eiusque adhibere consensum velle, dignus venia videtur. Quod si plures sint domini, omnes debent consentire, quique non consenserunt, poterunt iure suo uti (25). Nec domini modo, sed etiam consensus agnatorum est necessarius, ut a revocando feudo removeantur (26), eodem scilicet modo, quo diximus de domino: non solum autem ipsi, qui consenserunt, verum etiam filii revocare feudum prohibebuntur.

§. VI. Perfecta itaque intelligitur alienatio, si dominus, & agnati omnes consentiunt. Si do-

(23) *Argum. d. l.* 8. §. 15.
(24) *Argum. l.* 27. §. 2. *D. de pact.*
(25) *II. F.* 38. §. *& ideo.*
(26) *II. F.* 26. §. 5. *& II. F.* 39.

Digitized by Google

dominus consentiat, agnati non item, quantum ad dominum pertinet, alienatio valebit, sed quantum ad agnatos, feudum obnoxium est revocationi. Si contra non dominus, sed soli agnati consentiant, adfirmo, nisi adpareat eos fraudis fuisse participes, iure suo non excidisse, quia ipsi fecerunt, quod ad se pertinebat, & praesumuntur sub ea conditione consensisse, si dominus quoque consenserit. Haec autem praesumtio nec in alienante, nec in eo, cui facta sit alienatio, admitti potest: nam ille debebat domini consensum explorare; hic vero, si sciebat rem esse feudalem, ab ea comparanda se abstinere, donec dominus consensisset.

§. VII. Consensus domini in alienando feudo est stricti iuris, quippe commune ius evertitur. Hinc a casu expresso ad non expressum haud extenditur. Nempe (I). Non porrigitur *de persona ad personam*, ut si dominus adsensus sit, feudum Titio alienari, vassallus Mevio alienare nequit, ne senior alium quem velit vassallum habere cogatur. (II) Nec *de contractu ad contractum*, veluti si datus sit adsensus vendendi feudum, nequit donari, oppignerari, permutari, aliove modo alienari, quamvis contractus sit eiusmodi, ut minus domini conditio laedatur. Ita concessa potestate vendendi feudum, non intelligitur datum etiam ius pignori, vel hypothecae subiiciendi, licet pignus & hypotheca minor sit, quam venditio. (III) Nec *de tempore ad tempus*; nempe si dominus alienandi veniam ad certum tempus concessit, eo elapso, expirat, quum temporis definitio hîc necessariae con-

di-

Digitized by Google

ditionis vice sit. Sic etiam adsensus super contractu faciendo datus ad factum non extenditur, etsi ratihabitione retrotrahi possit. (IV) Nec tandem *de re ad rem* protenditur. Ita si vassallus, consentiente domino, unum vendidit feudum, alterum eiusdem conditionis vendere nequit.

§. VIII. Nunc patrium ius de alienatione feudi persequor. Rogerius I. Rex noster (27) interdixit feudatariis tam laicis, quam ecclesiasticis, immo etiam *principibus suis* (qui tunc erant Rogerius dux Apuliae, Anfusus princeps Capuae, & Tancredus princeps Tarenti) feuda, & iura regalia alienare, vel minuere. Vetuerat quidem Imp. Lotharius Saxo omnem feudi alienationem (28); at eius constitutionem in Regno Siciliae vim legis habere non sivit Rogerius Lothario infensissimus. Deinde Fridericus II. (29) feudum alienari prohibuit, exceptis excadentiis, sine Regis adsensu, facta cuique copia resiliendi a contractu. Idem ius sub Andegavensibus & Aragonensibus viguit, ad nostra usque tempora.

§. IX. Adsensum in alienatione feudorum Reges nostri a Rogerio I. usque ad Ferdinandum Catholicum impertiti sunt. Ab hoc autem ad Carolum Borbonium Regno nostro in provinciae formam redacto ob Regum absentiam praefuere Proreges, qui adsensum in feudis alienandis

(27) *Const.* scire volumus *de iurib. ret. regal.*
(28) *II. F.* 52.
(29) *Const.* divae memoriae *de revocat. feudor.*

Digitized by Google

dis vice regia conceſſerunt. Primus Carolus V. (30) eorum poteſtatem coërcuit, quippe quoſdam excepit caſus, in quibus feuda, inconſulto Rege, alienari vetuit. Nempe (I) Si alienatione bona feudalia ad eccleſiam vel monaſterium devenirent; tum enim Regis ipſius venia eſt opus, ne feudo in manus mortuas translato, ius devolutionis impediatur. (II) Si vaſſallus legitimo ſucceſſore careat, eo videlicet quem leges Regni ad ſucceſſionem vocant: quo caſu quum alienatio praeiudicium inferat Regi, expreſſa eius voluntas requiritur. Id autem intelligendum, ſi vaſſallus ſucceſſorem omnino non habeat, nec habere poſſit, veluti ob decrepitam aetatem, vel naturale ad liberos gignendos impedimentum; nam ſi quodammodo filios habere queat, etſi actu non habeat, pragmaticae locus non erit (31). Anne vim habet pragmatica, quum legitimus ſucceſſor alium poſt ſe ſucceſſorem habere nequeat, veluti ſi is ea infirmitate, aut impedimento detineatur, ut liberis procreandis impar ſit? De Ponte (32) hoc etiam caſu pragmaticam obtinere putat, quia idem eſt non habere ſucceſſorem, atque habere ſucceſſorem ſoboli gignendae haud idoneum, ſicque in R. Camera iudicatum refert. Contrarium docet Rovitus (33), propterea quod quum pragmatica prohibitionem includat adſenſus concedendi, ad alios ca-

(30) *Pragm.* 4. *de feudis.*
(31) Rovit. *in d. pragm.* 4.
(32) *De poteſt. Prореg.*
(33) *Cit. loc.*

Digitized by Google

casus non expressos producenda non est; in ea autem nihil cavetur de successore successoris, sed de primo tantum sermo habetur. Mitto alios in laudata pragmatica expressos casus; quum hodie omnis alienatio feudi a nutu ipsius Regis pendeat.

§. X. Regius pro alienando feudi adsensus olim in Collaterali Consilio, nunc in Regali Camera S. Clarae expeditur. Antiquitus quidem adsensus alienandi concedebatur verbo *fiat*. Primus Ferdinandus Catholicus (34) omnem ei fidem denegavit, nisi in *formam* R. Cancellariae redigeretur, hoc est, in eius Regestis describeretur, & privilegium sigillo Regis muniretur; idque cautum, ut fiscus feudatarios cognosceret, feudalia ab iis onera exigeret, & devolutionis casum non ignoraret. Inde Philippus II. (35) expeditum adsensum intra biennium in formam Cancellariae redigi, atque registrari iussit. Si biennium elabatur, & signa deficiant, adsensus corruit, uti cavit Carolus V. (36). Nunc impetratus alienandi adsensus in quinterniombus R. Camerae describendus est. Debent autem contrahentes intra tres ab adsensu impetrato menses alienationem perficere per scripturas publicas, quibus exactis contractus nullius est roboris, novoque proinde adsensu est opus, ceu statuit Prorex de Toleto (37). Huius iuris ea reddi ratio

(34) *Pragm. I. de fide memorialium.*
(35) *Pragm. III. eod.*
(36) *Pragm. II. eod.*
(37) *Pragm. X. de feudis.*

Digitized by Google

tio poteſt, quod ſaepe ex longo tempore perſonarum qualitates, & *circumſtantiae* mutari ſolent, idque Rex ignorare non debet, ne quid fiat in praeiudicium ſupremi dominii.

§. XI. Poſtremo loco opportune de regio aſſenſu in dotario, & dote agendum. Dotarium, ſeu dotalitium iure feudali eſt *tertiaria*, ideſt tertia pars bonorum baronis, poſt eius mortem uxori debita. Uxorem dotarii uſumfructum, non dominium conſequi cavit Guilielmus I. (38). Poſtea Carolus II. (39) ſtatuit, dotarium uxori etiam indotatae deberi, eamque, viro relictis filiis mortuo, dotarii uſumfructum adquirere, ac ſi ſecundis nuptiis abſtinuerit, una cum filiis etiam proprietatem virilis partis. Hodie antefatum regitur ad normam *pragmaticae* 1. *de donat. propt. nupt.* ſive de feudo, ſive alodio agatur (*a*). Iam vero licet baroni ſine regis aſſenſu dotarium uxori conſtituere. Rogerius I. (40) cavit, ut ſi baro tria feuda habeat, in uno ex iis dotarium uxori conſtituere poſſit; ſi duo, vel unum, dotarium in pecunia conſtituat; ſi plura tribus habeat, in uno etiam adſignet, modo non conſtituat in illo caſtro, unde baronia, vel comitatus nomen aſſumſit. Inde Fridericus II. (41) decrevit, ut ſi baro duo feuda poſſideat, in uno ex iis dotarium ſine licentia Regis

(38) *Conſt.* mulier *de dotariis conſtituendis*.
(39) In capitulo *mulier dotarium*.
(40) *Conſt.* ſi quis baro *de dotario conſtituendo in feudis & caſtris*. (41) *Conſt.* licentiam *de dotibus*.
(a) Confer de hac re noſtra Elementa *iur. privat. Neap. part. II. cap. 7.*

Digitized by Google

gis conſtituat; ſi unum & dimidium, in dimidio; ſi unum dumtaxat, in pecunia adſignet: Rogerii & Friderici leges ſecutus Carolus II. (42) ſtatuit, ut *dotarium in terra feudali conſtituant feudatarii uxoribus abſque licentia noſtra, vel Curiae noſtrae. Sed viro praemortuo mulier dotarium habens non det in dotem, vel uſumfructum dotarii ſine aſſenſu noſtro, vel Curiae noſtrae, dum nubat ſecundo.* Cur Carolus dotarium ſuper feudo conſtitui permiſit, at idem in dotem dari vetuit? Quia Regi ſic placuit, & magis dotario, quam doti favere voluit.

§. XII. Quod pertinet ad dotem, iure Longobardiae (43) feudale praedium, aut ius in dotem dari non poterat ſine domini venia. Ab hoc iure deceſſit Guilielmus I. (44), qui permiſit fratribus poſt mortem patris, ſi in hereditate deſint alodia, ſororibus bona patris feudalia pro dote obligare, aut ſi tria habeant feuda, unum ex iis in dotem ſororibus dare ſine Regis adſenſu. Carolus II. (45) vetuit *feuda, vel res feudi in dotem dari ſine Curiae aſsenſu; ſecus feuda amittant illi, qui ſine aſſenſu contraxerunt, & ad ius Curiae applicentur.* Tandem Ferdinandus I. (46) ſtatuit, mulieres Neapolitanas, quae dotem dant maritis feuda poſſidentibus, habere ipſa feuda obligata, quamvis non ſit impetratus aſ-

(42) In capitulo 66.
(43) *II. F. 9. §. donare.*
(44) *Conſt.* fratribus *de fratrib. obligantib. partem feudi pro dotib. ſororum.*
(45) In capit. *item ſtatuimus, quod licitum.*
(46) *Pragm. II. de feud.*

Digitized by Google

assensus, qui tacite intelligitur. Idem Rex (47) privilegium hoc taciti assensus admisit, sive mulieres cum exteris, sive exteri cum Neapolitanis mulieribus contraherent. Ut itaque ius Romanum mulieribus pro securitate dotis dat privilegium tacitae hypothecae, ita patrium ius taciti assensus. Et quamvis in tabulis nuptialibus dicatur, *salvo assensu impetrando*, tamen haec clausula non nocet privilegio mulierum. Hoc ipsum beneficium etiam antefato concessit Carolus V. (48). Quin & ad usuras, vulgo *interesse*, ex caussa dotis extenditur, si solutio suo tempore facta non sit; vulgatum enim doctorum effatum est, pignus obligatum pro sorte censeri obligatum etiam pro usuris (49). Quod si mulier actionem, quam habet pro repetenda dote, alteri cesserit, ad usuras non extenditur privilegium, quippe quod personale potius censetur, quam reale, adeoque mulieris personam non egreditur, ut in S. Consilio iudicatum refert Revertera (50). Ceterum in subsidium competit actio hypothecaria super feudo ad dotis & antefati restitutionem; uti scite Camerarius (51) tradit. Hinc prius alodialia mariti bona sunt excutienda, hisque deficientibus, ad feudi alienationem deveniendum, uti saepe in S. Consilio decisum testantur Rovitus (52), & Revertera (53).

(47) *Pragm. III. eod.*
(48) *Pragm. VIII. eod.*
(49) Vid. Neusant. *de pignorib. part. II.*
(50) *Dec. 169.*
(51) *In II. F. 32. n. 157.*
(52) *In cit. pragm. VIII. de feud.* (53) *Dec. 579.*

Digitized by Google

Profecto taciti aſsenſus beneficium inductum eſt, ne mulieres indotatae remanerent, proinde ſi alodia ſuperſint, quibus dos reſtitui poteſt, obligatio feudalis perit. Quid quod privilegium, quod communi iuri feudiſtico alienationem vetanti derogat, ſtricte accipiendum eſt?

CAP. XI.

De feudi alienati revocatione.

§. I. INtegrum eſt agnatis in inveſtitura vocatis feudum conſenſu domini alienatum revocare, ne de familia exeat, idque aut iure πρατιμητεως, aut delatae ſucceſſionis. Ius πρατιμητεως *praelationis* eſt *facultas liberis & agnatis competens, feudum alienatum, ſoluto pretio & iiſdem conditionibus, intra annum a die ſcientiae redimendi*. Dicitur etiam ius *retractus*, ſeu *congrui*. Sunt qui ius retractus ab iure πρατιμησεως ſecernunt, quia illud facultatem tribuit reſcindendi venditionem iam impletam, hoc vero impediendi venditionem nondum impletam. Sed vulgo nomina *retractus* & πρατιμητεως promiſcue uſurpantur. Communem loquendi rationem, inſuper habita nimia & miſera diligentia, nobis ſequi placeat.

§. II. Locum habet retractus in iis alienationibus, in quibus pecunia revera intervenit, ut in venditione, vel interveniſſe videtur, ut cum feudum in ſolutum datur, quia tum perinde eſt, ac ſi pecunia ſoluta fuiſſet; nec intereſt,

Digitized by Google

eſt, extraneo, an agnato remotiori feudum ſit alienatum. Competit vero intra annum a die ſcientiae computandum (1), quo exacto, iuri redimendi renunciatum cenſetur (2). Scientia ſpecialis hîc neceſſaria eſt, qua totum negotium cum ſuis qualitatibus dignoſci poſſit (3): generalis enim non nocet. Hinc annale tempus nec iuſte ignoranti, nec pupillo currit, nec etiam minori; nam Iuſtinianus (4) ſublatis temporalibus praeſcriptionibus contra minores conſtituit eas non currere, ac melius *eſſe intacta eorum iura ſervari, quam poſt cauſſam vulneratam remedium quaerere*. Verum praeſcriptio triginta annorum agnatos etiam ignorantes repellit, quippe quae omnem perimit actionem, ſive quis ſciverit, ſive ignoraverit (5).

§. III. Ius retractus liberis & agnatis competit. De filiis, an vivo patre feudum redimere queant, diſputatur. Negant Piſtorius (6), aliique, propterea quod filius feudum a patre obtinet, ideoque eius factum impugnare nequit. Contra plerique recte adfirmant. Primum enim Feudiſta de iure προτιμησεως agens, ſemper proximioribus illud concedit. Omnium vero pro-

(1) *II. F. 9. §. porro, II. F. 26. §. Titius.* Conf. David Stavinski *diſſ. de feudi alienati revocatione ex iure protimeſeos.*

(2) *Argum. l. 7. C. de his qui aves non.*

(3) *L. 26. D. de R. I.*

(4) *L. 1. C. in quib. cauſ. in integr. reſtit.*

(5) *Cit. t. 9. §. porro, & l. 3. C. de praeſcript. 30, vel 40. annor.*

(6) *Lib. II. q. 5.*

Digitized by Google

mior eſt filius, cui ius ſanguinis, voluntas concedentis, & pietas parentum feudum addicit. Deinde, filio redimendi copia ablata, feudum extra familiam abiret: nec agnati impedire poſſent, quorum ratio exiſtentibus filiis filet, ſicque ius redemtionis eluderetur. Quum porro feudum antiquum non tam beneficio patris, quam liberalitate inveſtientis filius conſequatur, nequit pater, quod non dedit, auferre. Appoſite Alphenus Varus (7) inquit, delicto patris ſalva remanere filiis, quae non a patre, ſed a genere ac ſtirpe habent. Nec vero factum patris impugnat filius, ſed extraneum repellit, & praelationem iure proximitatis ſibi debitam vindicat.

§. IV. Deficientibus liberis, agnati feudum, refuſo pretio, redimere poſſunt, vivo etiam alienante (8); ſive alienatum ſit extraneo, ſive agnato remotiori, ne ſcilicet arbitrio vaſſalli ordo ſucceſſionis invertatur. Ideo autem pretium rependere tenetur agnatus proximior, quia, vivo adhuc vaſſallo, qui alienavit, alio iure ad redimendum venire nequit, nempe non ſucceſſionis iure; donec enim vaſſallus alienans, eiuſque deſcendentes vivunt, nulla agnatis ſucceſſio competit. Mortuo autem alienante, feudum non repenſo pretio, ſed iure ſuo ab emtore avocabunt. Quod ſi proximior agnatus redimere nolit, aut nequeat, remotior ſuccedit: quod diſ-

ferte

(7) *L. 3. D. de interdict. & releg.*
(8) *Cit. t. 9. §. porro, & t. 26. §. Titius.*

Digitized by Google

ſerte tradit Feudiſta (9) iis verbis: *Tibi, vel alii proximiori*, ideſt, tibi agnato, aut, ſi nolis redimere, alii poſt te proximiori. Profecto ſi remotiori haec facultas negaretur, facile feudum extra familiam abiret. Nec vero licet agnato ius προτιμησεως cedere extraneo, quippe qui inveſtiturae lege ad feudum non admittitur, ſecus e familia exiret. Recte tamen cedit agnato, ſervato ſucceſſionis ordine: proinde agnatus proximior, omiſſo ſecundo gradu, ei, qui tertium, quartumve gradum obtinet, cedere nequit, ne ſucceſſionis ordinem aliorum damno intervertat.

§. V. Eſt & ius προτιμησεως, univerſitatibus Regni noſtri competens, quo in venditione oppidi omnibus praeferuntur vaſſalli, ſeque oblato pretio redimunt, inque Regis demanium ac immediatam iuriſdictionem tranſeunt. Id veteri & aequiſſima conſuetudine apud nos receptum eſt favore libertatis, quum ita homines feudi a ſervitiis & iuribus baroni debitis eximantur. Quo autem ad regium demanium univerſitas admittatur, requiritur (I) Ut intra annum redemtionem petat, quo exacto haud reſtituitur. (II) Ut tota univerſitas, vel ſaltem maior & ſanior pars, hoc iure uti velit, pretiumque ab emtore oblatum ſolvere poſſit. (III) Ut in regio demanio ſe conſervare queat ſine fiſci, ac ipſius univerſitatis detrimento. (IV) Denique ut expediat Regi univerſitatem ad demanium provocantem ſub immediata protectio-

(9) *II. F. 3. §. ſed etiam.*

Digitized by Google

ne recipere, uti quia moenibus, arce, viribusque ad hostiles incursus munita sit (10). Nec desunt, qui in locatione feudi, etiam ad modicum tempus, praelationem universitatibus attribuunt. Plura de hoc argumento Montanus (11), Rovitus (12), Tapia (13), de Curte (14), Rosa (15), aliique afferunt.

§. VI. Nunc de feudo iure successionis revocando. Mortuo sine liberis vassallo, feudum transit ad agnatos in investitura comprehensos. Quare si illud, agnatis non consentientibus, alienaverit sive extraneo, sive remotiori agnato, etiam consensu domini, agnati non quidem omnes, sed tantum proximiores, ad quos iam delata successio est, possunt intra certum tempus revocare, & quidem post mortem alienantis; quamdiu enim hic vivit, agnatis uti successio, ita & revocatio nondum competit, sed devoluta demum successione locum habet. Nec vero agnatus, qui alienatum feudum revocat, restituere pretium cogitur; is enim tunc revocat, quum iure suo succedere potest, ac si refundere pretium deberet, magno propter alienationem detrimento afficeretur. Profecto morte peremto vassalli alienantis iure, etiam ius emtoris, qui ab eo causam habet, extinguitur, proindeque agnatus non tam adquirit, quam rem

(10) *Pragm. 63. de offic. proc. Caesar.*
(11) *Ad II. F. 55. §. praeterea.*
(12) *In cit. pragm. 63.*
(13) *Lib. VI. Iur. Regn. tit. 4.*
(14) *Diversor. feud. part. 1. n. 8.*
(15) *Consult. 15.*

Digitized by Google

rem ſuam poſſidere, eaque frui incipit (*a*).

§. VII. Quaeſtio eſt, an filiis poſt mortem patris feudum ab eo alienatum revocare liceat. Negant Piſtorius (16), Struvius (17) aliique, tum quia hoc iis privilegium in iure feudali conceſſum non legitur, tum quod filii feudum ab alodio ſeparare nequeunt, ideoque ſuccedunt tamquam heredes alodiales, factumque defuncti probare tenentur. Contra interpretes fere omnes adfirmant. Sane feudum ex contractu inter dominum & vaſſallum omnibus huius deſcendentibus debetur; quod ius quaeſitum voluntas ſenioris aut vaſſalli iis auferre nequit. Quin plus iuris habent liberi, quam agnati; eorum enim maxime intereſt, ne feuda praeſertim avita in agnatos collaterales, aut extraneos migrent. Filii etiam ſunt agnati, & *ſuitas* eſt agnationis ſpecies, quum proximiores ex agnatis ſui dicuntur (18). Porro filii, vivo patre, feudum ab eo alienatum, refuſo pretio, redimere poſſunt, quod ipſe admittit Struvius. Cur ita? Quia eis ius inveſtitura quaeſitum opitulatur, quod feudum e familia abire vetat. Adhaec, pater ius habet in feudo, donec vivit, ita tamen, ut filiis, agnatiſve non noceat; unde, ne domini quidem conſenſu quidquam de eo diſponere poteſt in praeiudicium eorum, qui in-

(a) Videſis Statium Herbordum Wintheim *diſſ. de revocatione feudi, quae fit ſucceſſionis iure.*

(16) *Lib. II. q.* 13.

(17) *In Syntagm. iur. feud. cap.* 13. *n.* 16.

(18) *L.* 6. §. 2. *D. de Carbon. edict.*

Digitized by Google

ditionis vice sit. Sic etiam adsensus super contractu faciendo datus ad factum non extenditur, etsi ratihabitione retrotrahi possit. (IV) Nec tandem *de re ad rem* protenditur. Ita si vassallus, consentiente domino, unum vendidit feudum, alterum eiusdem conditionis vendere nequit.

§. VIII. Nunc patrium ius de alienatione feudi persequor. Rogerius I. Rex noster (27) interdixit feudatariis tam laicis, quam ecclesiasticis, immo etiam *principibus suis* (qui tunc erant Rogerius dux Apuliae, Anfusus princeps Capuae, & Tancredus princeps Tarenti) feuda, & iura regalia alienare, vel minuere. Vetuerat quidem Imp. Lotharius Saxo omnem feudi alienationem (28); at eius constitutionem in Regno Siciliae vim legis habere non sivit Rogerius Lothario infensissimus. Deinde Fridericus II. (29) feudum alienari prohibuit, exceptis excadentiis, sine Regis adsensu, facta cuique copia resiliendi a contractu. Idem ius sub Andegavensibus & Aragonensibus viguit, ad nostra usque tempora.

§. IX. Adsensum in alienatione feudorum Reges nostri a Rogerio I. usque ad Ferdinandum Catholicum impertiti sunt. Ab hoc autem ad Carolum Borbonium Regno nostro in provinciae formam redacto ob Regum absentiam praefuere Proreges, qui adsensum in feudis alienandis

(27) *Const.* scire volumus *de iurib. ret. regal.*
(28) *II. F.* 52.
(29) *Const.* divae memoriae *de revocat. feudor.*

Digitized by Google

dis vice regia conceſſerunt. Primus Carolus V. (30) eorum poteſtatem coërcuit, quippe quoſdam excepit caſus, in quibus feuda, inconſulto Rege, alienari vetuit. Nempe (I) Si alienatione bona feudalia ad eccleſiam vel monaſterium devenirent; tum enim Regis ipſius venia eſt opus, ne feudo in manus mortuas translato, ius devolutionis impediatur. (II) Si vaſſallus legitimo ſucceſſore careat, eo videlicet quem leges Regni ad ſucceſſionem vocant: quo caſu quum alienatio praeiudicium inferat Regi, expreſſa eius voluntas requiritur. Id autem intelligendum, ſi vaſſallus ſucceſſorem omnino non habeat, nec habere poſſit, veluti ob decrepitam aetatem, vel naturale ad liberos gignendos impedimentum; nam ſi quodammodo filios habere queat, etſi actu non habeat, pragmaticae locus non erit (31). Anne vim habet pragmatica, quum legitimus ſucceſſor alium poſt ſe ſucceſſorem habere nequeat, veluti ſi is ea infirmitate, aut impedimento detineatur, ut liberis procreandis impar ſit? De Ponte (32) hoc etiam caſu pragmaticam obtinere putat, quia idem eſt non habere ſucceſſorem, atque habere ſucceſſorem ſoboli gignendae haud idoneum, ſicque in R. Camera iudicatum refert. Contrarium docet Rovitus (33), propterea quod quum pragmatica prohibitionem includat adſenſus concedendi, ad alios ca-

(30) *Pragm.* 4. *de feudis.*
(31) Rovit. *in d. pragm.* 4.
(32) *De poteſt. Prореg.*
(33) *Cit. loc.*

Digitized by Google

casus non expressos producenda non est; in ea autem nihil cavetur de successore successoris, sed de primo tantum sermo habetur. Mitto alios in laudata pragmatica expressos casus; quum hodie omnis alienatio feudi a nutu ipsius Regis pendeat.

§. X. Regius pro alienando feudi adsensus olim in Collaterali Consilio, nunc in Regali Camera S. Clarae expeditur. Antiquitus quidem adsensus alienandi concedebatur verbo *fiat*. Primus Ferdinandus Catholicus (34) omnem ei fidem denegavit, nisi in *formam* R. Cancellariae redigeretur, hoc est, in eius Regestis describeretur, & privilegium sigillo Regis muniretur; idque cautum, ut fiscus feudatarios cognosceret, feudalia ab iis onera exigeret, & devolutionis casum non ignoraret. Inde Philippus II. (35) expeditum adsensum intra biennium in formam Cancellariae redigi, atque registrari iussit. Si biennium elabatur, & signa deficiant, adsensus corruit, uti cavit Carolus V. (36). Nunc impetratus alienandi adsensus in quinternionibus R. Camerae describendus est. Debent autem contrahentes intra tres ab adsensu impetrato menses alienationem perficere per scripturas publicas, quibus exactis contractus nullius est roboris, novoque proinde adsensu est opus, ceu statuit Prorex de Toleto (37). Huius iuris ea reddi ratio

(34) *Pragm. I. de fide mercurialium.*
(35) *Pragm. III. eod.*
(36) *Pragm. II. eod.*
(37) *Pragm. X. de feudis.*

Digitized by Google

tio poteſt, quod ſaepe ex longo tempore perſonarum qualitates, & *circumſtantiae* mutari ſolent, idque Rex ignorare non debet, ne quid fiat in praeiudicium ſupremi dominii.

§. XI. Poſtremo loco opportune de regio aſſenſu in dotario, & dote agendum. Dotarium, ſeu dotalitium iure feudali eſt *tertiaria*, ideſt tertia pars bonorum baronis, poſt eius mortem uxori debita. Uxorem dotarii uſumfructum, non dominium conſequi cavit Guilielmus I. (38). Poſtea Carolus II. (39) ſtatuit, dotarium uxori etiam indotatae deberi, eamque, viro relictis filiis mortuo, dotarii uſumfructum adquirere, ac ſi ſecundis nuptiis abſtinuerit, una cum filiis etiam proprietatem virilis partis. Hodie antefatum regitur ad normam *pragmaticae* 1. *de donat. propt. nupt.* ſive de feudo, ſive alodio agatur (*a*). Iam vero licet baroni ſine regis aſſenſu dotarium uxori conſtituere. Rogerius I. (40) cavit, ut ſi baro tria feuda habeat, in uno ex iis dotarium uxori conſtituere poſſit; ſi duo, vel unum, dotarium in pecunia conſtituat; ſi plura tribus habeat, in uno etiam adſignet, modo non conſtituat in illo caſtro, unde baronia, vel comitatus nomen aſſumſit. Inde Fridericus II. (41) decrevit, ut ſi baro duo feuda poſſideat, in uno ex iis dotarium ſine licentia Regis

(38) *Conſt.* mulier *de dotariis conſtituendis*.
(39) In capitulo *mulier dotarium*.
(40) *Conſt.* ſi quis baro *de dotario conſtituendo in feudis & caſtris*. (41) *Conſt.* licentiam *de dotibus*.
(a) Confer de hac re noſtra Elementa *iur. privat. Neap. part. II. cap. 7.*

Digitized by Google

gis conſtituat; ſi unum & dimidium, in dimidio; ſi unum dumtaxat, in pecunia adſignet: Rogerii & Friderici leges ſecutus Carolus II. (42) ſtatuit, ut *dotarium in terra feudali conſtituant feudatarii uxoribus abſque licentia noſtra, vel Curiae noſtrae. Sed viro praemortuo mulier dotarium habens non det in dotem, vel uſumfructum dotarii ſine aſſenſu noſtro, vel Curiae noſtrae, dum nubat ſecundo.* Cur Carolus dotarium ſuper feudo conſtitui permiſit, at idem in dotem dari vetuit? Quia Regi ſic placuit, & magis dotario, quam doti favere voluit.

§. XII. Quod pertinet ad dotem, iure Longobardiae (43) feudale praedium, aut ius in dotem dari non poterat ſine domini venia. Ab hoc iure deceſſit Guilielmus I. (44), qui permiſit fratribus poſt mortem patris, ſi in hereditate deſint alodia, ſororibus bona patris feudalia pro dote obligare, aut ſi tria habeant feuda, unum ex iis in dotem ſororibus dare ſine Regis adſenſu. Carolus II. (45) vetuit *feuda, vel res feudi in dotem dari ſine Curiae aſſenſu; ſecus feuda amittant illi, qui ſine aſſenſu contraxerunt, & ad ius Curiae applicentur.* Tandem Ferdinandus I. (46) ſtatuit, mulieres Neapolitanas, quae dotem dant maritis feuda poſſidentibus, habere ipſa feuda obligata, quamvis non ſit impetratus aſ-

(42) In capitulo 66.
(43) *II. F. 9. §. donare.*
(44) *Conſt.* fratribus *de fratrib. obligantib. partem feudi pro dotib. ſororum.*
(45) In capit. *item ſtatuimus, quod licitum.*
(46) *Pragm. II. de feud.*

Digitized by Google

assensus, qui tacite intelligitur. Idem Rex (47) privilegium hoc taciti assensus admisit, sive mulieres cum exteris, sive exteri cum Neapolitanis mulieribus contraherent. Ut itaque ius Romanum mulieribus pro securitate dotis dat privilegium tacitae hypothecae, ita patrium ius taciti assensus. Et quamvis in tabulis nuptialibus dicatur, *salvo assensu impetrando*, tamen haec clausula non nocet privilegio mulierum. Hoc ipsum beneficium etiam antefato concessit Carolus V. (48). Quin & ad usuras, vulgo *interesse*, ex caussa dotis extenditur, si solutio suo tempore facta non sit; vulgatum enim doctorum effatum est, pignus obligatum pro sorte censeri obligatum etiam pro usuris (49). Quod si mulier actionem, quam habet pro repetenda dote, alteri cesserit, ad usuras non extenditur privilegium, quippe quod personale potius censetur, quam reale, adeoque mulieris personam non egreditur, ut in S. Consilio iudicatum refert Revertera (50). Ceterum in subsidium competit actio hypothecaria super feudo ad dotis & antefati restitutionem; uti scite Camerarius (51) tradit. Hinc prius alodialia mariti bona sunt excutienda, hisque deficientibus, ad feudi alienationem deveniendum, uti saepe in S. Consilio decisum testantur Rovitus (52), & Revertera (53).

(47) *Pragm. III. eod.*
(48) *Pragm. VIII. eod.*
(49) Vid. Neusant. *de pignorib. part. II.*
(50) *Dec.* 169.
(51) *In II. F.* 32. *n.* 157.
(52) *In cit. pragm. VIII. de feud.* (53) *Dec.* 579.

Digitized by Google

Profecto taciti aſsenſus beneficium inductum eſt, ne mulieres indotatae remanerent, proinde ſi alodia ſuperſint, quibus dos reſtitui poteſt, obligatio feudalis perit. Quid quod privilegium, quod communi iuri feudiſtico alienationem vetanti derogat, ſtricte accipiendum eſt?

CAP. XI.

De feudi alienati revocatione.

§. I. INtegrum eſt agnatis in inveſtitura vocatis feudum conſenſu domini alienatum revocare, ne de familia exeat, idque aut iure προτιμητεως, aut delatae ſucceſſionis. Ius προτιμητεως *praelationis* eſt *facultas liberis & agnatis competens, feudum alienatum, ſoluto pretio & iiſdem conditionibus, intra annum a die ſcientiae redimendi*. Dicitur etiam ius *retractus*, ſeu *congrui*. Sunt qui ius retractus ab iure προτιμησεως ſecernunt, quia illud facultatem tribuit reſcindendi venditionem iam impletam, hoc vero impediendi venditionem nondum impletam. Sed vulgo nomina *retractus* & προτιμητεως promiſcue uſurpantur. Communem loquendi rationem, inſuper habita nimia & miſera diligentia, nobis ſequi placeat.

§. II. Locum habet retractus in iis alienationibus, in quibus pecunia revera intervenit, ut in venditione, vel interveniſſe videtur, ut cum feudum in ſolutum datur, quia tum perinde eſt, ac ſi pecunia ſoluta fuiſſet; nec intereſt,

Digitized by Google

eſt, extraneo, an agnato remotiori feudum ſit alienatum. Competit vero intra annum a die ſcientiae computandum (1), quo exacto, iuri redimendi renunciatum cenſetur (2). Scientia ſpecialis hîc neceſſaria eſt, qua totum negotium cum ſuis qualitatibus dignoſci poſſit (3): generalis enim non nocet. Hinc annale tempus nec iuſte ignoranti, nec pupillo currit, nec etiam minori; nam Iuſtinianus (4) ſublatis temporalibus praeſcriptionibus contra minores conſtituit eas non currere, ac melius *eſſe intacta eorum iura ſervari, quam poſt cauſſam vulneratam remedium quaerere*. Verum praeſcriptio triginta annorum agnatos etiam ignorantes repellit, quippe quae omnem perimit actionem, ſive quis ſciverit, ſive ignoraverit (5).

§. III. Ius retractus liberis & agnatis competit. De filiis, an vivo patre feudum redimere queant, diſputatur. Negant Piſtorius (6), aliique, propterea quod filius feudum a patre obtinet, ideoque eius factum impugnare nequit. Contra plerique recte adfirmant. Primum enim Feudiſta de iure προτιμητεως agens, ſemper proximioribus illud concedit. Omnium vero pro-

(1) *II. F. 9. §. porro, II. F. 26. §. Titius.* Conf. David Stavinski *diſſ. de feudi alienati revocatione ex iure protimeſeos.*

(2) *Argum. l. 7. C. de his qui aves non.*

(3) *L. 26. D. de R. I.*

(4) *L. 1. C. in quib. cauſ. in integr. reſtit.*

(5) *Cit. t. 9. §. porro, & l. 3. C. de praeſcript. 30, vel 40. annor.*

(6) *Lib. II. q. 5.*

Digitized by Google

mior est filius, cui ius sanguinis, voluntas concedentis, & pietas parentum feudum addicit. Deinde, filio redimendi copia ablata, feudum extra familiam abiret: nec agnati impedire possent, quorum ratio existentibus filiis filet, sicque ius redemtionis eluderetur. Quum porro feudum antiquum non tam beneficio patris, quam liberalitate investientis filius consequatur, nequit pater, quod non dedit, auferre. Appositе Alphenus Varus (7) inquit, delicto patris salva remanere filiis, quae non a patre, sed a genere ac stirpe habent. Nec vero factum patris impugnat filius, sed extraneum repellit, & praelationem iure proximitatis sibi debitam vindicat.

§. IV. Deficientibus liberis, agnati feudum, refuso pretio, redimere possunt, vivo etiam alienante (8); sive alienatum sit extraneo, sive agnato remotiori, ne scilicet arbitrio vassalli ordo successionis invertatur. Ideo autem pretium rependere tenetur agnatus proximior, quia, vivo adhuc vassallo, qui alienavit, alio iure ad redimendum venire nequit, nempe non successionis iure; donec enim vassallus alienans, eiusque descendentes vivunt, nulla agnatis successio competit. Mortuo autem alienante, feudum non repenso pretio, sed iure suo ab emtore avocabunt. Quod si proximior agnatus redimere nolit, aut nequeat, remotior succedit: quod differte

(7) *L. 3. D. de interdict. & releg.*
(8) *Cit. t. 9. §. porro, & t. 26. §. Titius.*

Digitized by Google

ſerte tradit Feudiſta (9) iis verbis: *Tibi, vel alii proximiori*, ideſt, tibi agnato, aut, ſi nolis redimere, alii poſt te proximiori. Profecto ſi remotiori haec facultas negaretur, facile feudum extra familiam abiret. Nec vero licet agnato ius προτιμησεως cedere extraneo, quippe qui inveſtiturae lege ad feudum non admittitur, ſecus e familia exiret. Recte tamen cedit agnato, ſervato ſucceſſionis ordine: proinde agnatus proximior, omiſſo ſecundo gradu, ei, qui tertium, quartumve gradum obtinet, cedere nequit, ne ſucceſſionis ordinem aliorum damno intervertat.

§. V. Eſt & ius προτιμησεως, univerſitatibus Regni noſtri competens, quo in venditione oppidi omnibus praeferuntur vaſſalli, ſeque oblato pretio redimunt, inque Regis demanium ac immediatam iuriſdictionem tranſeunt. Id veteri & aequiſſima conſuetudine apud nos receptum eſt favore libertatis, quum ita homines feudi a ſervitiis & iuribus baroni debitis eximantur. Quo autem ad regium demanium univerſitas admittatur, requiritur (I) Ut intra annum redemtionem petat, quo exacto haud reſtituitur. (II) Ut tota univerſitas, vel ſaltem maior & ſanior pars, hoc iure uti velit, pretiumque ab emtore oblatum ſolvere poſſit. (III) Ut in regio demanio ſe conſervare queat ſine fiſci, ac ipſius univerſitatis detrimento. (IV) Denique ut expediat Regi univerſitatem ad demanium provocantem ſub immediata protectio-

(9) *II. F. 3. §. ſed etiam.*

Digitized by Google

ne recipere, uti quia moenibus, arce, viribusque ad hostiles incursus munita sit (10). Nec desunt, qui in locatione feudi, etiam ad modicum tempus, praelationem universitatibus attribuunt. Plura de hoc argumento Montanus (11), Rovitus (12), Tapia (13), de Curte (14), Rosa (15), aliique afferunt.

§. VI. Nunc de feudo iure successionis revocando. Mortuo sine liberis vassallo, feudum transit ad agnatos in investitura comprehensos. Quare si illud, agnatis non consentientibus, alienaverit sive extraneo, sive remotiori agnato, etiam consensu domini, agnati non quidem omnes, sed tantum proximiores, ad quos iam delata successio est, possunt intra certum tempus revocare, & quidem post mortem alienantis; quamdiu enim hic vivit, agnatis uti successio, ita & revocatio nondum competit, sed devoluta demum successione locum habet. Nec vero agnatus, qui alienatum feudum revocat, restituere pretium cogitur; is enim tunc revocat, quum iure suo succedere potest, ac si refundere pretium deberet, magno propter alienationem detrimento afficeretur. Profecto morte peremto vassalli alienantis iure, etiam ius emtoris, qui ab eo causam habet, extinguitur, proindeque agnatus non tam adquirit, quam rem

(10) *Pragm. 63. de offic. proc. Caesar.*
(11) *Ad II. F. 55. §. praeterea.*
(12) *In cit. pragm. 63.*
(13) *Lib. VI. Iur. Regn. tit. 4.*
(14) *Diversor. feud. part. 1. n. 8.*
(15) *Consult. 15.*

Digitized by Google

rem ſuam poſſidere, eaque frui incipit (*a*).

§. VII. Quaeſtio eſt, an filiis poſt mortem patris feudum ab eo alienatum revocare liceat. Negant Piſtorius (16), Struvius (17) aliique, tum quia hoc iis privilegium in iure feudali conceſſum non legitur, tum quod filii feudum ab alodio ſeparare nequeunt, ideoque ſuccedunt tamquam heredes alodiales, factumque defuncti probare tenentur. Contra interpretes fere omnes adfirmant. Sane feudum ex contractu inter dominum & vaſſallum omnibus huius deſcendentibus debetur; quod ius quaeſitum voluntas ſenioris aut vaſſalli iis auferre nequit. Quin plus iuris habent liberi, quam agnati; eorum enim maxime intereſt, ne feuda praeſertim avita in agnatos collaterales, aut extraneos migrent. Filii etiam ſunt agnati, & *ſuitas* eſt agnationis ſpecies, quum proximiores ex agnatis ſui dicuntur (18). Porro filii, vivo patre, feudum ab eo alienatum, refuſo pretio, redimere poſſunt, quod ipſe admittit Struvius. Cur ita? Quia eis ius inveſtitura quaeſitum opitulatur, quod feudum e familia abire vetat. Adhaec, pater ius habet in feudo, donec vivit, ita tamen, ut filiis, agnatiſve non noceat; unde, ne domini quidem conſenſu quidquam de eo diſponere poteſt in praeiudicium eorum, qui in-

(a) Videſis Statium Herbordum Wintheim *diſſ. de revocatione feudi, quae fit ſucceſſionis iure.*

(16) *Lib. II. q.* 13.

(17) *In Syntagm. iur. feud. cap.* 13. *n.* 16.

(18) *L.* 6. §. 2. *D. de Carbon. edict.*

Digitized by Google

veſtiturae lege comprehenſi ſunt. Argumenta in contrarium obiecta nihil officiunt. Feudiſta (19) negat vaſſallo ius teſtandi de feudo: nequit igitur diſpoſitione inter vivos in inveſtitura vocatis nocere. Si nulla eſt ordinatio defuncti in feudo, nequit filium exheredare, quippe qui beneficio maiorum, non patris feudo ſuccedit, atque in alodio exheredatus, recte feudum capiet. Placuit quidem Longobardiae ſapientibus ſententia, haud licere filio feudum retinere, & hereditatem patris repudiare, ne eius memoriam ſpernere videatur, eumque a patre feudum quodammodo accipere; idque ex iuris Romani ſcitis, quo pater & filius una habentur perſona. At id naturae feudi antiqui repugnat, quod quiſque pro ſe & deſcendentibus adquirit, ut perpetuo in familia maneat.

§. VIII. Ceterum agnati intra triginta annos a morte alienantis feudum revocare poſſunt, ſive extraneo, ſive remotiori agnato fuerit alienatum. Quum enim ex iure ſuccedendi haec revocatio pendeat, non citius expirabit, quam ipſum ius ſuccedendi: omnis autem actio, ut eſt revocatoria, annis triginta praeſcribitur: cumque nihil de hac re feudale ius caverit, civile ſequimur. Quid quod nulla fere praeſcriptio, quam tricenaria, in iure feudali obtinet? Nec obſtat Feudiſta (20), quippe qui de revocatione ex iure protimeſeos, non ex iure ſucceſſionis loquitur. Quod ſi proximior agnatus intra le-

(19) *I. F. 8.*
(20) *II. F. 26. §. Titius.*

Digitized by Google

legitimum tempus non revocaverit, post mortem eius agnatus, qui in ipsius locum succedit, non repellitur; si enim factum alienantis nihil agnatis officere potuit, quare negligentia proximiorum officiet remotioribus, quibus culpae verti nequit, quod prius non egerint, cum agere non potuerint, proximioribus adhuc viventibus (21)? Huc spectat vulgatum illud: *non valenti agere* (maxime si nondum nata sit actio) *praescriptionem non currere* (22).

CAP. XII.

De refutatione feudi.

§. I. AD alienationem feudi proxime accedit refutatio. In iure feudali refutare idem est ac renuntiare, dimittere rem, & in alterius ius transferre. Tantidem ea vox est apud Arnulphum Lexovienſem (1), in Chronico Farfenſi (2), in Charta Theobaldi Episcopi Parisiensis an. MCXLVIII., aliisque monumentis (3). Refutatio autem *est renunciatio feudi a vassallo domino, vel agnatis legitime facta*. Ea itaque vel ipsi seniori fit, vel agnatis. Et seniori quidem, quum ei vassallus restituit *donum* investiturae, uti loquitur Fri-

(21) *Argum. lib. II. F. t. 39. t. 52. §. 1. & 3. & l. ult. §. 3. & Auth. res quae C. commun. de legat.*

(22) *L. 3. §. quae ergo C. de praescript. 30. vel 40. annor., & l. 1. in fin. C. de annal. except.*

(1) *In ep. ad Alexandrum P.*

(2) Apud Murator. S. R. I. *tom. II. part. 2. col. 449.*

(3) Vid. Dufresne in *Glossar. v. refutat.*

Digitized by Google

Fridericus (4), nempe ſymbolum, quo fuerat inveſtitus, & litteras *reverſales*, quas initio inveſtiturae acceperat, de more ubique recepto; modo intempeſtive non renuntiet, hoc eſt, quo tempore ei ad bellum eſt proficiſcendum, ſecus indemnem ſervare dominum tenetur (5). Domino etiam invito recte feudum refutatur, quamvis obligatio feudalis mutuo ſenioris & vaſſalli conſenſu conſtituatur; nam obligatio vaſſalli relata eſt ad rem, ſeu feudum, quo defficiente, etiam illa extinguitur. Iam feudum antiquum domino ſine agnatorum conſenſu renuntiari nequit (6); novum vero poteſt, niſi pater contemplatione filiorum adquiſiverit, quia contemplatio domini ius quaeſitum filiis tribuit, quo inviti excludendi non ſunt (7).

§. II. Sed proprie hîc agendum de refutatione, quae liberis & adgnatis fit. Iure Romano ignota eſt viventis hereditas, quum pugnet, ſucceſſorem eſſe eius, qui vitam adhuc agit. Secus eſt iure feudali; feudum enim individuum conſtituit integrum patrimonium, quique in illud ſuccedit, iure univerſali ſucceſſionem nanciſcitur: proinde qui feudum alteri refutat, univerſalem ſibi ſucceſſorem conſtituit, iſque non heredis vicem gerit, ſed ipſiſſimus heres eſt, in quem tranſeunt univerſa feudi iura cum activa tum

(4) *II. F.* 27.
(5) *Argum.* §. 11. *inſt. de mandat.* & §. 4. *inſt. de ſociet.*
(6) *II. F.* 39.
(7) *Argum. l. ult. C. de impub. & aliis ſubſtit.*

Digitized by Google

tum paſſiva. Duabus potiſſimum cauſſis refutatio in iure feudali inducta eſt; altera, ut feudatarius onere adminiſtrationis ſe ſubducat; altera, ut primogenitum filium ad honeſtas nuptias ineundas facilius diſponat. Profecto filiis, qui propriis carent fortunis, & a paterno nutu pendent, facile non eſt pares ſibi uxores comparare ſpe futurae ſucceſſionis poſt obitum patris, quae nonnunquam incerta eſt longaeva patris vita, vel ob onera, quae pater interim contrahere poteſt. Ad hunc amoliendum obicem invaluit, ut occaſione matrimonii ſive certi, ſive incerti pater filio feudum refutet, eiuſque ſucceſſorem conſtituat univerſalem.

§. III. Refutatio aut proximo ſucceſſori fit, aut remotiori agnato. Si proximo ſucceſſori fiat, regius adſenſus non requiritur; nam vera alienatio non eſt, ſed civile commentum, quo refutans ficta quadam morte ſe de medio tollit, eumque vocat ad feudum ipſo vivente adipiſcendum, qui inveſtiturae lege illo defuncto ſuccederet. Quare nullum hac refutatione detrimentum agnatis, nullum ſeniori praeiudicium affertur. Quin etiam adiecto pacto, ut regius adſenſus interponatur, ſi hic non obtineatur, refutatio non corruit; namque lex de adſenſu impetrando neceſſariam non inducit conditionem, qua non impleta ruit actus, ſed adpoſita cenſetur, ut magis ſibi conſulat refutatarius.

§. IV. Ut autem feudi refutatio facta proximo ſucceſſori valeat ſine regis adſenſu, eſſe debet pura, ideſt, ſine ulla conditione, aut reſervatione. Id Romano iuri congruit, quo actus

Digitized by Google

ctus legitimi conditionem, & diem reſpuunt (8). Inter actus legitimos refutatio eſt referenda, quum novum quodammodo hominem conſtituat; refutato enim a patre feudo, filiusfamilias a ſacris paternis ſubducitur, liberamque feudi adminiſtrationem ſuſcipit, inſtar emancipationis, qua paternum imperium ſolvitur, & filius ſui iuris evadit. Sed quaeritur, an refutatio pactis inſtructa valeat, reiectis ipſis pactis & conditionibus, nuda & ſimplici ea remanente? Merlinus (9) aliique putant, pacta & conditiones refutationi adiectas reiici, modo non immediate & principaliter eam reſpiciant; ſecus vero ſi renuncians ea pro legibus ſervari iubeat, quibus non impletis minime refutaſſet. Contra Fabius de Anna (10) nullam pronunciat refutationem; quum enim executio contractus a pactorum obſervatione pendeat, quae ſunt veluti partes & membra conventionis, conſectaneum eſt, ut, iis corruentibus, integra pariter conventio ruat.

§. V. Si refutans uſumfructum ſibi reſervet, regio adſenſu indiget. Eo tamen opus non eſt, ſi uſumfructum ſibi reſervet cum clauſula *ex nunc pro tunc*, *ſequuta morte*. Hac enim potius feudi fructus a refutante retenti, quam uſusfructus reſervatus videtur. Fructus autem inter alodialia referuntur, deque iis ſine feudi detrimento diſponere poſſumus: contra uſusfructus ſervitutem in ipſo feudo conſtituit, eiuſque conditionem

al-

(8) *L. actus legitimi D. de R. I.*
(9) *Controv. forenſ. cent. 2. cap. 57.*
(10) *Conſil. 51.*

Digitized by Google

alterat, seu immutat. Ita Rovitus (11), Anna (12), de Ponte (13), Staibanus (14), aliique forenses edocent. In contrariam tamen sententiam rationibus non prorsus destitutam concessit Montanus (15), quem adi.

§. VI. Iam vero si refutatio fiat remotiori agnato, regis adsensu est opus (16). Quod si refutatio sine adsensu fiat ei, qui remotior est refutationis tempore, sed proximus evadit tempore mortis refutantis, valet nihilominus refutatio, veluti si avus feudum refutet nepoti, qui vivo patre proximus illius successor non est, tum pater ipse decedit. Non enim spectatur proximitas tempore refutationis, quo actus exercetur, sed tempore mortis refutantis, quo actus perficitur, pleneque consumatur. Ceterum quocumque modo fiat refutatio feudi quaternati, hoc est, sive regio adsensu munita sit, sive eo destituta, intra dies quindecim a die factae refutationis numerandos redigenda est in *quinternionibus* seu voluminibus Regiae Camerae; secus nulla erit refutatio, uti cavit Prorex de Mendoza an. MDLXXIX. (17). Id cautum, ut Rex novum feudi possessorem agnoscat, relevium exigat, & devolutionem non ignoret.

§. VII. Effectus refutationis est, ut refutans de-

(11) *In pragm. 4. de feudis n. 7. 15. & 16.*
(12) *Consil. 39. n. 19.*
(13) *De potest. Proreg. tit. de refut. feud.*
(14) *Resolut. 173.*
(15) *Controv. 13. & seq.*
(16) Marcian. *disput. 80. tom. II.*
(17) *Pragm. XX. de feudis.*

Digitized by Google

desinat esse vassallus, nec domino servire in posterum teneatur; eum tamen offendere nequit, quum promissae olim fidei vestigia quaedam adhuc supersesse videantur (18). Quod vero ad eum spectat, cui refutatio fit, si quidem sit ipse dominus directus, res desinit esse feudalis, rursusque incipit ad eum pleno iure pertinere (19). Si vero alteri fiat, is incipit esse vassallus; quumque sit verus refutantis heres, omnibus oneribus, puta paragio sororum, vitá-militia, relevio, & creditoribus sese obligat. Illud vero discrimen est inter agnatum, & extraneum (cui nimirum feudum refutetur consentientibus iis, quorum interest) quod agnatus eodem iure antiqui, si antiquum sit, neque fuerit velut de novo investitus, feudum possideat; extraneus vero, nisi aliud convenerit, iure novi habere incipiat, eo, inquam, iure, quod ipsi antea nullo iure competebat (20).

§. VIII. Quaeritur, an refutatio feudi species sit prohibitae alienationis. Iure feudistico in nonnullis casibus prohibita, in aliis permissa est, pro qualitate scilicet personae, cui feudum refutatur. Refutatio facta extraneo vera alienatio est, proinde sine domini, & agnatorum consensu non valet (21). Si vero feudum agnato proximiori, vel remotiori refutetur, domini consensu opus non est (22). Quum enim non

(18) *II. F.* 38.
(19) *Argum.* §. 3. *inst. de usufruct.*
(20) *II. F.* 14. & 49.
(21) *I. F.* 8. §. 1. *II. F.* 26. §. 5. *vers. Titius.*
(22) *II. F.* 38. & 39.

Digitized by Google

non poſſint non accepti domino videri, qui prima inveſtitura comprehenſi ſunt, nequit dominus eum ut vaſſallum recuſare, facta refutatione, quem agnoſcere aliquando debuiſſet delata ſucceſſione. Profecto refutatione proximiori facta, maturius feudum conſequitur is, qui poſt vaſſalli obitum ſucceſſiſſet (23); facta vero remotiori, nihil cauſſae eſt, cur conquerantur aut dominus ob propoſitam rationem, aut proximiores agnati, quia ipſis nullum affertur damnum, nullumque eſt ius ſuccedendi, quamdiu durat refutantis linea. Hinc ſequitur, ut ſi caſus evenerit, quo refutatio noceat proximioribus, hi iure ſuo feudum revocare poſſunt, niſi refutationi conſenſerint. Apud nos refutatio proximo ſucceſſori ſine conſenſu Principis fit; remotiori autem agnato non niſi ex regia venia fieri poteſt, uti ſupra diximus.

§. IX. De eo quoque diſputatur, an pater, qui feudum filio refutavit, huic ſine liberis mortuo ſuccedat? Spectandum eſt, quo pacto refutaverit; ſi enim pater ea lege feudum domino renunciaverit, ut per novam inveſtituram filio deferretur, excludendus eſt (24). Quod ſi eo animo refutavit, non ut ſpem omnem quandoque eius recipiendi abiiceret, ſed potius ut filius feudo citius potiretur, admittendus eſt (25). Haec voluntatis interpretatio efficit etiam, ut, qui

(23) *II. F.* 14.

(24) *II. F.* 49. *argum. l.* 14. §. *penult. D. de aedilit. edict.*

(25) *II. F.* 14. *iunct. tit.* 26. §. *ult. in fin.*

Digitized by Google

qui refutaverit, praeferatur fratri defuncti. Quare hîc locus non est constitutioni Iustiniani (26) simul ad legitimam successionem admittentis fratres, & parentes defuncti. Primum enim pater est filio coniunctior (quod maxime spectant consuetudines feudales) quam frater fratri. Deinde hîc attenditur ratio voluntatis, seu speciale pactum, quod refutationi videtur inesse, ut si filius decederet sine liberis, ad se rediret. In civili autem successione servatur auctoritas iuris, seu probabilis illa & generalis voluntas defuncti, quam ita leges interpretandam censuerunt.

§. X. Iure Regni, mortuo sine liberis filio, pater feudum refutatum adquirit, seu potius recuperat, ne duplici dolore afficiatur & ob filii obitum, & ob feudi iacturam; sive antiquum sit, sive novum (27). Carolus V. (28) vetuit patrem morte filii eo feudo privari, quo ob eius amorem se spoliavit. Quin pater in refutato feudo praefertur fratribus defuncti, sicque bis iudicatum refert Anna (29). Nec obstat, quod Carolus V. (30) statuit, ut feudo contemplatione matris filio refutato, si hic sine filiis decesserit, fratres succedant; id enim intelligendum est, si filio refutatario pater non supersit. Porro refutatum feudum pater adipiscitur iure *successionis*, non *reversionis*, uti doctores docent. Haec duo differunt inter se; nam successio efficit, ut pater non

(26) *Nov.* 118. *cap.* 2.
(27) *De Ponte de potest. Proreg. tit.* 8. *n.* 27.
(28) *Pragm. XIV. & XV. de feudis.*
(29) *In repetit. ad caput de vassall. decrepit. aetat.*
(30) *Cit. pragm. XIV.*

Digitized by Google

non modo ad ſolvendum relevium teneatur, verum etiam ad aes alienum ſuper feudo contractum a filio (31): quibus oneribus non obſtringitur, qui iure reverſionis feudum adquirit. Non autem pater cogitur fratribus vitam-militiam, & ſororibus defuncti paragium perſolvere, puta filiis, & filiabus ſuis; nam etiam ſine hac ſucceſſione is paterni debiti cauſſa filiis ſuis conſulere, & filiabus congruam dotem praeſtare tenetur.

CAP. XIII.

De iure vaſſalli in feudo.

§. I. COmpetit vaſſallo utile dominium in feudum, ſed certa lege conceſſum, in quo dominio veniunt expendenda ius in re conſtitutum, utilitas quae ex eo percipi poſſit, & diſponendi facultas. Ad primum ius pertinet poſſeſſio, de qua diſputant nonnulli, naturalis ne ſit, an civilis; at eiuſmodi quaeſtio magis de nomine, quam de re eſſe videtur. Nec dubitandum, quin talis poſſeſſio in vaſſallum transferatur, quae legitimos pariat effectus; ſique ea naturalis dici poſſit, tamen proxime ad civilem accedit (1); eamque ſibi poteſt vaſſallus defendere, aut amiſſam recuperare ſive remediis poſſeſſoribus, ſive utili actione in rem, idque non ſolum contra extraneum, ſed etiam contra dominum ipſum (2). Si contra extra-

(31) De Franchis *dec.* 3. & 591.
(1) *II. F.* 2. & 8. §. *ult.* (2) *II. F.* 8. & 43.

Digitized by Google

neum agat, aut ab eo conveniatur, sive obtineat, sive victus sit, sententia cum dominum, tum agnatos afficit, quamvis dominus, aut agnati litem ignoraverint. Id eo argumento probat Feudista (3), quod vassallo etiam transigere liceat, dummodo nihil fraude gestum sit; ideoque ait, in hoc eamdem fore rei iudicatae auctoritatem, & transactionis vim. Transactionem autem intelligimus, sive vassallus pecunia, aliave re data feudum retineat, sive accepta alteri feudum cedat. Quam ob causam nec prohibita transactio est, quod alienationis species videatur, nec quod damno afficere dominum, agnatosve possit; nam qui transigit, proprie non alienat, sed cautus praevenit incertum sententiae, spemque lucri cum metu damni secum ipse conferens, constituit aliquid in tuto ponere, ne toto periclitetur, quod ipsum consilium dominus & agnati capere debuisse videntur. Haec locum habent, si iudicetur, aut transigatur ob causam non ipsius vassalli propriam, sed & domini, & agnatorum communem; quia si propria sit, illi tantum proderit, aut nocebit. Communis autem intelligitur, si spectet dominium utile, quoniam si dominium directum, nec sententia, nec transactio obesse domino potest: ad eum quippe solum pertinet retinere, ac defendere proprietatem.

§. II. Competit etiam vassallo libera quaedam rei feudalis administrandae potestas cum ad suam, tum ad alterius cuiuslibet utilitatem, dummodo

(3) *II. F. 26. & 43.*

Digitized by Google

do rem deteriorem non faciat, nihilque his, quorum intereſt, noceat. Quare vaſſallo licet aedificium in fundo feudali ponere, ſervitutem adquirere tam ſibi, quam domino, & agnatis profuturam (4), aliaque facere, quibus utilior commodiorque feudi uſus reddatur. Servitutem autem imponere nequit, ac ſi impoſuerit, ea nec domino, nec agnatis officiet (5). Plus ergo vaſſallo licet, quam fructuario, qui non poteſt proprietatis cauſſam quomodocumque meliorem facere, ſed dumtaxat ſic, ut formam rei non immutet (6); nam ſaepe magis placet dominis habere fundum ad amoenitatem, quam ad reditum, aedeſque habitare minus eleganti forma conſtructas. Porro fructuarius non debet quidquam facere contra probabilem domini voluntatem.

§. III. Vis utilis dominii maxime elucet in perceptione fructuum cuiuſcumque generis, naturalium, induſtrialium, civilium, quos vel ipſe, vel alius eiuſdem voluntate perceperit (7). Poteſt ſiquidem vaſſallus ius percipiendi fructus, quoad ſcilicet ipſe eſt retenturus, quolibet titulo in alios transferre donando, vendendo, locando, pignori dando; quo poſtremo caſu poterit creditor in poſſeſſionem fructuum ex pignoris cauſſa mitti (8). Nae labuntur, qui putant,

(4) *II. F.* 8. §. 1.
(5) *Cit. loc.*
(6) *L.* 61. *D. de uſufruct.*
(7) *Argum. l.* 7. *D. de uſufruct.*
(8) *Argum. l.* 12. §. 2. *D. de uſufr.*, *l.* 11. §. 1. *de pignor.*, & *l. ult. D. de uſur.*

Digitized by Google

eamdem ob cauſſam intelligi oportere prohibitam fructuum alienationem, qua imperatores prohibuerunt feudum ipſum alienari, ne vaſſalli, alienatis fructis, nequeant, ſi occaſio ſe dederit, domino ſubvenire, idque in eius, atque imperii dedecus, & detrimentum (9). Primum enim, cum ante liceret non modo fructus, ſed etiam feudum alienare, lege autem dumtaxat prohibita ſit alienatio rei, ab ea nequit argumentum ad fructus trahi. Quamquam non eadem eſt ratio; ut enim de cauſis taceam, quibus vaſſallus recipiat fructuum pretium, re alienata, perpetuo fructibus carebit, iiſque adeo ad domini ſalutem numquam uti poterit: contra, fructibus alienatis, eos percipere alias poterit. Praeter allatam prohibitae alienationis rationem eſt alia, quae obtinet in re, ceſſat in fructibus, videlicet, ſi alienetur feudum, perſona vaſſalli mutatur; ſi dumtaxat fructus, idem nihilominus manet.

§. IV. Praeter fructus, incrementum omne, quod feudo caſu, natura, vel induſtria accedit, pertinet ad vaſſallum; nec quidquam refert, num feudo cohaereat, an ab eo ſeparatum ſit: idque poſtulat natura dominii utilis in eum translati, quod in genere ſuo perfectum eſt, & latiſſime patet, quum, excepto directo, quod expers eſt omnis utilitatis, ius univerſum ipſi competat. Itaque alluvionis incrementum, alveus a flumine derelictus, inſula in feudo nata, iure dominii utilis ſpectant ad vaſſallum, quamvis

(9) *Argum. t.* 52. *& 55. lib.* 2.

Digitized by Google

vis ea inveſtitura expreſſa non ſint, feudoque aperto, ad dominum tranſibunt. Quumque vaſſallus pro domino habeatur, ad eum pertinet theſaurus in fundo feudali repertus; parique iure adquiritur emphyteutae, ad quem commoda & incommoda fortunae ſpectant. Vexatiſſimus de incrementis eſt textus Feudiſtae (10): *Si quis de manſo uno feudi nomine inveſtituram acceperit, & dixerit, quod omne incrementum pertineat ad eum per inveſtituram, ſi dominus reſervaverit ſibi aliquid in ipſa curte, tunc oportebit, fidelem incrementi inveſtituram per pares curiae, vel per breve teſtatum probare; ſed ſi dominus in ipſa curte nihil ſibi retinuit, tunc omne incrementum iure feudi fidelis obtinebit. Si vero fidelis in poſſeſſione incrementi fuerit, non oportebit eum inveſtituram probare, ſed iurare.* Agitur hîc de omni incremento, quod vaſſallo addicitur, quum dominus in inveſtitura nihil ſibi reſervaverit; quo caſu ſi dominus in incrementi poſſeſſione reperiatur, illud vaſſallo reddere cogitur, quin hic ulla probatione indigeat, quia dominus totum conceſſiſſe praeſumitur, ſive incrementum tempore inveſtiturae fuerit, ſive poſtea adquiſitum: nec nova pro incremento inveſtitura requiritur, quum feudo tamquam univerſitati accedat, quae augmenti, & deminutionis capax eſt. Sunt qui exceptionem illam, *niſi dominus reſervaverit ſibi aliquid in ipſa curte*, ſic explicant, ut ſi quid ſibi reſervaverit, veluti hortum, viridarium, nullum ad

(10) *I. F.* 4. §. 5.

Digitized by Google

vaſſallum pertineat incrementum, propterea quod cum dominus ne praeſentem quidem totius rei utilitatem largiatur, multo minus ſpem futurae concedere videatur. At enim Feudiſta videtur intelligendus non de domino, qui aliquid ſibi ex feudo, ſed ex eius incrementis, excipiat; cum enim regula ſit omne incrementum vaſſalli eſſe, illud aliquid, quod ſibi dominus reſervet, in quo poſita eſt exceptio, ad incrementum eſt referendum. Deinde ſi partem manſi (*a*) dominus in feudum dederit, pro parte incrementum vaſſallo cedet; quod enim de toto dicitur, ad partem quoque adcommodari ſolet (11).

§. V. Iure noſtro non licet baroni *caſtra*, ideſt loca munita, extruere in feudo, nec diruta reficere ſine venia Regis, uti ſancivit Gulielmus II. (12). Inde colligunt forenſes, nec etiam poſſe baronem ſine regio adſenſu loca inhabitata novis aedificiis ad incolendum ornare, etiamſi aliquando fuerint habitata; qui adſenſus concedi ſolet, ſi novi habitatores ſint exteri, ne damnum afferatur vicinis civitatibus vel caſtris cum demanialibus, tum feudalibus, e quibus cives facile demigrabunt. Nec etiam poteſt baro in feudo prope mare poſito portum conſtituere, ut ibi

(a) *Manſus* ſeu *manſum* erat certa agri portio, quae colebatur, & in qua coloni aedes erat. Illum duodecim terrae iugeribus conſtitiſſe dicit Papias: *Manſus dictus a manendo, quod integrum ſit duodecim iugeribus*. Conf. Dufreſne in *Gloſſar. h. v.*

(11) *L.* 82. *D. de adquir. hered.*

(12) *Conſt.* caſtra *de novis aedificiis*.

Digitized by Google

ibi naves tuto consistant, ceu Capycius (13) aliique tradunt; portuum enim constitutio inter regalia refertur, adeoque consensus Principis requiritur. In Regno nostro portus custodiuntur a regiis officialibus, quos *Portulanos* appellant. Nec tandem baroni licet nundinas in feudo suo instituere sine venia Regis, ut ex *l. unic. C. de nundin.* colligunt Bartholus, aliique. In eo impetrando adsensu aperiendum est, an praeiudicium vicinioribus locis afferatur; non enim Princeps praesumitur voluisse privilegium concedere cum aliena iactura (14). Quod si vicini praeiudicium exprimatur, & nihilo secius Rex novis nundinis assentiatur, tunc ex potestate sua iuri alterius expresse derogat (15).

CAP. XIV.

De iurisdictione feudali.

§. I. HAbent feudatarii iurisdictionem civilem, criminalem, & mixtam, uti vulgo loqui amant, sive iurisdictionem atque imperium merum & mixtum, in homines feudi, itemque iura quaedam tam in personas, quam bona eorumdem. De tota hac re nunc agendum, ac primum de baronum iurisdictione. Nomine iurisdictionis venit *notio iure magistratus competens*. Ab ea differt imperium, quod aut *merum*

(13) *In investitura feud. v. portus.*
(14) *L. 2. D. ne quid in loc. publ.*
(15) *Cit. l. 2.*

Digitized by Google

eſt, aut *mixtum*. Illud eſt *poteſtas gladii ad animadvertendum in facinoroſos*; hoc vero eſt *ius modicam coërcitionem infligendi*, ſemperque iuriſdictioni cohaeret, quippe quae ſine imperio mixto exerceri nequit (1).

§. II. Iuriſdictio baronum in vaſſallos ex iure quaſi dominii, ſeu praedii proficiſcitur; quae iuriſdictionis ſpecies Romanis ignota fuit, & diu poſt inſtituta feuda emerſit. Nimirum, exciſa Romani imperii maieſtate, novam veluti faciem barbaricis temporibus induit iuriſdictio. Iure Romano iuriſdictio non eſt in commercio, ius gladii mandari nequit, cohaeret perſonae, non rei, nec praeſcribi poteſt. At poſteriorum gentium moribus iuriſdictio tamquam quid patrimoniale habetur, caſtro & praedio cohaeret, vendi, donari, oppignerari, in feudum dari, ad heredes tranſmitti, & praeſcriptione adquiri poteſt. Eleganter de hac re Bodinus (2): *In imperio*, inquit, *Duces, Comites, Marchiones, & qui arces provinciarum habent, a Principe iuriſdictionem ac imperium olim habuere precarium; deinde Capeti conceſſu perpetuum: tandem hereditario iure in maſculos tranſmiſſum: poſtremo etiam feminis conceſſum; tandem Principum ignavia factum, ut imperia, iuriſdictiones, poteſtates, perinde ac praedia ipſa, iure commerciorum in omnibus fere Occidentis regionibus ac imperiis ſub haſta proſcribere liceat: ut eodem iure, quo cetera hereditaria, venaliaque bona haberentur.*

(1) Vide de hac re Nood *de iuriſdictione & imperio.*
(2) *De rep. lib. III. cap. 5.*

Digitized by Google

tur. Haec igitur iurisdictio, quae, quod praediis cohaerere videtur, nec tamen cohaeret, praediatoria dicitur. Barbaricis etiam moribus, spreta Romani iuris divisione, iurisdictio in *altam*, *bassam*, & *infimam* tributa est. Altam Duces, Comites, & Missi Dominici, mediam Centenarii (*a*), infimam minores iudices habebant. In veteri Charta an. MCXLVI. (3) Gaucherus de Castellione *dat eis omnem censum suum, & homines, quos habet apud Castellionem, & macellum cum omni iure macellarii, & omni iustitia, alta, media, & bassa, per totam terram, & dominium eorum.* Quum itaque sequiorum gentium iurisdictio a Romana sit diversa, huic adcommodari nequeunt Romanae leges, quae de iurisdictione & imperio decernunt.

§. III. Celebris est iurisdictio *patrimonialis*, seu *realis*, hoc est, potestas feudatariorum iudicandi causas rusticorum, & nonnumquam animadvertendi in facinorosos, ipsi feudo inhaerens, cumque eo alienabilis. Ea in Germania suos habuit natales, & exinde ad alios populos, in quos olim coloniae Germanorum pervenerunt, perrepsit. Originem patrimonialis iurisdictionis ad saeculum XIII. referunt Conringius (4), & Hertius (5). Contra ab antiqua potestate dominorum

(a) Centenarii ita dicti sunt, quod centum *mansiones*, seu territoria haberent in ditione sua. Conf. Murator. *Antiq. Italic. diss. X.*

(3) Apud Franc. Roye *lib. II. de iurib. honorif. cap. 4.*

(4) *De iudiciis reip. Germ.* §. 75.

(5) *De Consult. legib. & iudiciis in specialibus Romano-Germ. imperii rebuspublicis* §. 22. *T. II. Opusc.*

Digitized by Google

rum Germanicorum in homines proprios, seu servos & libertos, alioſque ruſticos, arceſsunt Thomaſius (6), & Heineccius (7). Quidquid ſit de tempore, certum eſt, Germanicam hanc iuriſdictionem Romanis ignotam fuiſse. Ea enim realis eſt, nempe ipſi feudo cohaeret; contra apud Romanos omnis iuriſdictio erat perſonalis. Adhaec cum feudo alienatur, ad heredes tranſit, praeſcribi poteſt, iiſdem modis amittitur, quibus ipſum feudum: quae omnia ab indole Romanae iuriſdictionis quam maxime abludunt.

§. IV. Iam vero ex natura feudi habet baro dumtaxat utile dominium, quaeque inde promanant iura. Nihil ſane cum feudis commune habet iuriſdictio civilis, aut criminalis, diuque poſt inſtituta feuda ab iis abfuit. Satis enim compertum eſt, ſub barbarorum dominatione merum imperium Ducibus, Comitibus, & Miſſis Dominicis, iuriſdictionem vero minoribus iudicibus, demandatam fuiſse (8). Nulla in vetuſtiſſimis feudorum inveſtituris iuriſdictionis baronibus indultae mentio comparet. Poſtea invaluit, aliquam iuriſdictionis ſpeciem feudis adnecti, ad ipſius feudi ſaltem conſervationem, iura coloniae, & praediatoria, quam barbari *baſſam* vocarunt. Deinde iuriſdictio feudis adiungi coepit; unde in vetuſtis conceſſionibus *feu-*

(6) *Diſſ. de hominib. propriis* §. 87.
(7) *Exerc. VI. de origine & indole iuriſdictionis patrimonialis* §. 10. *ſeqq. T. V. Opuſc.*
(8) Conf. Roye *diſſ. de Miſſis Dominicis*, quaeque *lib. I. cap. II. III. & IV.* diſſeruimus.

Digitized by Google

feudà & iurisdictiones coniunguntur. Tandem, re in deterius prolapsa, etiam merum imperium fundo beneficiario adnexum est.

§. V. Quod spectat ad Regnum nostrum, sub Nortmannis, Suevis, & Andegavensibus barones nullam iurisdictionem, imperium nullum in homines feudi habuere. Merum quidem imperium *suae celsitudinis* esse profitetur Fridericus II. (9). Illud a Iustitiario M. Curiae, ac Iustitiariis provinciarum exercebatur (10). Idem Rex noster (11) publicatione bonorum coërcet barones, qui Iustitiariorum munus in suis feudis usurpant. Civilem vero iurisdictionem in civitatibus & oppidis baiuli exercebant (12). Ne minimas quidem causas barones in feudis suis cognoscebant. Etenim Fridericus II. (13) iussit, causas omnes definiri tantum a Iustitiariis, aut baiulis, ceteriseve iudicibus a se constitutis, adeoque leviores etiam causas baiuli in feudis cognoscebant. In legibus Nortmannorum, Suevorum, & Andegavensium nihil iuris baronibus datur, quam adiutorium moderate exigendi a vassallis: qua de re cap. seq. dicam. Nec sub Andegavensibus barones iurisdictione, aut imperio

(9) *Const.* ea quae ad speciale decus, *tit. quod nullus praelatus, comes &c.*, & *const.* cum satis, *tit. qua poena universitatis* &c.

(10) *Const.* magnae Curiae *lib. I. t.* 40., & *const.* Iustitiarii, *tit. de officio Iustitiaratus*.

(11) *Cit. const.* ea quae ad speciale decus.

(12) *Const.* locorum baiuli, *tit. de cognitione causae coram baiulis*.

(13) *Cit. const.* cum satis.

Digitized by Google

rio inſtructi fuere. Refert enim Marinus Freccia (14), Carolum I., quum Salernum, aliaſque urbes ac terras dediſſet Carolo filio ſuo cum titulo principatus, ſingulari iure iuriſdictionem tantum civilem in his civitatibus conceſſiſſe; in ipſa vero civitate Salerni criminalem iuriſdictionem adſignaſſe intra circuitum tantum murorum dictae civitatis, & non ultra. Quid peculiari privilegio, tantaque reſtrictione opus fuiſſet, ſi tunc barones iuriſdictione atque imperio armati fuiſſent? Tandem Ioanna I. (15) vetat, barones merum imperium exercere, quod Iuſtitiariorum erat.

§. VI. Sub Aragonenſibus iuriſdictio, & merum imperium baronibus indultum eſt; ſed quo auctore, ac tempore, non ſatis liquet. Conſtantius (16) ius gladii a Roberto Rege baronibus datum ſcribit. Capiblancus (17) vero id a Ioanna II. factum adfirmat. Uterque nullo idoneo vade agit. Equidem iis adſtipulor, qui Alfonſum I. Aragonium barones poteſtate gladii armaſſe putant. Is enim cum in Sicilia regnaret, & a Ioanna II. adoptatus regnum Apuliae obtinuiſſet, hunc morem apud nos invexit ex Sicilia, in qua iam ante Alfonſum barones merum imperium habuiſſe patet ex capitulo XLVIII. Martini Regis. Deinceps in morem abiit feudum concedendi *cum iuriſdictione, ac imperio mero & mixto*. De in-

(14) *De ſubfeudis lib. II. auct. 2. n. 2.*
(15) *In capitulo* item quod Iuſtitiarii.
(16) *Hiſt. Neap. lib. VI.*
(17) *De baronib. part. I. in pragm. 8. n. 66.*

Digitized by Google

interpretatione eiusmodi formularum, quae in investituris occurrunt, iam supra cap. II. §. 7. disputavimus.

§. VII. Sub Aragonensibus quoque investiturae feudorum inseri coepit clausula, *cum quatuor litteris arbitrariis*. Has Robertus Rex ad provinciarum Iustitiarios misit. Prima extat in *Capitulo iuris censura*, qua permisit Capitaneo Neapolis & Puteolorum, ut iuris ordine non servato procederet in reorum inquisitione. Secunda incipit *provisa iuris sanctio*, qua iustitiariis permisit, spretis sollemnitatibus, omni tempore, etiam paschatis, damnare, aut quaestioni subiicere publicos latrones, alioque graviorum criminum reos. Tertia est in *Capitulo exercere volentes*, qua concedit praesidibus provinciarum commutare poenas cum multa pecuniaria in crimine asportationis armorum, homicidii clandestini, desertae accusationis, aliisque iudicis arbitrio relictis. Quarta tandem est in *Capitulo ne tuorum*, qua sine querela & accusatione procedi statuit in ulciscenda iniuria clerico, pupillo, viduae illata, in homicidiis clandestinis, atque crimine, quod capite, membrive abscissione vindicatur.

§. VIII. Iam Regni barones non solum mero mixtoque imperio, verum etiam potestate litterarum arbitrariarum aucti, tamquam reguli in suis dynastiis regia fere potestate utuntur. Hinc M. Curiae, ac Regum nostrorum potestas non parum imminuta. Num vero his concessionibus, quibus privati ius vitae necisque exercent, tantaque potestate instructi sunt, monar-

Digitized by Google

narchiae rationibus bene consultum sit, alii viderint. Eiusmodi quidem concessione *merum imperium profanatum*, iamdiu observavit de Franchis (18). Tam effusam potestatem adimere baronibus decrevit Carolus VIII.; at brevitat regni consilium perficere non potuit, uti testatur Choppinus (19).

§. IX. Barones itaque litteris arbitrariis instructi possunt corporales poenas componere, seu mutare in pecuniarias, secundum capitulum *exercere volentes*. Iure nostro componere licet in iis tantum criminibus, quae morte naturali, aut membri abscissione expianda non sunt (20). Nec ad compositionem admittitur reus sine partis laesae consensu, sive *remissione* (21). Quum autem disputaretur, quinam possit remissionem dare, ab eo tantum praestari posse cautum est (22), qui ut proximior ad legitimam defuncti successionem admitteretur. Quod si barones potestate componendi crimina abutantur, Rex transactionem cum reo initam rescindet, illisque ea potestate ad tempus, vel in perpetuum interdicet (23).

§. X. Illud quaeritur, an liceat vassallo alienae iurisdictioni se ultro subiicere, sicque a iurisdictione baronis se subducere? Iure civili iudex incompetens consensu partium fieri com-

pe-

(18) *Dec. 320. n.9.*
(19) *De doman. Francor. lib.II. tit. 1. n. 10.*
(20) *Pragm. 2. de compos.* Vid. de Franchis *dec.273.*
(21) *Cit. pragm. 2., & rit. 272. seq.*
(22) *Pragm. VII. eod.*
(23) *Pragm. 6. de barenib.*

Digitized by Google

petens potest (24). At Romani iuris sententia ad barones deflecti nequit, quippe qui iurisdictionem habent iure *quasi dominii*, quod iurisdictionis genus Romanae leges ignorarunt: & certe de his, qui iurisdictione pollent iure quasi dominii, aliud Romanum ius statuisset. Accedit, quod sicut adversus iura Principis, qui iure dominii regnum possidet, privati facere non possunt, nempe ut in iudicem extra regnum consentiant, ne fines imperii transgrediantur; ita de barone sentiendum est, qui iure quasi dominii feudum possidet, cuius fines vassallis egredi nefas est. Hinc solent barones petere ac obtinere remissionem causarum a M. Curia, aliisque ad propriam Curiam; nisi fuerint personae miserabiles, quae fori electionem habent beneficio *l. unic. C. quando imperator int. pupill. & vid.* Quod si baro cognitionem habeat secundarum & tertiarum causarum, nequeunt vassalli, omisso medio, ad suprema tribunalia appellare. Sed quoniam poterat olim a quocumque iudice ad M. C. appellari, ideo cavit *pragmatica VII. de offic. S. R. C.* licere ad M. Curiam, vel S. Consilium provocari, salvis tamen baronum privilegiis.

§. XI. Ceterum iurisdictio inter regalia est, adeoque privatis non competit, nisi ex concessione Principis. Hinc barones eam exercere nequeunt, nisi, & quatenus in investitura fuerit concessa. Fridericus II. (25) feudi publicatione ani-

(24) *L. 14. D. de iurisd.*, *& L. 1. D. de iudic.*
(25) *Cit. const.* ea quae ad speciale decus.

Digitized by Google

animadvertit in barones, qui munera Iuſtitiariorum, & iuriſdictionem ipſis non conceſſam uſurpant. Idem cavit *pragmatica VII. de baronibus*, qua aliud, praeter ea, quae virtute privilegiorum, & legitima praeſcriptione quaeſiverunt, baronibus exercere interdicitur; ſi ſecus fecerint, *uſurpatae iuriſdictionis rei* pronuntiantur: quibus verbis ſpectare videtur Friderici conſtitutionem, qua uſurpatae iuriſdictionis crimen feudi publicatione punitur. Sed eiuſmodi poena hodie non ſervatur (26).

§. XII. Olim barones ipſi hominibus ſuis ius dicebant. Quod vero periculi plena res eſt, eos per ſe iuriſdictionem exercere, quodque iure ſuo plerumque abuterentur; iamdiu iuſſi ſunt, illam per officiales ſuos exercere. Ita barones iuriſdictionem quidem iure quaſi dominii poſſident, eius autem exercitio carent. Conſtituere itaque tenentur gubernatores iuris dicundi gratia, iiſque competens ſalarium rependere; quamvis officiales per abuſum, vix accepto muneris codicillo, ſoleant chirographo baronibus tradito honorarium, quod numquam acceperunt, ſibi iam repraeſentatum profiteri. Cives eſſe officiales nequeunt, ne propinquis ſuis prodeſſe, & inimicis obeſſe queant (27): nec exteri homines ad id muneris eligi poſſunt, ne fuga ſyndicatum eludant. Si baro duo habeat feuda vicina, non prohibetur uni feudo gubernatorem prae-

(26) Vid. Afflict. *dec.* 265. *n.* 7.
(27) Vid. Afflict. *in conſt.* Iuſtitiarii per provincias, & de Franchis *dec.* 98.

Digitized by Google

praeficere, quem adeant cives eius loci, quo gubernator sedem non habet; vicinitas enim incommodum adeundi maxime levat: nec porro adigendus est baro, qui parum emolumenti ex parvis feudis percipit, duobus gubernatoribus duo salaria pendere (28). Et quamvis ab immemorabili tempore gubernator in pago aliquo numquam sedem habuerit, sed certis mensibus, vel hebdomadae diebus accedere ad pagum consueverit, potest tamen baro gubernatorem constituere, qui ibi resideat; nam contrarius diuturni temporis usus praesumitur inductus in gratiam baronis, qui ex regulis iuris certum cuilibet feudo gubernatorem praeficere tenetur (29). Quod vero interdum officialis est iuris imperitus, tenetur baro eligere, aut saltem permittere, ut ipse officialis eligat, *Assessorem*, seu *Consultorem ordinarium*, qui illi consulat, atque ius suggerat. Ecquid, quaeso, ab eo non metuendum, qui ducitur *ut nervis alienis mobile lignum*, ceu belle Horatius?

§. XIII. Annalis esse officialis debet (30). Olim annus a kalendis Ianuariis incipiebat (31): tum a kalendis Septembribus numerari coepit. Nequit autem baro officialem intra annum amovere, aut annale tempus producere (32), Hinc si quando barones intra annum removent offi-

(28) Capiblancus *in pragm. 3. de baronib.*
(29) Conf. de Franchis *dec.* 166.
(30) *Pragm. 5. de baronib.*
(31) Afflictus *in const. occupatis nobis.*
(32) Carolus II. *in capit. electionem*, Robertus *in capit. opportuna.*

Digitized by Google

ciales, id per S. Consilium emendatur, nec remotio rata habetur, nisi iusta de caussa, quam idem S. Consilium expendit. Electiones item officialium baronalium *ad beneplacitum* factae per S. Consilium revocantur, & officiales esse annales iubentur (33). Num liceat baroni alium eligere intra annum officiali consentiente, sed universitate contradicente? Refert de Franchis (34) disputatum de hac re in S. Consilio fuisse, nihilque definitum; etsi in eam sententiam pendere videretur, non licere. Frequens enim officialium mutatio damnosa esse solet universitatibus, quibus maxime consultum leges voluerunt. Accedit, quod facile possunt officiales pecunia duci ad colludendum cum baronibus, fraudemque legibus facere. Anne id potest baro, consentiente etiam universitate? Negant nonnulli ob regulam iuris, *ius publicum privatorum pactis infringi non posse* (35). At enim consuetudine, quae optima est legum interpres, receptum est, ut universitate non contradicente officiales baronum etiam ultra annum munere suo fungi possint: quae consuetudo supponit, legem, quae officiales in munere esse ultra annum vetat, in gratiam universitatis latam fuisse; omnes autem *licentiam habent his, quae pro se indulta sunt, renunciare*, ut inquit Iustinianus (36). Quin officialem intra annum munere

(33) De Franchis *dec.* 409. *n.* 2.
(34) *Cit. dec.*
(35) *L.* 30. *D. de pact.*
(36) *L.* 51. *C. de episcop. & cleric.*

Digitized by Google

re se abdicare non posse, scribunt non pauci (37).

§. XIV. Quum officiales sint ordinarii iudices, nequeunt barones intra annum causas ab ipsis avocare, aliisque committere dirimendas. Anne possunt ii causam in prima instantia a gubernatore suo ad se avocare? Adfirmat Rovitus (38) ob textum Paulli (39) aientis, *iudicium solvi vetante eo, qui iudicare iusserat, vel etiam eo, qui maius imperium in eadem iurisdictione habet.* Sed magis est, ut id baronibus non liceat. Quamvis enim iurisdictionem habeant, eam tamen iure nostro exercere vetantur; Paullus autem de eo loquitur, qui & habet, & exercet iurisdictionem.

§. XV. Si officialis abesse debeat, eius locumtenentem baro constituet, aut ipse sibi eliget officialis diebus quindecim, uti mos est. Num locumtenens esse civis possit, quaesitum est. Exterum esse debere ea summa exposcit ratio, quae officiales ipsos esse cives vetat. Quod si substitui ad modicum tempus debeat, ex civibus deligi posse putant de Franchis (40), Rovitus (41), aliique. Sane modicum tempus in iure non attenditur, & porro difficile est, exterum idoneum ad paucos dies invenire locum-

(37) Vid. de Luca *ad cit. dec. de Franchis*, & Tapia *lib. II. Iur. Regn. t. 1. ad d. pragm. 9. n. 1.*
(38) *In pragm. 2. de suspic. offic.*
(39) *L. 58. D. de iudic.*
(40) *Dec. 98.*
(41) *In pragm. 5. de syndic. offic.*

Digitized by Google

tenentem. Secus ſentit Petra (42), quod intra modicum tempus poſſit civis prodeſse ſuis, ac inimicis obeſse queat, quae quidem ratio levis non eſt; at potior eſt illa in contrarium comparata, ſi nempe caſus abſentiae gubernatoris contingat ex improviſo, quum adhiberi civis non poſſit, facile univerſitates prorſus carerent officiali, quod longe maius incommodum eſt.

§. XVI. Exacto anno officiales adminiſtrationis rationem, ſeu *ſyndicatum*, reddere tenentur, nec a loco abire poſſunt, niſi ſyndicatu dato. Eius praeſtandi modum praeſcribunt leges noſtrae (43). Nec tempore ſyndicatus adeſse baro poteſt, ne eius metu, aut reverentia cives querelis abſtineant. Porro ad iuſtitiam adminiſtrandam promoveri nequit officialis, niſi litteras *liberatorias* oſtendat (44). Officialis etiam ſyndicatui ſubiicitur pro iis, quae locumtenens a ſe electus in caſu abſentiae geſſit (45). Quod ad *Conſultorem ordinarium*, qui officiali imperito ius explicat, ſi fuerit a barone delectus, is debet de recte adminiſtrando & parendo ſyndicatui cavere (46), ſin ab ipſo officiali, is ſyndicatui non ſubiicitur, ſed officialis pro eo tenetur, quippe mala electio eſt in cauſsa.

CA-

(42) *In rit. 63. n. 13.*
(43) *Pragm. 1. de Syndic. offic.*
(44) *Rit. 283.*
(45) Rovit. *in d. pragm. 1. n. 54.*, de Franch. *dec. 98. n. 4.*
(46) *Pragm. item caveant de offic. proc. Caeſ.*

Digitized by Google

CAP. XV.

De iuribus feudatariorum.

§. I. PRaeter iurisdictionem habent barones iura quaedam tam in personas, quam bona vassallorum suorum. Iura in personas sunt exactio *adiutorii*, & *angariae ac parangariae*. Quod ad primum, inde usque a monarchiae cunabulis barones pecuniarium subsidium ab hominibus suis exigebant, necessitate impellente. Quod vero hoc iure abuterentur, & adiutorium pro arbitrio extorquerent, expostulantibus vassallis, Gulielmus I. (1) certos definivit casus, in quibus id liceret. Iussit itaque barones laicos *adiutorium* (*a*) ab hominibus suis exigere his tantum casibus. (I) *Pro redimenda persona domini, si forte ab inimicis nostris in servitio nostro captus fuerit*. Et quamvis baro, qui Regi militans, captus est ab hostibus, redimendus esse videatur aere ipsius Regis, cui militabat; tamen quia iusto suscepto bello universitatibus Regni consulitur, onus redimendi baronis haud inique vassallos constringit, modo baro aere suo redimi commode nequeat. (II) *Pro faciendo milite filio baronis*. Quod si baro ipse militiae nomen dederit, nequit auxilium exigere. Quum

 enim

(a) In constitutionibus Siciliae *adiutorium*, seu *auxilium*, est praestatio, quae a vassallis fit pro barone in suis necessitatibus adiuvando, in casibus a lege permissis.

(1) *Const.* quamplurium *de adiutoriis exigendis ab hominibus*.

Digitized by Google

enim Gulielmi conſtitutio ad incertum ius definiendum condita ſit, tantumque de *filio* baronis loquatur, ad caſus non expreſſos producendá non eſt; ſecus incertum ius rediret. Debetur etiam adiutorium pro faciendo milite fratre baronis, uti cavit Fridericus II. (2). Sed haec omnia deſueverunt, propterea quod olim barones aere ſuo, nunc omnes mercede conducti militant. (III) *Pro maritanda filia, vel ſorore* baronis. Iam inde a Roberti Guiſcardi temporibus pro collocanda filia auxilium exactum eſt a vaſſallis. Refert enim Guilelmus Apulus (3), Guiſcardum Mathilde ſecundogenita filia Raymundo Berengarii Comiti Barcinonenſi nuptui collocata, auxilium a vaſſallis ſuis exegiſſe. Si plures baro filias, aut ſorores habeat, pro ſingulis elocandis adiutorium recte petet; quae enim ratio pro una, eadem urget pro pluribus. Ita in hac ſpecie ſingularis numerus pro plurali accipiendus. Accedit argumentum ex Friderici II. (4) conſtitutione petitum. Ibi permittitur baroni auxilium depoſcere *pro ſororibus maritandis*. Inquit Gulielmus *pro ſorore*; Fridericus autem de eadem re loquens *pro ſororibus*. Cur deterior eſſe debet conditio filiarum, quam ſororum? Quemadmodum ergo ubi ſermo eſt de *ſorore* ſingularis numerus loco pluralis eſt; ita etiam ubi *de filia* ſermo inſtituitur. Debetur quoque adiutorium pro maritanda nepte ex filio primogenito, ut

(2) *Conſt.* comitibus *de adiutoriis pro militia fratris.*
(3) *Lib. III. rer. Normannicar.*
(4) *Cit. conſt.* comitibus.

Digitized by Google

ut in Regeſtis Roberti Regis declaratum teſtatur Afflictus (5): itemque pro collocanda amita, ad quam ſpeciem a Carolo II. conſtitutionem Gulielmi productam ſcribit Iſernia (6). Et quamvis Caroli auctoritas deeſſet, in eumdem ſenſum conſtitutio Gulielmi accipienda eſſet; amita enim ea eſt, cuius elocandae gratia, ſi pater baronis viveret, vaſſallos ad auxilium cogeret. Quod de feminis nuptui dandis cautum eſt, idem de monaſticam vitam profitentibus intelligendum; valet enim argumentum a temporali ad ſpirituale matrimonium: ſicque conſtitutionis verba Carolum II. fuiſſe interpretatum teſtatur Afflictus (7). Ceterum baro pro nuptiis ſive ſuis, ſive filii adiutorium exigere nequit, quia tunc dotem cum uxore, aut nuru accipit, adeoque ditatur. Tota vero auxilii ratio in eo eſt poſita, quod aequum ſit, baronibus, qui iuſta aliqua de cauſſa pauperes fiunt, per vaſſallos adiuvari. (IV) Tandem rite adiutorium exigitur *pro emenda terra, videlicet ea tantum vice, cum eam emerit pro ſervitio noſtro, vel exercitus noſtri, moderate tamen in his, quae pro noſtro corredo dantur* (b).

§. II. Continuo Gulielmus tranſit ad praela-

(b) Non ſolum in Regno Siciliae, verum etiam in Gallia, & alibi obtinuit eiuſmodi auxilium *pro emtione terrae in vita domini ſemel facienda*, ut eſt in Pacto an. MCCCX. inito inter Carolum Vadenſium & Andium Comitem, & Barones Andegavenſes & Cenomanenſes, aliiſque chartis apud Dufreſne in *Gloſſar.* v. *auxilium*.

(5) *In d. conſt.* quamplurium.

(6) *In cit. conſt.*

(7) *In d. conſt. n.* 37.

Digitized by Google

tos ecclesiarum, qui feuda in capite tenent, inque quinque ob causas adiutorium ab hominibus suis exigere sinit: nempe *pro consecratione sua; cum ad concilium a domino Papa fuerint vocati; pro servitio exercitus nostri, si quidem in exercitu nostro fuerint; vel si vocemus eos, vel miserimus eos pro servitiis nostris; vel corredo nostro, cum in terris eorum nos hospitari, vel corredum ab eis recipere contigerit.* Rex itaque episcopis baronibus *pro consecratione sua* auxilium a subditis exigere concessit. Sequioribus temporibus tributum domino solvi consuevit, cum primum dignitatem aliquam est adsecutus, quod *adventus iocundus* audiit. Ab episcopis etiam eiusmodi praestationes exactas legimus in Gestis Abbatum S. Germani Antissiodorensis (8), aliisque monumentis. Praeterea cum a Summo Pontifice ad concilium, vel a Rege vocantur pro eius servitio. Mos enim fuit, episcopos & abbates ad Concilium, vel ad curiam Pontificis, aut Regis aulam profecturos, adiutorium exigere (9). Item cum a Rege ad exercitus sui servitium evocantur, dummodo in exercitu fuerint. Auxilium tandem exigendi facultatem episcopis Gulielmus indulsit *pro corredo suo*, cum in terris eorum Regem hospitari, vel *corredum* ab iis recipere contingeret. Erat corredium procuratio, seu convivium, quod dominis praestabatur a vassallis ex iure definito, quoties per illo-

(8) *Cap.* 18.
(9) Vid. Iac. Petitum *post Poenitentiale Theodori Cantuar. p.* 666. & 717.

Digitized by Google

illorum terras pergebant. De eo sic Speculator (10): *Imperatori*, inquit, *servitium a vassallis deberi pro carredo imperiali, ut videlicet quando Imperator transierit per illum locum, contribuant in sumtibus eius.* Ab eiusmodi onere nemo fere privatorum eximebatur, quippe qui Reges, Duces, & Missos dominicos hospitari tenebantur (11). Ceterum in expressis casibus dominos sive laicos, sive ecclesiasticos adintorium *moderate* a subditis exigere iussit Gulielmus, quantitatem tamen non definivit. Et usu receptum est, ut filiae baronis nubenti singulae familiae carolenos quinque, monastica vero vota nuncupanti dimidium contribuant.

§. III. Competit etiam baronibus nostris exactio *angariae & parangariae*. Haec Graecae originis vocabula aliud in iure Romano, aliud apud medii aevi scriptores, aliud in patriis legibus significant. In iure civili angariae & parangariae sunt praestationes iumentorum, plaustrorum, navium, & operarum ad transvehendas res Caesaris, annonam militarem, & similia, a quo onere nemo provincialium eximebatur [12]. Hinc intelligis, quod sacris litteris scriptum est, Simonem Cyrenaeum *angariatum fuisse*, quod crucem Domini tollere coactus fuerit. In eo autem angariae differebant a paranga-

(10) *Tit. de feud. l. 4. part. 3.*
(11) Vid. Thomasin. *de vet. & nov. eccles. discipl. part. III. lib. I. cap. 39.*
(12) Vid. Iac. Gothofred. *ad l. 4. C. Th. de curs. public.*

Digitized by Google

gariis, quod angariae dicebantur, cum transvectio fieret per vias publicas, seu consulares, per quas dispositus erat cursus publicus; parangariae vero, si per vias publicas, in quibus tamen cursus publicus dispositus non erat (13). Verum apud sequioris aetatis scriptores angariae sunt vassallorum operae baroni praestandae, angarii vero homines operis obnoxii. Sic Ranfridus Ictus, qui anno MCCXV. scribebat, angarios definit, *qui servitium faciunt propriis expensis, puta tot operas in septimana: & sic vulgariter dicuntur in multis partibus angarii. Et tales villani, qui de personis faciunt operas, vocantur vulgariter angarii*. Eadem notione vocem hanc usurpat Fridericus II. (14), dum cavit, ut *nullus angarius, vel villicus, seu quicumque villanus, qui in villis & casibus habitat*, contra baronem testis adhibeatur. Sed recepta nostratum consuetudine angariae dicuntur praestationes operarum baroni debitae sine vassallorum impensis; parangariae vero vassallorum sumtibus. Hinc angarii dicuntur vassalli, qui servitia personalia praestare baroni tenentur accepta mercede; parangarii vero qui sine mercede ea debent, veluti baronis vineam fodere, hortos irrigare, terram colere, segetes metere, & similia opera praestare.

§. IV. De origine angariorum & parangariorum sic habe. Excisa Romani imperii maiesta-

te,

(13) Conf. Nic. Bergierium *de publicis & militaribus Imperii Romani viis*, apud Graevium *Thes. Antiq. Rom. tom. X.*

(14) *Const.* profequentes *de pugnis sublatis*.

Digitized by Google

te, alia a barbaris invecta est politia, laesa dominiorum conditio, & libertas hominum imminuta. Hinc in eorum legibus *homines proprii, villici, rustici, servi adscriptitii, coloni*, saepe comparent. Ab his barones personalia iura exigebant, praesertim agrorum curam, a quibus sine ipsorum venia discedere nefas erat, & ad alios una cum praediis transferri poterant. Id etiam apud nos sub Nortmannis observatum est. Rogerius Rex *donavit unicuique militi quinque modia terrae, & quinque villanos*, teste Falcone Beneventano (15). Raynaldus Avenellus donavit Liparitano Abbati *molendinum, & decem villanos cum omnibus rebus suis, & familiis*, ut est apud Pirrum (16). Eiusmodi adscriptitii sine consensu domini sacros ordines suscipere non poterant, ne illi servitiis sibi debitis exciderent inviti, uti Rogerius I. (17), & Fridericus II. (18) constituerunt. Tenebantur in feudo baronis habitare, quum sint pars feudi, & ad eius fructus pertineant (19): nec adversus baronem in causa criminali vel civili testimonium perhibere poterant (20). Iam ab adscriptitiis in eo dumtaxat differebant angarii & parangarii, quod illi praedio alodiali, hi feudali personalia servitia praestabant.

§. V.

(15) *In Chronic. ad an.* 1140.
(16) *In Sicil. Sacr. tom. II. lib.* 4. *p.* 771.
(17) *Const.* errores *de his, qui debent accedere ad ordinem clericat.*
(18) *Const.* adscriptitios *de villanis non ordinandis.*
(19) *Const.* quisquis *de revocandis transeuntib. ad alien. iurisdict.*
(20) *Const.* prosequentes *de pugnis sublatis.*

Digitized by Google

§. V. Quum angariae & parangariae inter regalia numerentur, & ſervitutis imaginem praeſeferant, imponi a baronibus nequeunt ſine Regis venia. Fridericus II. (21) generatim edixit, ne quis ob terram, aut feudum ab alio acceptum *perpetuis ſervitiis* ſe addiceret ſine Regis conſenſu: *Nos enim*, inquit, *qui ſumus domini perſonarum, abſque noſtrae Serenitatis aſſenſu perſonas ſervitiis perpetuis, aut conditionibus nolumus obligari*. Quare nemini licet angarias & parangarias exigere, niſi ſpeciatim ei conceſſae ſint. Quin illis rite ab initio conſtitutis novus baro uti nequit, niſi eius facultatis ſpecialis mentio in aſſenſu fiat, uti ſcite Affli-ctus (22). Nec conceſſo feudo generali clauſula *cum angariis* & *parangariis*, novum ius earum conſtituendarum datum intelligitur baroni, ſed rite ab initio conſtitutis utendi. Diſerte Carolus V. (23) expreſſit, eam formulam *de antiqua conſuetudine & ſtilo* adiici ſolitam, nec per eam induci novas angarias & parangarias, ſed illis dumtaxat utendi, quae tempore conceſſionis *iuſto titulo*, *aut legitima praeſcriptione* adquiſita inveniebantur.

§. VI. Iura baronum realia, quae ex ipſa re feudali fluunt, ſunt *decimae feudales*, *terragia*, *glandaticum*, *fida*; item ius panis in furno ba-

(21) *Conſt.* quia frequenter *de hominibus non tenendis ratione terrae vel feudi*.

(22) *In cit. conſt. col.* 2.

(23) *Pragm. XVI. de baronib.* Conf. Rovit. *in h. pragm.* Capyc. *dec.* 118. & de Marin. *lib. I. reſol.* 107.

Digitized by Google

baronum coquendi, frumenti in eorum piſtrinis terendi, olei in trapetis feudalibus exprimendi, eſculenta & poculenta ex ipſorum tabernis emendi, idque genus alia iura, quae ob ipſam rem feudalem barones habent. Quum eiuſmodi iura naturalem vaſſallorum utilitatem imminuant, nec feudis neceſſario adhaereant, tum baronibus debentur, quum eadem in prima feudi inveſtitura ſpeciatim conceſſa ſint. Vulgaris enim clauſula *cum decimis*, *terragiis*, *furnis*, *trapetis*, aliiſve ſupra memoratis, nullum ius novum confert, ſed ea tantum comprehendit, quae tempore inveſtiturae iuſto titulo, vel legitima praeſcriptione iam feudo quaeſita fuerant, quum eiuſmodi clauſula *de ſtilo* appoſita cenſeri debeat, uti ſtatuit Carolus V. (24). Ita baroni ius furni, trapeti, aliudve contendenti, non prodeſt iniecta eius iuris in inveſtitura mentio, ſed probare debet, iuſto titulo, veluti emtione, tranſactione, aut legitima praeſcriptione, ius hoc ſibi quaeſiviſſe.

§. VII. Ceterum caveant barones, ne naturalem civium libertatem laedant. Quare vaſſalli poſſunt libere res ſuas vendere, quin ulla baronibus praelatio competat, niſi in comparandis rebus quotidianae neceſſitatis, uti ſancivit Ferdinandus I. (25). Nec fideiubere pro barone poſſunt, quum eiuſmodi fideiuſſiones vi cenſeantur extortae, uti cavit Carolus V. (26): quod ad feu-

(24) *Cit. pragm.* 16. *de baronib.*
(25) *Pragm.* 1. *de baronib.*
(26) *Pragm.* 10. *eod.*

Digitized by Google

feudi conductorem producunt doctores, qui in locum baronis ſuffectus videtur. At ſi vaſſalli ſponte ſine ulla laeſione fideiuſſerint, recte eos contraxiſſe ſcribit de Marinis (27). Porro vetantur barones cogere vaſſallos, ut gabellas, furnos, molendina, trapetos, defenſas, alioſque feudi reditus conducant, ut idem cavit Carolus V. (28). Item novas exactiones, tributa, aliave onera vaſſallis imponere nequeunt ſine Regis adſenſu (29). Pari modo iiſdem non licet ex demaniis univerſitatis defenſas ſibi conſtituere, ne communem civium uſum intercipiant (30). Ipſis vero demaniis univerſitatis modeſte uti iubentur, tamquam boni cives, ne aliorum civium uſum & commodum imminuant (31).

CAP. XVI.

De officiis vaſſallorum.

§. I. Officia vaſſalli erga dominum fide, & ſervitiis potiſſimum continentur. Poſtulat fides, ne quid vaſſallus faciat, quo iniuriam, vel damnum inferat domino; contra ea faciat, quae in eius honorem & utilitatem redundent (1). Hinc prohibetur eum delicti accuſare (2): non pe-

(27) *Ad Reverter. obſ.* 386.
(28) *Pragm.* 13. *eod.*
(29) *Cit. pragm.* 10.
(30) *Prag.* 11. *eod.*
(31) *Pragm.* 12. *eod.*
(1) *II. F.* 5. 6. 7. & 23.
(2) *II. F.* 24. §. 2.

Digitized by Google

petita venia in ius vocare (3): actione famoſa experiri (4): adverſus eumdem teſtimonium dicere in cauſſa criminali, & civili gravi, non item modica, ne grave damnum teſtimonio vaſſalli domino afferatur, quod illius officio non convenit (5). Mitto cetera, quae ad fidem pertinent. Id addam, mutata domini aut vaſſalli perſona, renovationem inveſtiturae petendam eſſe. Mutatur dominus, aut vaſſallus non ſolum morte, ſed etiam quocumque alio modo directum, aut utile dominium in alium tranſfertur. Mortuo itaque domino tenetur vaſſallus ſe ſiſtere eius heredi, ut ei fidelitatem ſpondeat, novamque obtineat inveſtituram, quam quidem ille, licet minor ſit, modo non infans (quo caſu tutores ſupplebunt) recte concedet (6). Neque enim ibi periculum eſt damni, uti eſt, cum de novo feudo concedendo agitur (7). Si plures ſint heredes, una ſufficit fidelitatis praeſtatio (8); quare domini, quotquot ſunt, pro uno cenſentur, ne vaſſallus plus iuſto oneretur, ſive quod fidem, ſive quod ſervitia ſpectat. Viceverſa vaſſallo mortuo debet ſucceſſor petere inveſtiturae renovationem intra annum & diem; ſecus feudum amittit, niſi iuſta cauſſa intervenerit, aut dominus poenam remittat (9). Si vero

(3) *Argum. l.* 13. *D. de in ius vocand.*
(4) *Argum. lib. II. t.* 33. §. 1.
(5) *II. F.* 33. §. 1.
(6) *Cit. lib. II. t.* 3.
(7) *Cit. t.* 3.
(8) *II. F.* 55. §. 1.
(9) *II. F.* 24.

Digitized by Google

ro impubes sit, renovationem petere non cogitur (10). Quod si plures sint heredes, feudumque omnes possideant, tenentur omnes; sin ad unum eorum feudum pervenerit, is tantum tenebitur (11).

§. II. Servitia consistunt in operis a vassallo praestandis, vel in obsequium & honorem domini, & *obsequiales* dici possunt, vel in eius utilitatem ac auxilium, & *artificiales* vocari queunt. Praestari autem debent aut secundum pacta investiturae adiecta, aut ad normam iuris communis, aut peculiaris (12), & quidem adversus quemlibet etiam sanguine coniunctissimum (13), & ubi dominus iis indigeat, sive intra, sive extra territorium (14). Praecipua sunt militaria; quum ideo concessa sint feuda, ut praesto essent, qui dominum belli tempore adiuvarent. Hinc vassalli passim *milites* dicti, ad bellum proficisci, aut certam fructuum, vel pecuniae quantitatem contribuere tenentur, quae contributiones *hostenditiae* (a) adpellatae sunt, quia

(10) *II. F.* 26. §. 5.
(11) *Cit. t.* 26. §. 4.
(12) *II. F.* 23. & 55.
(13) *II. F.* 28. §. *ult.*
(14) *II. F.* 40. & 54.

(a) Primaevo feudorum iure vassallus ipse militare servitium praestare domino tenebatur. Postea inductum, ut per substitutum aeque idoneum praestare posset, si nempe vassallus legitime impediretur, aut esset persona ecclesiastica, femina, impubes, universitas. Primus omnium Lotharius Imp. *lib. II. F. t.* 40. cavit, *in petendis hostenditiis (hostenditiae dicuntur adiutorium, quod faciunt domini Romani cum Rege in hostem pergentibus) vassalli,* qui

quia tum erant pendendae, quum eſſet hoſtibus reſiſtendum (15). Ceterum onus praeſtandi ſervitia plerumque perſonae cohaeret, quum eius fides, integritas & induſtria electa potiſſimum videatur. Sed nonnumquam per ſubſtitutum praeſtantur, ſi iuſta aliqua cauſſa impediat, quominus vaſſallus per ſe ipſe praeſtet (16).

§. III. Ipſi Eccleſiae Praelati & Abbates, non ſecus ac laici vaſſalli, ob feuda quae poſſidebant, hoſti & expeditioni obnoxii erant. Generalis in Gallia, Germania, Italia, aliiſque regionibus conſuetudo fuit, ut Epiſcopi & Abbates feudatarii militare ſervitium per ſe exhiberent. Recens eſt inventum, a primaeva feudorum natura abhorrens, ſervitium a vaſſallis ſive laicis, ſive eccleſiaſticis, per ſubſtitutum praeſtari, uti ſcite Petrus de Marca (17). Hinc in

qui cum eis non vadunt: verbi gratia, in Lombardia de modio XII. denarios: in Teutonica terra tertiam partem fructuum, facta computatione fructuum ſolummodo eius anni, quo hoſtem faciunt. Sunt ergo *hoſtenditiae* praeſtationes pecuniae, quae fiunt a vaſſallis, ſi ad expeditionem cum domino pergere nolint, ſic dictae, quod pecunia impenderetur contra hoſtem, ſive pro hoſtis, ſeu belli ſumtibus; namque hoſtis *exercitum*, *caſtra*, *bellum* apud ſequiores ſcriptores ſignificat. Conf. Cangium in *Gloſſar.* v. hoſtis, & Strauchium *diſſ. de hoſtenditiis*. Quantitas hoſtenditii non eadem ubique fuit. In Longobardia de quolibet modio terrae feudalis XII. denarii; in Alemannia vero tertia pars fructuum illius anni pendebatur. Tandem Fridericus I. Imp. *lib. II. F. t.* 55. §. *firmiter* dimidium reditus feudi unius anni tam in Italia, quam Alemannia eſſe iuſſit.

(15) *II. F.* 40. 54. 55. §. 1. (16) *II. F.* 26. §. 5.
(17) *Lib. VIII. de C. S. & I. cap.* 19. *n.* 1.

Digitized by Google

barbaricis monumentis militaris Praelatorum disciplina, armatorum copia ab iis retenta, strenuitas, & exercituum regimen commendatur. Quod haud iniuria Latinis obiectum a Graecis praesertim, & a Michaële Cerulario Patriarcha CP. (18). In Regno nostro sub Nortmannis praelatos barones in hostem perrexisse, liquet etiam ex Gulielmo I. (19), qui episcopis baronibus adiutorium exigere a vassallis suis permisit etiam *pro servitio exercitus nostri, si quidem in exercitu nostro fuerint*. In Gallia potissimum Episcopos & Abbates ipsos praeliis interfuisse, inque iis quandoque caesos, constat ex Gregorio Turonensi (20), Supplicatione Episcoporum in Concilio Wormathiensi (21), Orderico Vitali (22), aliisque vetustis scriptoribus. Sed postea ex praedicta Episcoporum Supplicatione, Carolus M. sanxit, ut nullus in posterum sacerdos in *hostem pergeret, nisi duo vel tres episcopi electione ceterorum propter benedictionem populique reconciliationem: & cum illis electi sacerdotes, qui bene scirent populis poenitentias dare, Missas celebrare &c.* Eumdem Carolum hortatur Hadrianus P. (23), *ut non permittat, episcopos vel presbyteros militarem induere armaturam:* quod an-

(18) *In ep. ad Petrum Antiochen.* Conf. Dufresne *not. ad Alexiadem pag.* 358.
(19) *Const.* quamplurium *de adiut. exigend.*
(20) *Lib. IV. hist. Franc. cap. 37. lib. V. cap. 20. & lib. VIII. cap. 39.*
(21) *Lib. VI. Capitul. Caroli M. cap.* 285.
(22) *Lib. IV. hist. eccles. ad an.* 1070. *p.* 523.
(23) *Ep.* 72. *ad Carol. M. in Cod. Carolino.*

Digitized by Google

antea Pipino inſinuaverat Zacharias P. (24). Verum non diu ſtetit Caroli M. conſtitutio, eoque deinde res venit, ut Epiſcopi & Abbates in hoſtem cum vaſſallis ſuis pergere cogerentur, non ſecus ac ceteri barones: quod conſtat potiſſimum ex libello proclamationis Caroli C. adverſus Wenilonem Archiepiſcopum Senonenſem (25), Concilio Vernenſi an. DCCCXLIV. (26), & Conſtitutione Ludovici II. Imp. de expeditione Beneventana an. DCCCLXVII. (27). Hanc militaris ſervitii obligationem agnoverunt ipſi Epiſcopi in ſuis diplomatibus. Exinde paſſim epiſcopos in caſtris cum vaſſallis ſuis exhibent poſteriores ſcriptores, Monachus Floriacenſis (28), Adam Bremenſis (29), Ordericus Vitalis (30), Radevicus (31), Ivo Carnotenſis (32), Stephanus Tornacenſis (33), aliique. Epiſcopis vero, qui in *hoſtem* ſubmoniti erant, *auxilium* conferebant vaſſalli, ut ex Charta Friderici I. Imp. an. MCLVII. pro Archiepiſcopo Viennenſi (34), & Gulielmi I. ſanctione (35) conſtat.

§. IV. Verum quid tum in caſtris ac exerci-

(24) *Ep.* 5. *ad Pipinum in eod. Codic.*
(25) *Cap.* 6. 13.
(26) *Can.* 8.
(27) *Cap.* 6. & 7. apud Camill. Peregrinum.
(28) *Lib. IV. Miracular. S. Benedict. cap.* 24.
(29) *Cap.* 38.
(30) *Lib. XII. p.* 856.
(31) *Lib. III. de geſt. Frideric. cap.* 11.
(32) *Ep.* 28.
(33) *Ep.* 279. *edit. Molinet.*
(34) Apud Leurium *in Antiquit. Viennenſ. cap.* 42.
(35) *Cit. conſt.* quamplurium.

Digitized by Google

tibus agerent Episcopi & Abbates, instarne militum loricas, induerent, ac praeliarentur, vulgo quaeritur. Sane constat, generatim loquendo, arma non tractasse, nec praeliis interfuisse Praelatos : sed erant in castris, ut militare explerent servitium, cui ob feuda erant obnoxii, perinde ac laici. Praeterea castris intererant, ut milites ad rem strenue gerendam hortarentur, iisque benedictionem impertirentur. Et quamvis eo animo in castra regia se se conferrent Praelati, inque ea deductis vassallis suis, pietatis officiis vacare debuissent ; interdum tamen, ut erant animi magnitudine praediti, quique ex ingenito ardore toti Martem spirarent ; vel certe, ut dum milite in ipso praelii procinctu adhortarentur, ab h. . m munirentur iaculis & gladiis, loricas induebant. Sic Episcopum Podiensem *vestitum lorica, & dextera manu Salvatoris lanceam tenentem*, & Cruce signatos adhortantem in bello sacro, describit Robertus Montensis (36). Et Rogerium episcopum Liddensem, *militem in armis strenuum, & actibus militaribus insignem*, praedicat Gulielmus Tyrius (37). Sic etiam Philippus Drocensis episcopus Bellovacensis loricatus interfuit praelio adversus Anglos an. MCXCVI., ac ne canonum oblitus videretur, clava hostes prosternere a pontificali officio haud alienum duxit. At episcopo ab hostibus capto, dum Summus Pontifex de eo liberando cum Ioanne Angliae Rege ageret, hic *praecepit*, ut

lo-

(36) *Lib. VII. hist. Hierosolymit.*
(37) *Lib. IV. de bello sacro cap. 26.*

Digitized by Google

lorica episcopi exuta, inquit Matthaeus Paris, *ipsi Papae praesentaretur, & diceretur: Vide, an tunica filii tui sit, an non? Cui Papa: Non filius meus est, vel ecclesiae: ad Regis autem voluntatem redimetur, quia potius Martis, quam Christi miles iudicatur.* Et Caelestinus ipse Pontifex in epistola ad eumdem episcopum, dum adhuc captivus teneretur: *Praesulem namque pacificum exuens militem bellicosum induisti, clypeum pro infula, gladium pro stola, loricam pro alba, galeam pro mitra, lanceam pro baculo pastorali, ordinem rerum & seriem pervertens, temerarius baiulasti.* Ita prorsus constat damnatos semper ab ecclesia Praelatos & Sacerdotes, qui praeliis interfuerunt (38). Fuit tamen, cum contra paganos arma exercere fas esset, nec canonum sancitis contrarium censuere Praelati & Sacerdotes. Hinc eos passim bellis sacris, ipsisque interfuisse praeliis, inque iis interdum caesos legimus (39). Mitto episcopos, qui posthabitis ecclesiae regulis, arma induere, praeliisque interfuerunt.

CAP. XVII.

De adoba.

§. I. FEudorum onera vel dominum spectant, vel vassalli consanguineos. Prioris generis

(38) Vid. Zieglerum *opusc. de episcopo milite in veteri ecclesia invisо.*

(39) Vid. Dufresne in excursu *de hoste & exercitu episcoporum.* Ext. *in Gloss. med. & infim. Latinit.* v. hostis.

Digitized by Google

sunt *adoha*, & *relevium*; posterioris vero *vita-militia*, & *paragium*. Heic de adoha primo loco agendum est.

§. II. In Regno nostro in locum servitii personis surrogata est annua pecuniae praestatio, quam vulgo *adoham* (*a*) dicimus. Ea definitur *certa pe-*

(a) Pecunia, quae loco servitii militaris per feudatarios praestatur, dicta est *adoha*, *adohamentum*, *adogamentum*, *addoamentum*. Hoc sensu usurpatur in diplomate Gulielmi I. Regis an. MCLIV. edito, quod extat in Bullario Casinensi *tom. I. p.* 175., ubi legitur: *Eum ab omni iugo servitutis, vel adoamenti perpetuo mandamus manere liberum & exemtum tam in demaniis, quam feudalibus.* In Charta etiam Friderici II. Imp. an. MCCXXI. in eodem Bullario Casinensi *tom. 2. p.* 252. habetur: *Eximentes castra, casalia, & homines ipsius monasterii ab omni iugo servitutis, vel adhogamenti, sive de demanio, sive de feudis fuerint.* In Chronico Ricardi de S. Germano an. MCCXXXV. scriptum est: *Imperator* (Fridericus) *generalem collectam toti Regno imponit, & tunc collectae fuerunt de Terra Monasterii unc.* 400. *pro adoamento* (male *pro adoramento* legitur apud Murator. *Rer. Ital. Script. tom. VII.*). Eodem sensu *addohamentum* occurrit in Capitulis Honorii IV. PP. pro Regno Neap. apud Raynaldum *ad an. MCCLXXXV. n.* 48., atque *adohamentum* in diplomate Caroli Ducis Calabriae, filii Roberti Regis an. MCCCXXVIII. apud Ughellum *Ital. Sacr. tom. I. in Episcopis Aprutin. n.* 21. Undenam vero adohae nomen descendat, quaeritur. Andreas Capanus *de iure adohae quaest.* 1. & 2. aliique permulti dictum putant a barbara voce *adohare*, idest *adunare* (unde etiam *Dohana*, vel *Doana*, idest palatium, in quo plures merces adunantur). Putant enim barones parvorum feudorum, qui de tertia, quarta &c. parte militis taxati fuerant, quum eorum quisque non posset solus contribuere aut equitem, aut integram expensam, qua opus erat, inter se convenisse, ut coniunctim summam conficerent pro exhibendo milite, atque ab hac unione, quae tunc barbara voce *adohare*

pecuniae quantitas, quam loco militarium servitiorum barones quotannis Regi persolvunt (*b*). Quum enim barones omnes militari servitio abstringerentur, ipsimet in hostem pergere debebant, suisque sumtibus secum ducere tot milites, quot eorum

hare dicebatur, ipsam pecuniam, quae de feudis adunatis solvebatur, *adoham*, *adohamentum* adpellatam fuisse. At haec originatio nullo veteri monumento fulcitur. Qui enim *adoha* descendere a barbara voce *adohare* potuit, quae numquam extitit? Magis est, ut adfirmetur, adoham esse vocem corruptam a Latino *adaugmentum* ad significandum augmentum taxae, & deinceps adhibitam ad integrum militare servitium cum toto augmento denotandum. Sane in nostro catalogo post enumeratos milites, quos subfeudatarii Ricardi de Aquila contribuere debebant, legitur: *Una de proprio feudo milites* 18. *& de Addoamento* 18. *Una inter feudum, & Augmentum milites* 36. Duodeviginti erant milites taxati subfeudatariorum, & totidem dederunt de augmento, ita ut omnes essent 36. Antea dicitur: *De Addoamento* 18., inde: *Inter feudum, & augmentum* 36. Quare iis temporibus *addoamentum* idem erat ac *augmentum*: cuiusmodi sane augmentum commune & universale fuit, quum in hoc catalogo barones fere omnes exhibeant augmentum suae taxae. Suspicor itaque, quod quemadmodum hoc incrementum dicebatur *augmentum*, ita etiam *adaugmentum* &c., quod eodem redit, nuncupatum fuisse; inde pronunciata diphtongo *au* per *o* (uti ex *taurus*, & *aurum* dicimus *toro*, & *oro*) Italice dictum *adogmento*, aut dulcius *adogamento*, atque hoc rursus Latine reddito, scriptum fuisse *adohamentum*, & *addohamentum*, ut in vetustioribus scripturis legitur, & contractum postea *adoha*. Sed μικρολογον diutius agere nec vacat, nec lubet.

(b) Ex instituto de hoc re differunt Andreas Capanus *de iure adohae*, *Neap.* 1636. *f.*, & Iac. de Ayello in *tract. de iure adohae, relevii, atque subsidii*, qui post tractatum Aegidii Thomasi *de Collectis* editus est Lugduni 1559. 8. At ii multa potius congerunt, quam bona.

Digitized by Google

feudo taxati fuerant. Unde in libris feudorum (1) praecipui feudatarii vocantur *Capitanei Regis*, aut *Regni*. Quod si in bellum proficiſci non poſſent, aut nollent, in pecunia praeſtare debebant ſervitium militare feudis ſuis indictum: quod etiam ab eorum valvaſinis, bellum detrectantibus, factum eſt. Plurimum lucis huic rei offundit catalogus baronum Regni, ſub Gulielmo II. contextus, ob ſervitium ei praeſtandum pro expeditione Terrae Sanctae (c), monumentum fere coaevum feudorum apud nos origini. Principio legitur: *Robertus de Beneth dixit, quod demanium ſuum (d) eſt Beneth, quod tenet in capite a Domino*

(1) *I. F.* 1.

(c) Pretioſum hoc cimelium, in quo omnium feudatariorum, & ſubfeudatariorum Regni nomina, ipſa feuda & ſubfeuda, locorum antiquae nomenclationes, militaria ſervitia, aliaque feudalem diſciplinam patriam illuſtrantia, continentur, ex Regeſto Reg. Camerae anni 2322. edidit Carolus Borrellus *Vind. Neap. nobilit. in fin.* Idem adnotationibus noſtris illuſtratum exhibebimus in *Codice iuris feudalis Regni Neapolitani*, quem Deo dante in lucem emittemus.

(d) In hoc catalogo *demanium* plerumque non ſignificat praedium ad fiſcum pertinens, nullique iure feudi conceſſum, ſed feudum ab eodem feudatario poſſeſſum, non in ſubfeudum alteri datum. Hinc diſtinctio inter feudum & ſubfeudum tunc temporis exprimebatur formulis, *tenere in demanio*, ac *tenere in ſervitio*: quarum prima ſignificabatur feudum plene a barone ipſo poſſideri; altera vero, feudum teneri, ſed alteri in ſubfeudum datum cum onere ſervitii. Labitur Dufreſne *in Gloſſar.* v. ſervitium, ſcribens, *tenere in demanio* denotare nudam proprietatem; & *tenere in ſervitio* proprietatem ſimul cum onere ſervitii militaris. Ex laudato enim catalogo, barones pro feudis, quae poſſidebant in *demanio*, praeſtare te-

Digitized by Google

mino Rege, quod eſt feudum quinque militum; & cum augmento obtulit undecim milites, & duodecim ſervientes. Item: *Manaſſes tenet feudum* 1. *mil. & cum augmento obtulit milites* 2. *Una de proprio feudo milites* 18. *& de addoamento* 18. *una inter feudum, & augmentum milites* 36. Tenebantur ergo feudatarii certum militum numerum mittere ad bellum; qui non pedites, ſed equites erant, tunc *milites* vulgo dicti, quorum quiſque, praeter equum bene inſtructum, ſecum ducere debebat unum, duoſve ſcutiferos equitantes, qui domini clypeum, & lanceam deferrent, atque neceſſitate urgente etiam ipſi dimicabant, aut ſuum equum & arma praebebant, ſi ea dominus in praelio amiſiſſet: atque hi in laudato catalogo nunc *ſervientes*, nunc *pedites* appellantur. Paſſim in eodem catalogo occurrunt feuda taxata unius militis, dimidii militis, militis cum dimidio, militis cum quarto, item tertiae, quintae, ſeptimae partis militis: cuiuſmodi militare ſervitium in pecunia praeſtabatur. Ita legitur: *Daneſius te-*

tenebantur militare ſervitium aut per ſe, aut proprio aere; pro iis vero, quae poſſidebant *in ſervitio*, nullum exhibere ſervitium debebant, niſi ſumtibus ſuorum ſubvaſſallorum: unde *tenere in demanio* tunc ſignificabat proprietatem & uſumfructum, adeoque ſerviendi etiam onus; atque *tenere in ſervitio* ſolam proprietatem ſine uſufructu, proindeque ſine proprio onere. Idem liquet ex donatione dotali a Rege Guliélmo II. Ioannae coniugi facta apud Io. Brontonium in *Chronic. ad an.* MCLXXVI. quam Dufreſne ibid. perperam interpretatur. Rem rite intellexit Gul. Somnerus in *Gloſſar. ad hiſt. Anglican.* v. demanium, quem adi.

Digitized by Google

tenet in Andria feudum 1. *mil. Goffridus filius Duranti tenet in Ydronto feud.* 1. *mil. & dimidii, & cum augmento obtulit milites* 3. *Robertus filius Biſancii tenet in Genaſio quartam partem feudi* 1. *mil., & cum augmento obtulit ſepſum. Filii Riccardi Iudicis tenent tertiam partem* 1. *militis* (e). Sub Suevis & Andegavenſibus non

(e) In memorato catalogo ſaepe occurrunt feuda cum onere dimidii militis, militis cum dimidio, militis cum quarto, tertiae, quartae, quintae, ſeptimae partis militis. Ita, praeter iam relatos, legimus inter feudatarios Tarenti: *Milites Tarenti habentes feuda non integra. Maruldicius tenet in Tarento quintam partem feudi militis* 1. *& cum augmento obtulit ſeipſum ad cuſtodiam maritimae. Filius Goffridi de Luciano tenet in Tarento quartam partem* 1. *mil. & cum augmento obtulit medium militem. Punginata in Tarento tenet ſeptimam partem feudi* 1. *mil. & cum augmento obtulit militem medium. Filius Maroldi tenet in Tarento tertiam partem feudi* 1. *militis &c.* In fine ſubiungitur: *Summa praedictorum militum ſunt integra feuda* II. *& medium, & quinta, & cum augmento mittent in exercitu milites V. & tertiam.* Similia feuda his temporibus occurrunt in Nortmannia, unde in noſtras regiones a Nortmannis invecta fuere. Conf. catalogum feudorum inſcriptum, *Feoda Normanniae*, atque *Scriptum de ſervitiis militum, quae debentur Duci Normanniae*, apud Ducheſne *in Colleſt. Scriptor. Normann. in appendic.* Iam vero ſcribit Dufreſné in *Gloſſar.* v. feudum militare, vel militis, feudatarios obſtrictos fuiſſe Regem in expeditionem pergentem comitari per 40. dies armis omnibus & equis inſtructos, ſi eorum feudum eſſet unius militis; ſi vero feudum dimidii eſſet militis, per 20.; ſi denique quartae partis militis, per 10. Verum, hac admiſſa interpretatione, quid Regibus profuiſſet eiuſmodi ſervitium militare? Nam plerumque in itinere faciſſent a multis eorum militibus relicti, antequam deſtinatum locum attingerent. Praeterea quum multi feudatariorum noſtrorum obtuliſſent augmentum operis ſui, hoc de-

Digitized by Google

non eadem fuit militaris servitii exigendi ratio, Fri-

debuisset importare incrementum dierum, ex Dufresnii sententia, non augmentum militum, & servientium, uti saepe in nostro catalogo observatur, ubi inter alios legitur in §. *de Valle Marsi*. *Raul de Falascosa tenet ob eodem Comite feud.* 3. *mil. &c. Inter feuda, & augmenta servitii obtulit milites* 139. *& servientes* 200. *Et si necessitas fuerit in Marchia, & in Provincia illa, habebit universam gentem suam*. Frustra Dufresne nititur Statuto Henrici II. Regis Angliae apud Hoveden. p. 614.: *Quicunque habet feodum unius militis, habeat loricam, & cassidem, & clypeum, & lanceam: & omnis miles habeat tot loricas, & clypeos, & lanceas, quot habuerit feoda militum in dominio suo*. Hic enim non iubentur feudatarii augere dies, sed arma pro tot militibus, quot praebere tenebantur. Nec quidquam Dufresnio suffragatur Charta apud Ughellum *Ital. Sacr. tom. 6. p. 866.*; namque ibi Rainulfus episcopus Teatinus loquitur de peculiari obligatione vi pacti constituta in concessione castri, praebendi scilicet quotannis Roberto regi servitium unius militis per 40. dies in Marca, aut annonam in terra Beneventana, pro varia scilicet necessitate. Equidem arbitror, medietatem, quartam, septimam &c. partem militis significare non numerum dierum, sed dimidium, quartam &c. sumtuum ad equitem sustentandum necessariorum. Id luculenter adparet ex alio catalogo baronum nostrorum, qui an. MCLXXII. contribuerunt pro alia expeditione sub Carolo I. Andegavensi, apud eumdem Borrellum *cit. loc*, ubi sub fin. legitur: *Qui omnes de Neapoli consueverunt, & debent conferre & solvere pro servitio* 17. *militum minus tertia*. Idem colligitur ex II. F. 54.: *Quicunque in dicta publica expeditione Romam Regem, aut sub Rege dominum suum non adiuverit, aut eundo cum ipso, aut pro quantitate feudi stipendia militiae persolvendo &c.* Ceterum in adsignanda agri quantitate pro feudo unius militis, dimidii &c., mire variant veteres chartae: quae quidem varietas repetenda est a mensura, quae diversa est pro diversis locis, reditu feudi, aut a domini voluntate, qui pro lubitu infeudationis conditiones exprimebat.

Digitized by Google

Fridericus II. in generali Capuae curia ſtatuit, *ut ſinguli feudatarii darent pro unoquoque feudo octo uncias auri, & de ſingulis octo feudis militem unum in proximo futuro menſe Maii, in quo ad Terrae Sanctae ſubſidium transfretare diſpoſuit*, teſte Richardo a S. Germano (2). In Honorii IV. PP. capitulis, tempore captivitatis Caroli II. conditis habetur, ut *barones, vel alii extra Regnum, nec ſervire perſonaliter, nec addohamenta praeſtare cogantur. In caſibus quoque, in quibus intra Regnum ſervire, vel addohamenta praeſtare tenentur, ſervitia exhibeant, & addohamenta praeſtent antiquitus conſueta, videlicet ut vel tribus menſibus perſonaliter ſerviant cum numero militum debitorum, vel pro ſingulis militibus ad quos tenentur pro quolibet trium menſium praedictorum tres uncias, & dimidium auri ſolvant, & haec ita de cetero inconcuſſe de noſtro praecepto, obſerventur*. Ipſe Carolus II. (3) edixit, feudatarios *ultra tempus trium menſium non teneri ſervire Curiae ſumtibus propriis, ſed ſi eos ultra praedictum tempus Curia voluerit in ſuo ſervitio retinere, ipſis GAGIA (f) dobeat miniſtrare*.

§. III. Iam bello ingruente per provinciarum Iuſtitiarios ſubmonebantur barones omnes, ut parati cum armis & equis mandata regia ope-

(f) *Gagium* ſequioribus ſcriptoribus eſt ſtipendium, merces. Hoc ſenſu uſurpatur in Bulla Bonifacii VIII. *tom. III. Conc. Hiſpan. p.* 536., in Chronic. Dominici de Gravina apud Murator. *S. R. I. tom. XII. col.* 576. 587. 676., aliiſque monumentis.

(2) *In Chronic. ad an.* 1227. (3) *In capitul.* item ſtatuimus, quod Comites, barones &c.

Digitized by Google

perirentur. Refert Richardus a S. Germano (4), Fridericum II. Abbati Caſſinenſi praecepiſſe, *ut centum ſervientes bene paratos inveniat cum expenſis & armis per annum neceſſariis ad ſervitium Terrae Sanctae.* Rurſus (5) narrat: *Barones & milites infeudati de Regno per Iuſtitiarios ſingulos, ut ſe in equis & armis praeparent, ſummonentur.* In Caroli I. Andegavenſis diplomate (6) habetur: *Ut armis, & equis opportunis decenter armati eſſe debeant in continuo apparatu, ad faciendum que ipſis mandabitur pro parte Curie.* In alio Roberti Regis diplomate, quod Fridericus Aragonius claſſe in varia Regni loca excurreret, praecipitur: *Volumus ... ut cum fuerit in Calabria, ab omnibus Feudatariis, & Stipendiariis ad te miſſis & mittendis ... in aliquo loco decenti MONSTRAM (g) recipias, quam in Quaternis tuo ſigillo munitis ſcribi facias diligenter.* Et Regina Ioanna I. verens, ne Regnum invaderetur, edicto XVII. Mart. MCCCXLVI. omnibus feudatariis praecepit, *quod ſtatim equis & armis decenter ſe muniant ad praeſtandum debitum & conſuetum militare ſervitium ... , ita quod*

(g) *Monſtrum, monſtra* (Italice *raſſegna, ordinanza militare*) cum milites recenſentur, vel ſe ſpectandos praebent ad militaria ſtipendia percipienda. Ea vox occurrit etiam in Hiſtoria Cortuſiorum *lib. I. cap. 5.: Dum Paduae fieret monſtra militum.* Hinc *monſtrare* eſt milites cenſere. Matth. Pariſ. an. 1253. Vid. Dufreſne in *Gloſſar.* v. monſtrum.

(4) *In Chronic. ad an.* 1228.

(5) *Ad ann.* 1239.

(6) Conſ. Ant. Chiaritum *ad Friderici II. conſt. de inſtrum. conſic. per Curial.*

Digitized by Google

quod infra menſem parati ſint in civitate Neapolis coram Magno Regni Siciliae Comeſtabulo debitam monſtram facere.

§. IV. Deinceps obtinuit, ut pro ſervitiis militaribus dumtaxat pecunia a feudatariis penderetur, ſicque adoha, uti nunc eſt, innotuit. Alphonſus I. Aragonius an. MCCCCXLII. (7) adoham baronibus noſtris remiſit, ad gratiam iis referendam, quod eorum opera Regno Apuliae, pulſis Andegavenſibus, potitus fuerit. Idem poſtea confirmavit Carolus V. Imp. Auſtriacus an. MDVII. (8), cui placuit *adoham tempore pacis in perpetuum modo aliquo non imponere, nec exigeret; tempore vero guerrae ſerventur iura, Capitula, Conſtitutiones, & Conſuetudines Regni*. Sub Ferdinando Catholico confectus eſt *Cedularius*, hoc eſt, liber adohae quantitates deſcribens, qui a *Quinternionibus* differt, in quibus feudales conceſſiones, pacta, & ſucceſſionis ratio continentur. Tandem ſub Philippo II. an. MDLXIV. adoha novam veluti faciem induit occaſione *donativi* introducti. Cautum enim eſt, tempore belli nullis impoſitionibus barones conſtringendos eſſe; ſed quotannis a toto Regno pro donativo ſolvendos Regi aureos 600000; quorum quarta pars, nempe 150000., a baronibus penderetur loco adohae. Haec autem quantitas dividitur inter barones ſecundum cuiuſque feudi reditus, ac ſemel in Cedulario conſtituta nec augetur, neque minuitur, ſive reditus feudi creſcant, ſive decre-

(7) *In Capit.* 10. *Gratian.*
(8) *Cit. cap.* 10. *Gratian.*

Digitized by Google

creſcant. Tunc tantum creſcit, ſi feudorum numerus decreſcat; minuitur vero, ſi feudorum numerus multiplicetur.

§. V. Praeter veterem eſt & nova adohae praeſtatio. Feudum enim interitu lineae aut felonia devolutum ſi Rex rurſus alteri concedat, adoham pro quantitate fructuum augere poteſt; quippe devolutione res alodialis evaſit, adeoque nova infeudatione legem quam velit dicere poteſt. Secus vero eſt, ſi feudum devolutum aere alieno ſit preſſum; non enim debet Rex adoham augere, ſi feudum adſenſu ſuo creditoribus obligatum fuerit, ne iis noceat, quibus ſatisfacere tenetur (9). Quod ſi baro feudum aut omnino, aut cum pacto redimendi alienet, vetus adoha nequit augeri; nam feudum alienatione priſtinas qualitates non amittit, ſed dumtaxat novus conſtituitur vaſſallus. Quumque R. Camera novam adoham augere contendiſſet, Carolus V. an. MDXXXVI. precibus annuens baronum (10) cavit, ut in alienationibus feudorum vetus adoha remaneret.

§. VI. Quum adoha reali ſervitio ſucceſſiſſet, onus eſt non perſonale, ſed reale ipſi feudo cohaerens, a quo ſine voluntate Regis divelli nequit. Ut contractui evictio, ita feudo ſervitium naturaliter inhaeret (11). Ubi facta inveſtitura eſt, fiſcus tacitam hypothecam ſuper feu-

(9) De Marinis *in obſ. ad Revert. dec. R. C.* 515.
(10) *Cap.* 10. *Gratiar.* Conf. Roſa *in praelud. feud. leſt. V.*
(11) Laratha *theſaur. part. XII. dilucid.* 36. & 37.

Digitized by Google

feudi fructus nanciſcitur pro adoha conſequenda (12). Quare actio fiſco competit adverſus quemcumque feudi poſſeſſorem. Appoſite Fridericus II. (13) ſtatuit: *Ut ſervitiorum noſtrorum exactio non fruſtretur, ab illis feudorum ſervitia debita volumus exigi, qui feuda ipſa quolibet titulo detinere noſcuntur.* Id tamen intelligendum, modo poſſeſſor fructus feudi percipiat. Hinc creditor, qui feudum poſſidet, fructuſque percipit, adoham ſolvit; ſin ob contumaciam debitoris in poſſeſſionem immiſſus eſt, at fructus non colligit, vaſſallus tum ſolvet. Conductor etiam, ſi fructus lucratur, adoham contribuit, item fructuarius, & uxor pro dotario (14).

§. VII. Solutio itaque adohae ſucceſſit in locum militarium ſervitiorum, quibus obſtringuntur feudatarii. Iure feudali optio datur vaſſallo vel in perſona, vel in pecunia ſervitium exhibere, uti ſupra dictum. At apud nos receptum, ut arbitrio Regis vaſſallus perſonale ſervitium, aut adoham praebeat; nam voluntate Regis adoha perſonali ſervitio ſubrogata eſt, cumque Rex ſit ſervitii creditor, & vaſſallus debitor, ei invito aliud pro alio ſolvi nequit (15). Quotannis adoha de omni feudo, niſi fuerit francum, ſolvenda eſt. Eam provinciarum Perceptores (*b*) tertia-

(12) Ponte *de poteſt. Proteg. tit. de regal. impoſit.* n. 10. *ſeq.*

(13) *Conſt.* ſive reali *de contumace convento.*

(14) Conf. Andr. Capanum *de iure adohae.*

(15) Afflict. *dec.* 320.

(h) In ſingulis provinciis ſunt Perceptores, ſeu Theſaurarii, qui baronum adohas, relevia, univerſitatum tributa,

Digitized by Google

tiatim exigunt, nulla praemissa monitione, quia pro hoc debito dies interpellat pro homine. Si baro adoham iusto tempore non solverit, feudo non privatur, ut de vassallis servitia detrectantibus feudales consuetudines (16) sanxerunt; sed pecunia mulctatur. Etenim Robertus Rex (17) vetuit, barones ob non praestitum personale servitium, vel adohamentum, feudis excidere.

CAP. XVIII.

De relevio, ubi de iure tapeti, & quindenniis.

§. I. RElevium a *relevando*, idest *renovando* dictum (*a*), est *pecuniaria pensio*, *quam*

buta, aliosque regios reditus colligunt, & ad Regis aerarium transmittunt, rationemque exactionis quolibet quatrimestri reddunt, in exitu vero anni totius administrationis. Id munus olim ad *Magistros Camerarios* pertinebat: qua de re consule nostra *Elementa iuris publici Neapolit. lib. I. cap. 9.*

(16) *II. F.* 21.

(17) *In capitul.* item statuimus, quod Comites, Barones &c.

(a) Relevium (barbara vox in libris feudorum ignota) dictum videtur a voce *relevare*, quae apud sequiores scriptores significat *renovare*. Hinc *relevare ecclesiam* est ecclesiam denuo extruere, renovare, ut in diplomate Conradi II. Imp. an. 1140. apud Marten. *tom. II. amplis. collect. col.* 110. Pariter *relevare feudum* est feudum caducum, vel morte vassalli in domini ius delapsum, illius consensu, certaque soluta pecunia, hereditario iure adire, possidere: seu potius in feudi caduci possessionem a domino mitti. Quum enim ea primum feudorum fuerit conditio, ut non nisi ad vitam utenda concederentur, qua finita ad dominum redibant; postea tacito usu introdu-

quam novus vassallus domino praestat in signum novi beneficii, dum iure hereditario petit investiturae renovationem. Haec relevii solutio in consuetudinibus feudalibus nusquam legitur; quum investiturae renovatio gratis, non pretio sit facienda, sive domini, sive vassalli persona mutetur. Sed moribus gentium inductum est relevium, ut nempe toties aliquid pretii domino in beneficii recognitionem & obsequium praeberetur, quoties vassalli persona successione mutaretur. Videtur quidem relevium exemplo *laudimii* (b) ex iure emphyteutico in feudale invectum. Quemadmodum enim in alodialibus novus emphyteuta *laudimium*, ideſt quinquagesimam pretii partem, domino solvit in agnitionem dominii directi; ita in feudalibus receptum est, ut successor in feudo ex iure hereditario relevium, seu pretium in feudo recognoscendo, seniori tribuat pro introitu, ideſt pro accipienda feudi possessione. In Regno relevium inductum est moribus, non iure scripto; sed quo primum tempore, incertum est. Nec in fructibus, sed in pecunia praestatur: & loco investiturae successit, adeoque novus vassallus

ductum est, ut illa in heredes transirent, domino ita consentiente, & caducam hereditatem in eum transferente, soluto certo pretio, quo heres caducum praedium relevabat. Cangius *in Gloss.* v. *relevare*.

(b) Laudimium sic dictum vel a *laudando*, quod ita dominus superior recognoscatur, vel a barbara voce *leudes*, quae hominem fidelem & subiectum significat. De eo fuse Ant. Niger *tract. de laudemio*, & Georg. Franzkius *de laudimiis*.

Digitized by Google

lis investiturae renovationem petere non tenetur (1).

§. II. Porro relevium solvendum est, quoties morte alicuius, praecipue ex iure hereditario, petenda est investitura, quasi in agnitionem dominii directi. Obligatio itaque relevii solvendi heredibus feudalibus incumbit, etsi dumtaxat in feudo, non etiam alodio instituti sint, adeoque feudatarii mortem naturalem interveniat necesse est. Quare relevium non solvit, qui morte civili feudatarii succedit, veluti foriudicato, quum is proprie heres non sit, & porro Fridericus II. (2) *ἁπλως* meminit *mortis*, quo nomine naturalis venit, non civilis, nisi in iure exprimatur (3). Idem dicendum de eo, qui baroni religionem professo succedit, quia adhuc heres non est, quum ille nondum decesserit. Praeterea liberatur a relevio, qui contractu, non successione feudum adipiscitur. Hinc illud non solvit donatarius caussa mortis, non redimens feudum a defuncto alienatum cum pacto retrovendendi, non mulier pro dotario, nec socius regiae liberalitatis, qui vacantem feudi partem iure non decrescendi adquirit. Hinc etiam refutatarius morte refutantis relevium non solvit, nec item pater, si morte filii ad se revertatur feudum, quod antea illi refutaverat. Quod vero saepe refutatio, donatio, aliique contractus in fraudem fisci celebrarentur, R. Camera cavit,

(1) Rovit. *ad pragm. 6. de feud. n. 90.*
(2) *Const.* post mortem *de morte baronis dumtaxat.*
(3) *L. 121. §. 2. D. de V. O.*

Digitized by Google

vit, ut hi contractus clauſulam contineant, *ſalvis iuribus R. C. exigendi relevium ſecuta morte refutantis*, vel *donantis*, inque Fiſci arbitrio poſitum eſt, petere relevium morte refutantis, aut refutatarii. Carolus V. an. MDLVII. (4) ſtatuit, feuda a patre contemplatione matrimonii filiis refutata, vel donata, eſſe eiuſdem naturae feudi antiqui, atque erant penes patrem, ac morte patris relevium ſolvi. Nec refert, an refutans refutatario, donator donatario & viciſſim ſuccedat; nam refutans in feudo refutato ſuccedit, ut heres, quia refutatione dominium tranſiit in refutatarium, adeoque relevium ſolvit (5). Olim in R. Camera quaeſitum, legato feudo ex Regis adſenſu, uter ſolvere relevium teneatur, legatariuſne, an heres univerſalis? Et ab herede ſolvendum eſſe videtur, quia legatarius oneribus hereditariis non obſtringitur. Quumque id ſatis acerbum ſit, uſu receptum eſt, adſenſum pro legato concedi ſub conditione, ut legatarius relevium ſolvat (6).

§. III. In Regno relevium eſt dimidium fructuum, qui a feudo percipiuntur quo anno feudatarius obit, deductis tamen expenſis pro illorum collectione; etſi non fructus ipſi, ſed eorum aeſtimatio ſolvatur, quum relevium in pecunia conſiſtat. Si eo anno, quo feudatarius deceſſit, vi

(4) *Pragm. XV. de feudis.*

(5) Vid. Ponte *de poteſt. Prorog. tit.* 8. *n.* 13. Marad. *ſing.* 170. & Capanum *de iure relevii part. IV. q.* 18. & 19.

(6) Vid. Minad. *ad conſt.* in aliquibus *n.* 53. & Capan. *cit. loc. part. IV. q.* 10.

Digitized by Google

vi divina, vel culpa hominis nulli ex feudo legantur fructus, relevium nihilominus solvendum est (7); quippe quod fisco semper debetur ob investiturae renovationem: & parum refert, percipiantur, nec ne fructus, maxime quod consuetudine receptum sit, relevium solvi ex fructibus illius anni, quae quidem nullum fisco praeiudicium afferre potest. Quare de fructibus superiore anno perceptis relevium solvetur (8). Fructuum autem nomine veniunt certi reditus, non qui opera & industria feudatarii percipiuntur (9). Non autem intelliguntur qui ex iurisdictionis exercitio, vulgo *proventus*, obveniunt; quum incerti sint, & ex iis pensiones officialibus solvi debeant. Hinc si baro criminalem, aut civilem, aut utramque iurisdictionem habeat in castro, alter vero eo utatur, hic, qui ex castro fructus percipit, ad relevium tenetur (10). Meliorationes vero non venire in computationem relevii videntur, quia cedunt beneficio baronis, non domini directi, ita ut, feudo ad fiscum devoluto ob finitam lineam, pertineant ad heredem in burgensaticis (11); attamen illas non deduci, usu receptum est. Fructus porro dicuntur, qui deductis expensis supersunt. Deducendi sunt tan-

(7) De Curte *resolut. feud. cap.* 3. Maradei *sing.* 310 *seq.* de Franchis *dec.* 121.

(8) Moles *in decis. R. C. de iure relev.* §. 21. *q.* 1.

(9) De Marin. *resolut.* 11. 18.

(10) Freccia *de subfeud. lib. II. auct.* 2. *n.* 42. Moles *dec.* 4. *de iur. relev.*

(11) Iserna *in cap.* 1. §. *si vassallus tit. si de feudo &c.*

Digitized by Google

tum ſanatus pro colligendis fructibus factis, non item pro oneribus feudi, quibus baro erat obſtrictus, veluti pro cuſtodia caſtri, ſi in eo feudum ſit conſtitutum (12). Nec etiam deducuntur annuae praeſtationes in ipſo feudo Regis adſenſu contractae, nec quod ob vitam militiam quotannis ſolvitur; nam ſi haec omnia deducerentur, non eſſent onera tantum baronis, ſed etiam domini.

§. IV. Quod ad relevii ſolvendi modum, ſucceſſor feudi, aut eius procurator ſpeciali mandato inſtructus, antequam annus & dies a morte baronis excurrat, comparere in R. Camera tenetur, feudatarii mortem denuntiare, & relevium offerre, pro cuius ſolutione exhibet calculum fructuum illius anni, quo vaſſallus deceſſit. R. Camera, ſi calculum pro vero habuerit, expedit *ſignificatoriam*, mandatque Percepto-ri illius provinciae, ut exigat liquidatam fructuum quantitatem in pecunia numerata. Si vaſſallus ſolvere negligat, aut moretur, R. Camera Commiſſarium ad fructuum ſequeſtrationem mittit (13). Nec porro heres feudatarii opponere poteſt compenſationem, ut ſi dicat ſe creditorem eſſe R. Curiae (14). Quod ſi nonnunquam admiſſa compenſatio fuit, id venia Proregis factum eſt.

§. V. Relevium intra annum & diem ab obitu baronis ſolvendum eſt. Si hoc elapſo tempore

(12) Revert. *dec.* 245.
(13) Curte *cit. loc.* Tapia *lib. VI. Iur. Regn. t.* 20.
(14) Afflictus *dec.* 192.

Digitized by Google

pore ſucceſſor inveſtituram petere diſtulerit, iure Longobardiae feudo cadit (15). At iure noſtro, qui inveſtiturae renovationem legitimo tempore non petierit, duplicatum relevium ſolvet: quod primum a Roberto Rege inductum videtur (16). Ab hac tamen poena eximitur, ſi elapſo anno ſponte, non interpellatus in R. Camera relevii ſolutionem offerat, poenamque ſibi remitti poſtulet. Iure Longobardiae impubes intra annum & diem renovationem petere non tenetur (17); minor vero tenetur, ſecus feudum amittit, quamvis reſtitutionis beneficio illud recuperare poſſit. Quod vero duplicatum relevium ſolvitur ob ſucceſſoris contumaciam, ac iniuriam fiſco illatam, non denuntiata intra legitimum tempus morte baronis; ideo pupillus adverſus non petitam inveſtituram reſtitutionis beneficium impetrabat. Ne vero tutoris dolus vel negligentia fiſco damnoſa eſſet, R. Camera ſub Carolo V. an. MDXXX., referente Reverterio, in cauſſa Principis Sulmonae iudicavit, pupillos ſtatim a die additionis feudi ad relevii ſolutionem cogi perinde ac ſi maiores eſſent (18). Idem an. MDCLI. perlata lege confirmavit Prorex de Villamediana (19). Ita apud nos textus in *II. F.* 26. §. *ſi minori* locum non habet.

§. VI. Num relevium ſit onus feudi *reale*, an

(15) *II. F.* 24. & *II. F.* 40.
(16) Conf. Ayellum *de iure aſcholat n.* 72.
(17) *II. F.* 26. §. *ſi quis deceſſerit.*
(18) Laratha *de thesaur. feud. part. XII. dilat.* 46.
(19) *Pragm.* 76. *de offic. prat. Caſſ.*

Digitized by Google

an *personale*, disputatur. Isernia (20), Frecia (21), Gizzarellus (22), aliique tuentur, onus esse personale successoris, qui tenetur solvere relevium ob investiturae consecutionem: proinde nec pro eo solvendo feudum sequestro subiiciendum, nec pecuniam ab hereditate deducendam. Et videri quidem potest, onus esse a feudi natura alienum, quia consuetudine, non iure feudali inductum est. Contra de Ponte (23), Ageta (24), Capanus (25), de Luca (26), aliique tradunt, relevium esse onus reale, adeoque fisco pro eo repetendo competere in rem actionem adversus quemlibet feudi possessorem; quippe de natura feudi Neapolitani evasit, sicque saepe iudicatum est. Pari modo in emphyteusi datur domino actio hypothecaria contra tertium possessorem pro canone, aut laudemio consequendo; quia ea onera rei, non personae cohaerent, & quemcumque afficiunt possessorem. Nec obstat, relevium moribus invectum fuisse; namque mores feudis originem & formam dederunt, ipsisque alias addere proprietates possunt.

§. VII. Praeter relevium, *ius tapeti* in investiturae renovatione solvendum est, nempe certa pecuniae quantitas, quae olim M. Camera-

rio

(20) *In cap.* 1. §. *et rel. tit. per quos fiat invest.*
(21) *De subfeud. lib. II. auct.* 3.
(22) *Dec.* 8.
(23) *De potest. Prorog. tit. de regal. impetit.* n. 13.
(24) *Ad Moles* §. 21. *q.* 8.
(25) *De iure relev. part.* 1. *q.* 7. n. 20.
(26) *De feudis disc.* 28. n. 3.

Digitized by Google

rio pro aulaeo ante pedes Regis ſternendo, nunc fiſco penditur. Nimirum, dum novus vaſſallus homagium Regi praeſtabat, M. Camerarius *tapetum*, ſeu aulaeum, veſtem nempe variis coloribus intextam, ſternebat, eoque nomine certam pecuniam ab illo accipiebat. Hac deinde ſollemnitate ſublata, ſolutio tantum remanſit fiſco facienda, nempe ducati XIII., tarenus unus, & aſſes XV. in ſingulos centenos (27). Satis antiquum eſſe ius tapeti, colligitur ex ritu R. Camerae (28): *Item habebit a quibuſcumque perſonis facientibus homagium pro quolibet feudo militari unciam auri unam, de qua medietas debet eſſe Cambellariorum Regis.*

§. VIII. Quemadmodum in renovando feudo relevium cum iure tapeti barones alii; ita eccleſia, univerſitas, collegium, quae feuda poſſident, *quindennium*, ſeu pecuniariam penſionem ſingulis quindecim annis fiſco perſolvunt in dominii directi agnitionem. Profecto eccleſia, & univerſitas numquam moritur, nec praelatus, abbas, rector iure hereditario, ſed electionis ſuccedit, nec dominus eſt, ſed merus adminiſtrator. Hinc fiſcus relevium, a feudali herede ſolvendum, nequit exigere, nec eiuſmodi feudorum ſucceſſor inveſtituram renovare tenetur. Ne vero feudum ſeniori parum utile ſit, iamdiu doctorum conſenſu, rerumque iudicatarum auctoritate (29) apud nos invaluit, ut eccleſia, mo-

na-

(27) De Curte *reſolut. feudal. cap. 3. n. 76.* Capanus *de iure relevii part. 1. q. 1. n. 25.*

(28) *In rubric. de offic. Camerar.*

(29) Freccia *de ſubfeud. libr. II. auct. 3. n. 15.* Mantanus *in II. F. 55. n. 52.* ceteſque.

Digitized by Google

nasteria, & universitates certam Regi pecuniam quintodecimo quoque anno pendant: aut certe feudum alicui laico adscribant, quo mortuo relevium solvant; cuius rei exempla profert Seraph. Biscardius (30). Iure Romano ususfructus civitati vel municipio relictus centum annis quasi morte extinguitur, ne proprietas, usufructu semper abscedente, domino inutilis sit (31). Id in usufructu ecclesiae relicto receptum est. Apposite Cuiacius (32) docet: *Qua ratione & hodie utimur in usufructu relicto ecclesiae, ut finiatur quasi morte hominis spatio centum annorum, ac si ecclesia fingatur esse velut homo, & in feudis, quae morte clientis redeunt ad dominum, nisi solventur ἐνδεκτικα* (id est laudimium, aliudve quod pro introitu solvitur) *si feudum obtineat ecclesia, quae nunquam moritur, in feudo renovando observandum spatium centum annorum: vel ecclesia debet dare domino suo aliquem hominem, cuius mors expectetur, cuiusque morte ecclesia compellatur renovare feudum, aut renovationem feudi a domino postulare.* At mores nostri centenarium hoc temporis spatium non probarunt, eique quindecim annos substituerunt. Ex stilo R. Camerae quindennium semper debetur, quamvis in investitura expressum non sit; nam non secus ac relevium est onus feudi, & uti servitium quodlibet ad feudi naturam pertinet (33). Si quindennium non solvatur, prae-

(30) *In iur. respons. pro Reg. Fisc. super praestat. servit.*
(31) *L. 3. §. 2. D. de usufruct.*
(32) *Ad lib. XVII. QQ. Papinian. p. 454.*
(33) Car. de Alexio *ad de Marin. 144. n. 3.*

latus, vel administrator duplicatum luet; non enim ecclesia & universitas diverso a laicis iure reguntur hac in re, quos intra annum & diem non solventes duplicati relevii poena manet (34).

CAP. XIX.

De vita-militia.

§. I. IUre Francorum feuda divisionem non admittunt, sed ad solum primogenitum pertinent: qui tamen adsignare tenetur *apanagium* fratribus secundogenitis, seu certam pensionem in alimentum pro dignitatis & natalium ratione. Apanagium itaque Gallis est annuus reditus ratione feudi, quod divisionem non recipit, adsignatus secundogenitis, quo sibi panem ad victum comparent. Franci quidem maiorem natu in feudorum successione praetulerunt, ut nobilium familiarum dignitas & splendor conservaretur, dum ad unicum ex liberis universa praediorum successio perveniret. Si enim ea divisionem reciperent, lapsu temporis crebra & frequenti partitione ad nihilum reducerentur. Hinc satis duxerunt (etsi id quodammodo iuri naturae adversetur) ut secundogeniti sola pensione ad victum contenti, bella sectarentur, vel clericalem aut coelibem vitam eligerent.

§. II. Francicum hoc ius sub Friderico II. in Regnum nostrum serrepsit. Etenim Friderici

cus

(34) Capanus *de iur. relevii part. V. q.* 23.

cus (1) mares omnes aeque vocavit ad succeſſionem feudi iuris Longobardici, ſi regale non ſit; in feudo autem iuris Francici maiorem natu antetulit, excluſis ſecundonatis, & feminis. Ne vero maſculi natu minores a feudis eiuſmodi excluſi turpi laborarent inopia, primogenitis onus inpoſuit, ut illis *vitam & militiam* praeſtarent, quo vitam honeſte ſuſtineant, & militiae, cui viri nobiles maxime ſtudent, ſuis ſumtibus nomen dare queant. Eſt itaque vita-militia, (noſtratibus *il piatto*) *congrua & decens praeſtatio pecuniae, ſecundogenitis quotannis debita a fratre primogenito ſuccedente in feudo iuris Francici, ut vitam ducere, & militiam ſequi poſſint.*

§. III. Debetur vita-militia ſecundonatis, qui feudo non excluduntur, ſed non admittuntur ad tempus, ob exiſtentem ſcilicet primogenitum: unde excluſio ſucceſſionis, cuius quiſque incapax non eſt, incluſio habetur huius praeſtationis. Nec refert, divites ſint, an pauperes, quia non ſolum paupertas, ſed praecipue excluſio a ſucceſſione ob exiſtentem primogenitum eam invexit. Quare debetur vita-militia fratribus ſecundogenitis legitimis & naturalibus; ſive *germani* ſint; ſive *conſanguinei*, modo feudum ſit paternum, in quo ſuccedere poſſunt deficiente primogenito; ſive *uterini*, ſi feudum ſit maternum. Nec intereſt, laici ſint, an clerici, quippe qui clericatu ius alimentorum ex bonis patris non amit-

(1) *Conſt.* ut de ſucceſſionibus *de ſucceſſione nobilium in feudis*, & *conſt.* comitibus *de adiutoriis pro militia fratris*.

Digitized by Google

amittunt. Quin ipse primogenitus si clericatum amplectatur, a secundogenito, qui in feudum successit, illam iure petit. Si investitura sit *pro se & heredibus filiis ex secundo matrimonio natis*, filiis prioris matrimonii vita-militia non debetur, quia nequeunt succedere. Nec etiam debetur, si refutatum feudum, mortuo filio sine liberis, ad patrem revertatur; nam filii nullum ius habent, donec vivit pater, & leges nostrae de morte patris statuunt, cui maior natu, exclusis secundonatis, succedit. Ex pragmaticorum placitis ius repraesentationis in vita-militia datur. Si enim moriatur secundogenitus, relictis filiis, iisdem debetur vita-militia, quae patri debita fuisset, si superstes esset; filius enim heres iure petit, quod petere defunctus poterat (2). Id locum habet, si pater secundogenitus ante obtentam vitam-militiam moriatur; nam si post eam obtentam decesserit, non datur subingressio, quum alimenta morte expirent, iusque adeo ea petendi ad heredes non transit (3).

§. IV. Contra vita-militia non debetur filiis naturalibus, sive paternum, sive maternum sit feudum, quia successionis feudalis prorsus incapaces sunt. Ipsis tamen alimenta ex aequitate iudicis decerni solent, maxime si fuerit filia, cui praestatur etiam dos ex feudo materno. Quod si naturales fuerint legitimati per subsequens matrimonium, eam recte petunt, ob vim nuptiarum, quae omnem abstergunt maculam. Idem

do

(2) *L. 1. C. de hered. act.*
(3) Afflict. in *const.* comitibus *n.* 14. Ponte *cons.* 70.

Digitized by Google

de legitimatis rescripto Principis quoad feuda dicendam. Adoptivi hoc beneficio non utuntur, quia in feuda non succedunt; secus vero si investitura comprehensum sit, ut succedant, aut etiam sanguine coniuncti sint. Nec pariter utuntur secundonati rebelles ac perduelles, quum ipsi, si maiores natu essent, feudo privarentur. Nec etiam ingrati a patre exheredati feudo hereditario, aut ex pacto & providentia novo, non autem antiquo, a quo nequeunt exheredari (cum illud non a patre, sed a primo adquirente recognoscant) adeoque vita-militia privari. Quod si frater in primogenitum ingratus extiterit, ea non privabitur; nam in fratre non consideratur ingrati animi vitium, quum ab ipso bona non proveniant.

§. V. Quaesitum est, an cum vita-militia compensetur legatum a patre relictum secundogenito? Aut expresse, vel ex coniecturis adparet legatum animo compensandi relictum, illudque sine ulla protestatione secundonatus agnovit, & admittenda est compensatio: aut nullae sunt coniecturae, & admittenda non est. Sane haec praestatio non est pura, sed conditionalis, si nempe secundogenitus vivat, & quamdiu vivat; nec certa, sed incerta, quum sciri nequeat, quamdiu ille vivat, quoties in hostem ire contingat, & quot sumtus sustinere cogatur. Debitum autem illiquidum compensari nequit (4); nec si ex una parte est purum, ex altera in diem, in compensationem cadit (5). Quare le-

ga-

(4) *L. ult. C. de compensat.*
(5) *L. 7. D. eod.* Vid. Rovit. *ad pragm. 52. de feud.*

Digitized by Google

gatum patris pusum cum debito conditionali factum animo compensandi non videtur. Adhaec vita-militia non est debitum patris, sed primogeniti, cui hoc onus leges nostrae imponunt, neque compensatio, ubi non est debitum, concipi potest. Tenetur quidem pater filiis alimenta praebere; at haec obligatio eius morte extinguitur.

§. VI. Debetur secundogenitis vita-militia ex quocumque feudo tam antiquo, quam novo, tam hereditario, quam ex pacto, atque etiam franco, modo in illud succedere possint. Quod vero ad feudum novum a patre ipso coemtum, optio secundogenitis datur, num vitam-militiam, an partem pretii in emtione impensi malint. Si enim feudum a patre coemtum non fuisset, pecunia adhuc extaret in arca, & ad liberos omnes, patre mortuo, ex aequis partibus pertineret. Ne igitur iniqua forte secundogeniti graventur, eos ad partem pretii admitti aequum est (6). Pretium vero illud attenditur, quo feudum emtum est, non ad quod tempore successionis pervenit (7). Utrum haec pretii portio iure collationis, an petitione hereditatis debeatur, quaesitum est. Prius visum Marcello de Mauro (8); posterius Rovito (9) (quamvis hic alibi (10) contrarium tueatur). Priorem sententiam S. Consilium probavit. Profecto

(6) Vid. de Mann. *resolut. iur. iun. I.* 136. *n.* 57.
(7) Capyc. *dec.* 2. Anna *singul.* 20.
(8) *Allegat.* 57.
(9) *In pragm.* 24. & 25. *de feud.*
(10) *Dec.* 30.

Digitized by Google

fecto ſi deberetur petitione hereditatis, iudicium eſſet univerſale, ſpectandumque adeo pretium feudi tempore mortis, cum defertur hereditas: quod dictis adverſaretur. Hactenus dicta locum habent non ſolum in feudo novo ex cauſſa onerosa, ſed etiam lucrativa, veluti hereditate, legato, Regis munificentia, a patre quaeſito. Nam paternum patrimonium non modo aeſtimatur ex bonis pecunia comparatis, ſed ex omni eo quod quovis titulo obvenit: & quemadmodum patris merita ipſum ditarunt, ita totam ſobolem nobilitate illuſtrare, omnibuſque utilitati eſſe debent; utque naturae beneficio nullum inter filios diſcrimen, ita paterna merita inter eos communicare par eſt.

§. VII. Quantitas vitae-militiae iure noſtro definita non eſt, ſed iudicis arbitrio relicta. In ea aeſtimanda attendendi ſunt fructus, tempus, numerus filiorum, paragia mulierum, aes alienum legitime ſuper feudo contractum, & cetera id genus. Fructus intelliguntur naturales, induſtriales, civiles, & proventus iuriſdictionis civilis, non item criminalis, qui potius iudicis, quam baronis cenſentur. In aeſtimanda vita-militia ſpectatur tempus mortis, ut de legitima civile ius cavit. Ea vero augenda eſt, ſi deinde bona fuerint feudo reintegrata; haec enim tempore mortis virtute ac iure extabant, nec maior natu de novo adquirit, ſed recuperat (11). Spectandus quoque numerus liberorum, tum ut decreſcat, ſi plures fuerint, tum ut pro rata ſingulis

(11) De Franchis *dec.* 61. *n.* 13.

Digitized by Google

gulis secundogenitis accrescat, si decesserint (12). His omnibus spectatis bonus iudex vitam-militiam decernat, semperque inspiciat, an possit quis decenter vivere. Nec vero vita-militia in fructibus, sed in pecunia praestatur. Hinc licet feudum nullos producat fructus, illa nihilominus debetur.

§. VIII. Iam vita-militia semel constituta mutari nequit, quamvis primogenitus locupletior evaserit. Praeterea semel tantum debetur. Hinc si primogenitus, qui in feudum successit, fratribus vitam-militiam adsignaverit, & postea moriatur sine liberis, ita ut secundonatus feudum adipiscatur, non datur reliquis fratribus altera vita-militia, sed priore contenti esse debent, ne idem feudum duplici afficiatur onere, & contra iuris Francici mentem plus secundonatis, quam maiori natu obveniat; sicque in foro Neapolitano iudicatum referunt de Curte (13), & Gizzarellus (14).

§. IX. In feudis iuris Francorum vita-militia non legitimae, sed alimentorum loco est. Etenim legitima competit ei, qui ab intestato succedere potest; at secundogenitus succedere nequit in feudo iuris Francici, primogenito existente, proinde ea praestatio legitimae loco subrogari nequit. Praeterea legitima est quota bonorum, ex corpore hereditatis detrahitur, & ad heredes transit: contra vita-militia est quota fructuum, non ex corpore feudi, sed ex fructibus deducitur, & morte secundogeniti finitur.

§. X. Tandem vita-militia est onus reale,

(12) Afflict. *in cap. imperiale tit. de prohibit. feud. Iulianae.* (13) *Resolut. feud. cap.* 2. (14) *Dec.* 36.

quod nempe non corpus ipſum feudi, ſed fructus afficit, & quemcumque ſequitur poſſeſſorem. Robertus Rex (15) expreſſit, vitae & militiae *praeſtationem realem eſſe cenſendam, & tamquam realem tranſire debere in emtorem*. Hinc feudo felonia primogeniti ad fiſcum devoluto, ea ſecundogenito debetur, quia rem afficit, nec unius culpa alter puniendus eſt. Ad vitam militiam petendam competit *condictio ex lege*, nempe Friderici II. (16), & Roberti (17), adverſus primogenitum ad eam praeſtandam a die mortis patris, aut quemlibet feudi poſſeſſorem; unde actio perſonalis in rem ſcripta dici poſſe videtur.

CAP. XX.

De feudali mulierum paragio.

§. I. IUre feudali communi mulier a ſucceſſione arcetur, nullumque in feudo paragium petere poteſt (1). Ab hoc iure deſcivit Fridericus II. (2), qui feminas ad ſucceſſionem feudorum vocavit, deficientibus maſculis; hos vero feminis antetulit cum ortere illas elocandi ſecundum paragium, ne a feudis excluſae illocabiles domi conſeneſcerent: *Si autem*, inquit, *filii maſculi una cum filiabus feminis, aut etiam ſororibus patri decedenti ſuperſint, cuiuſcumque conditionis pater fuerit, Francus, videlicet, aut Lon-*

(15) *In capitul.* alienationis actus.
(16) *Cit. conſt.* comitibus. (17) *Cit. capitul.*
(1) *I. F.* 7. & 8. §. 1.
(2) *Conſt.* in aliquibus *de ſucceſſ. filior. comit. & baron.* Add. *conſt.* ut de ſucceſſionibus *de ſucceſſ. mobil. in feud.*

Digitized by Google

Longobardus, miles, vel burgenſis, in ſucceſſione bonorum praeferri volumus maſculos feminis; dum tamen (ideſt dummodo) *ſorores, aut amitas, fratres, aut nepotes pro modo facultatum ſuarum, & filiorum ſuperſtitum numero ſecundum paragium debeant maritare.* Ita iure noſtro paragium aut *alodiale* eſt, aut *feudale*. Prius ex alodio debetur feminis a legitima parentum hereditate per mares repulſis; poſterius autem ex feudo iiſdem a feudali ſucceſſione per primogenitum excluſis praeſtari debet.

§. II. Paragium debetur feminis, quae feudo ſuccederent, ſi maſculus ſucceſſionis idoneus, aut ſaltem primogenita, non exiſteret. Etenim in feudo iuris Longobardici, excluſis feminis, mares aeque omnes ſuccedunt; hiſque deficientibus, feminae in capita vocantur, collatis dotibus, ſi nuptae concurrant cum innuptis. Feudi autem iuris Francici feminae incapaces non ſunt, ſed mares in pari gradu poſiti iis anteponuntur; quibus non extantibus, primogenita ſuccedit, cui tamen elocatae, deque bonis patris dotatae, innupta ſecundonata praefertur. Femina itaque per primogenitum fratrem, ſororemve excluſa a feudo iuris Francorum, paragium petit: item amita, & neptis ex filio primogenito praerepto, quam patruus ſecundogenitus, qui tempore mortis avi primogenitus erat, a ſucceſſione arcuit. Idem locum habet, ſi mulier ob venuſtatem nupſerit, quia de bonis ſuis nupta videtur; aut dotata fuerit ab extraneo, ideſt, non ab eo, a cuius ſucceſſione per maſculum excluditur. Hinc filia, vel ſoror baronis a patre de feudo paterno dotata paragium ex feudo materno, ac vi-

Digitized by Google

ciſſim, iure petit. Quod ſi mulier nubere nolit, ſed domi caſte vivere malit, aut monaſticam vitam profiteri, paragium etiam depoſcit, quum pietas & perfectio eius iura non perimant. Ceterum filia naturalis alimenta iure petit, non paragium, quia nullum in ſucceſſione feudi ius habet (3).

§. III. Praeſtatur paragium ex feudo paterno, maternove, etiamſi francum ſit, cum eius ratio ſit excluſio ſucceſſionis, non immunitas a ſervitiis: ſive ſucceſſione adſcendentium, ſive collateralium quaeſitum ſit, quia mulier ab utroque feudo iuris Francorum excluditur. Numquam vero feudale paragium datur in corpore feudi, ſed in pecunia, ne feudum iuris Francici, quod diviſionem non patitur, dividuum evadat. Qua in re differt ab alodiali paragio, quod arbitrio fratris vel in rebus hereditariis, vel in pecunia praeſtari poteſt. Porro mulier in paragio conſequendo praefertur omnibus creditoribus fratris, quamvis regio adſenſu contraxerint; nam obligatio per fratrem contracta intelligitur deducto aere alieno, ſeu intrinſeco feudi onere, ut eſt dotatio. Ita bis S. Conſilii Patres iunctis aulis iudicarunt (4). Intereſſe paragii non debetur a die mortis teſtatoris, ſed litis conteſtatae, quia dum petitur mora eſſe incipit (5). Nec ſi frater in paragio ſolvendo morosus ſit, ſoror, quamvis Neapolitana, ius maſculi

(3) Capyc. *dec.* 181. Petr. de Gregor. *de conceſſ. feud. part. VII. q.* 8. *n.* 8.

(4) Vid. Amatum *conſ.* 42. & Staib. *controv. forenſ.* 121. *lib. II.*

(5) De Marin. *ad Revert. dec.* 1.

Digitized by Google

li adquirit; quia *masculeatio* locum non habet in feudis, quae integra masculis debentur (6). Porro Fridericus hanc fratribus poenam non inflixit; quare in Regni provinciis ob fratris moram in solvenda dote tam ex feudo, quam alodio soror ad virilem non admittitur, sed paragium iussu iudicis obtinebit: sicque in S. Consilio iudicatum testatur Afflictus (7).

§. IV. Quantitas paragii tam feudalis, quam alodialis iure nostro definita non est. Ipse Fridericus II. (8) sat habuit necessitate iuris fratres, nepotesve adigere ad dotem feminis praestandam, ab iure scilicet Longobardico (9) recedens, quo res haec arbitrio fratrum relicta fuit; ipsam tamen dotem non definivit, sed iussit, illos sorores amitasve maritare *pro modo facultatum suarum, & filiorum superstitum numero secundum paragium*. Videtur hac in re Imperator ius Romanum secutus, quo dotis *modus ex facultatibus, & dignitate mulieris maritique statuendus est, quousque ratio patitur*, ceu respondit Celsus (10). Non paragium mulieri praestandum Fridericus edicit, sed mulierem ipsam *secundum paragium*, ideſt generis aequalitatem, elocari iubet; id enim proprie significat paragium, ac non nisi μετονυμικως dotem ipsam. Quare unum id spectavit, ut feminae secundum familiae nobilitatem ac decus honeste matrimonio collocentur. Feminis secundum paragium elocari iussis, ex conse-

(6) Ponte *conſ.* 74. *vol.* 1. Napodan. *ad conſuetud. ſi moriatur n.* 48. (7) *Dec.* 159.
(8) *Cit. conſt.* in aliquibus.
(9) *Lib.* II. *LL. Longob. tit.* 14. *l.* 14.
(10) *L.* 60. *D. de iur. dot.*

Digitized by Google

quentia legis dos etiam praescripta intelligitur, qua honeste possint nubere. Id si factum fuerit, quaecumque in eam rem pecunia erogata sit, soror, aut amita contenta esse debet. Iamdiu Andreas (11) vidit, eam pecuniam nomine paragii dandam, qua mulier nubere possit pari. Itaque religione iudicis congrua dos aestimanda, spectatis potissimum facultatibus feudatarii, & numero *filiorum superstitum*, idest eorum, qui tempore mortis patris, seu delatae hereditatis existunt, ita ut semper videat, an mulier honeste pari nubere queat. Ex dictis habes, paragium feudale non succesisse legitimae; haec enim est portio debita ei, qui ab intestato succesurus est: contra mulier a succesione feudi, masculo existente, excluditur. Utque cetera mittam, dos filiarum magnatum ob ingentes divitias minor legitima esse solet, eaque dote contentae esse debent, qua magnatitiae conditionis viro nubant (12). Quod si feudum a patre fit emtum, eo mortuo, paragium legitima minus esse nequit; nam novi feudi pretium rei alodialis vicem sustinet, cuius legitima filiae competit, uti scribit Rovitus (13).

§. V. Ad paragium consequendum competit sorori, aut amitae *condictio ex lege*, nempe Friderici; quae utpote actio personalis, adversus ipsum fratrem, vel nepotem datur. Anne, bonis alienatis, ea contra tertium possessorem accommodatur? Negant nonnulli, quia paragium, etsi

(11) *In cit. const.*

(12) Afflict. *dec.* 160. Grammatic. *dec.*57. Conf. nostra *Elementa iur. privat. Neap. part.* 1. *lib.II. cap.*12.§.3. *segq.*

(13) *In pragm.*24. *de feud. mor.*

Digitized by Google

etsi onus feudi sit, ipsum tamen feudum non afficit, sed personam feudatarii, adeoque contra tertium possessorem, qui titulo oneroso possidet, actio extendenda non est. Sed scite de Franchis (14) aliique hypothecariam actionem adversus tertium possessorem mulieri adserunt in subsidium, nempe excusso prius reo principali, qui solvendo non sit. Sane ex lege Friderici succedunt masculi cum onere dotandi sorores, amitasve. Si istis non liceret paragium petere a tertiis possessoribus, ad quos bona pervenerunt, facile eluderentur, doteque fraudatae domi senescerent innuptae contra mentem Friderici. Quamvis autem feudales causas sine venia Regis in compromissum deduci sit nefas (15); tamen causae paragii feudalis compromitti sine adsensu regio possunt, quia feudi substantiam non tangunt.

CAP. XXI.

De feudi devolutione, & amissione.

§. I. QUemadmodum certis modis feudum constituitur & adquiritur, ita etiam finitur, ac amittitur. Libet hoc loco imitari Paullum (1), qui de usufructu agens distinguit inter *finiri*, & *amitti*. Itaque finitur seu devolvitur feudum aut temporis lapsu, si forte ad certum tempus sit datum; aut linea extincta, quippe

(14) *Dec.* 119. *n.* 3.

(15) *Const.* divae memoriae *de revoc. feud.*, & *pragm.* 8. *de arbitr.* (1) *Lib. III. Sent. t.* 8. §. 28. *seq.*

Digitized by Google

pe mortuo vaſſallo ſine heredibus ad ſuccedendum idoneis, feudum revertitur ad dominum. Amittitur vero vel culpa, vel ſine culpa vaſſalli. Perdit vaſſallus feudum ſine culpa ſua (I) Rei interitu, non ſecus ac uſusfructus (2); cum feudum ſit ius in corpore, quo ſublato & illud perimitur. (II) Conſolidatione, ſi nempe dominus utile dominium, aut vaſſallus directum aliqua ex cauſſa adquiſierit, veluti refutatione, ſi vaſſallus feudum domino renuntiaverit, praeſcriptione, ſi idem contra dominum libertatem praeſcripſerit. (III) Alienatione feudi conſentiente domino facta. (IV) Clericatu, monachatu, vitio corporis, quia vaſſallus obſequiis praeſtandis idoneus amplius non eſt (3).

§. II. In primis amittitur feudum culpa vaſſalli. Omne delictum, quo feudum amittitur, generali nomine *felonia* (*a*) vocatur. Ea definitur *violatio feudalis obligationis, qua vaſſallus erga dominum ingratus evadit, feudoque indignum ſe reddit*. Datur etiam domini in vaſſallum felonia, ob quam proprietate privari poteſt (*b*).

In

(2) *L. 1, D. quib. mod. uſusfruct. amitt.*

(3) *II. F. 26. 30. 36. I. F. 6.*

(a) Vocem *felonia* a *fallendo* deduxerunt veteres nonnulli feudiſtae. Poſt Cuiacium Vulteius *lib. I. de feud. cap. 9.* repetit a Graeco φηλωσις ſeu φηλωμα, quod impoſturam fallaciamque deſignat. Alii a Germanico *fehlen*, ideſt, *errare*. At a voce Anglo-Saxonica *fello* ſeu *felo*, quae perfidum, ſceleſtum, perduellem hominem ſignificat, recte arceſſunt Spelmannus *in Gloſſar.* v. felo, Menagius in *Dictionar.* v. felonie, aliique.

(b) Chriſt. Thomaſius *diſſ. de felonia domini* negat, eam a ſenione committi poſſe. Huic oppoſita Hartungii *diſſ. de felonia domini*, & Schwederi *diſput. de domini felo-*

Digitized by Google

In iure feudali viginti recenſentur cauſſae, quibus vaſſallus perfidus feudo privatur, quae ad ἀχαριστιας *ingratitudinis* vitium plerumque referuntur, non ſecus ac iure civili ob idem vitium liberi exheredantur, & donationes revocantur. Cauſſas vero certa definitione comprehendi omnes non poſſe, monet Feudiſta (4). Quare non excluduntur aliae cauſſae expreſſis graviores, vel aeque graves, quibus bonus iudex vaſſallum feudo excidiſſe merito pronuntiabit. Huc ergo non ſpectat, quod multis placet, legem poenalem ad alios caſus producendam non eſſe (5). Contrarium enim in iure feudali rece-

felonia. Sane ex natura feudi mutuis fidei officiis vaſſallus & dominus obſtringuntur, *II. F.* 26. §. *domino*, *II. F.* 42. Conf. Muller. *diſſ. de obligat. domini*. Philippus epiſcopus *II. F.* 6. ubi de fidelitate vaſſalli erga dominum agit, e veſtigio ſubdit: *Dominus quoque in his omnibus vicem fideli ſuo reddere debet: quod ſi non fecerit, merito cenſebitur malefidus, ſicut ille, qui in eorum praevaricatione, vel faciendo, vel conſentiendo deprehenſus fuerit perfidus & periurus*. Diſputarunt Italiae prudentes, an ex omni felonia, ob quam vaſſallus feudum amittit, ſenior proprietate privandus ſit, & adfirmantium ſententia praevaluit. Feudiſta *II. F.* 47.: *Ex facto quaeſtum ſcio . . Si dominus contra vaſſallum apertam feloniam fecerit, an ſicut vaſſallus feudum debet amittere, ita dominus proprietate privetur? Et quidam dicunt, ex omni felonia, qua vaſſallus feudo privatur, & dominus proprietate privetur. Alii non, niſi ex magna felonia: alii ex nulla. Sed prior ſententia mihi placet, non habita diſtinctione qualis vaſſallus ſit, ut ut per ſacramentum, vel non*. Rurſus *II. F.* 26. ait: *Domino committente feloniam, ut ita dicam, per quam vaſſallus amitteret feudum, ſi eam committeret, quid obtinere debeat de conſuetudine, quaeritur? Et reſpondetur, proprietatem feudi ad vaſſallum pertinere, ſive peccaverit in vaſſallum, ſive in alium*.

(4) *II. F.* 23.

(5) *Arg. l.* 42. *D. de poen.*, & *l.* 55. *D. de R. I.*

Digitized by Google

ptum eſt (6), & civili etiam iure defendi poteſt, legem poenalem interpretatione ad ſimiles caſus rectiſſime produci.

§. III. Iam praecipuas feloniae ſpecies recenſeamus. Vaſſallitica delicta aut *propria*, aut *communia* ſunt, non ſecus ac in clerico uſuvenit. Illa vaſſallus tamquam vaſſallus contra dominum, eiuſve propinquos; haec uti civis adverſus extraneos, admittit. Perſonam domini offendit vaſſallus *nece*, ſi ſeniorem interfecerit, ſive per ſe, ſive per alium: *vulneratione*, ſi dominum vulneraverit, niſi moderamine inculpatae tutelae id fecerit, aut in bello vulneratum dereliquerit: *pulſatione*, ſi eum verberibus affecerit, aut ipſius vitae inſidiatus fuerit: *oppugnatione*, ſi caſtrum domini *aſſalierit*, *ſciens dominum*, *vel dominam ibi eſſe*, ut ait Feudiſta (7); ubi TO *maxime* addunt Alverotus, aliique veteres interpretes, quia dominum aggredi fidelitatis iureiurando adverſatur: *deſertione*, ſi dominum in praelio, aliove periculo deſeruerit, aut accurrendo non adiuverit: *accuſatione*, ſi eumdem accuſaverit, aut teſtimonium in eum dixerit in cauſſa criminali, vel civili non modica. Praeterea vaſſallus feudo privatur, ſi renovationem inveſtiturae legitimo tempore non petierit (8): ſi non praeſtiterit iusiurandum fidelitatis: ſi militaria ſervitia non exhibuerit, eaque non fecerit, quae iuravit: ſi ſe vaſſallum eſſe dolo malo negaverit: ſi dominum car-

(6) *Cit. t.* 23.
(7) *I. F.* 5.
(8) Conf. Menckenium *diſſ. de poena privationis feudi in vaſſallum dolo vel negligentia inveſtiturae renovationem non petentem legibus ſtatuta*, *Witeb.* 1737. 4.

Digitized by Google

carcere incluſum, cum poſſet, non liberaverit: ſi eum certiorem non fecerit periculi, quod ipſius vitae, exiſtimationi, boniſve imminebat: ſi arcana in domini damnum prodiderit: ſi feudum eo non conſentiente alienaverit (9).

§. IV. In domini propinquos delinquit vaſſallus, qui *cucurbitavit*, ſeu honeſtatem & pudicitiam violavit, vel violare tentavit uxoris, aut viduae ſenioris, ſponſae, concubinae, matris, filiae, neptis ex filio, nurus, & ſororis (10). Iniuria enim adulterio, vel ſtupro recenſitis perſonis illata in dominum ipſum redundat, immo in omnes, qui de familia ſunt (11). De uxore, quae unum cum viro corpus conſtituit, eiuſque dignitatem, forum & domicilium retinet, ambigendum non eſt. Vidua defuncti mariti iura & privilegia retinet, donec ad ſecunda vota non tranſierit (12); unde ſi vaſſallus eam poſt initas ſecundas nuptias cognoverit, feudo non cadit, quia de ſecundi viri infamia agitur. Sponſa, etſi vera uxor non ſit, tamen ſi cognoſcatur, iniuria domino affertur, quia nec matrimonium, nec ſpem matrimonii violare licet (13). Hinc

(9) Vid. Chriſt. Schroeterum *diſſ. de delictis vaſſallorum, quae in perſonam domini committuntur*, Petrum Maſcovium *de praecipuis feloniae ſpeciebus*, & Conrad. Schuter *diſp. de vaſſalli delictis amiſſionem feudorum ingerentibus*.

(10) *l. F.* 5. 11. 17. 21. & *II. F.* 24. §. *rurſus*. Vid. Cuiac. *lib. I. F.* 2. Hotoman. *diſp. feud. cap.* 41. & Henric. Schwart. *diſſ. de felonia vaſſalli ex cauſſa adulterii & ſtupri*.

(11) *L.* 1. §. *ult. D. de iniur.*

(12) *L.* 22. 37. & *ult.* §. 3. *D. ad municip.*

(13) *L.* 13. §. 3. *D. ad L. Iul. de adulter.*

Digitized by Google

Ulpianus (14) ſponſum admittit ad actionem iniuriarum, quas eius ſponſa accepit. Concubina, ideſt mulier ſoluta, quae in domo alicuius citra nuptias vivit, quam ius Romanum, Gothicum, Francicum, Longobardicum, aliarumque poſteriorum gentium permiſit. Hodie, concubinatu legibus reiecto, ſi vaſſallus concubina domini abutatur, feudum non amittit, quia nullam ei iniuriam affert. Mater, nempe domini, ſive vidua ſit, ſive alteri nupta, quum eadem matri, & coniugi veneratio debeatur, immo maior matri, quae genuit (15). Filia, nurus, vel neptis ex filio, non item ex filia; quia neptis ex filio ad familiam avi paterni pertinet, cui ſubiicitur, ſi filius in ipſius poteſtate ſit: contra neptis ex filia familiam ſequitur patris ſui, non matris. Soror domini, quae tamen adhuc in domo eſt, ſeu in *capillo*, ut ait Feudiſta (16); in capillo enim eſſe dicebantur innuptae, quod virgines capillis obnuberent.

§. V. In alium delinquit vaſſallus, ſi fratrem ſuum occiderit, vel *hominem*, ideſt convaſſallum prodiderit. De hac re Feudiſta (17): *Si quis*, ait, *interfecerit fratrem domini ſui, non ideo beneficium amittit. Sed ſi fratrem ſuum interfecerit ad hoc, ut totam hereditatem habeat, vel aliam ſeloniam commiſerit, verbi gratia hominem tradendo, ut in curia amplius ſtare non poſſit, privabitur beneficio.* Id Duarenus (18) aliique intelligunt, ſi in eum

(14) *L.* 15. §. 24. *D. eod.*
(15) *Nov.* 105. *c.* 2.
(16) *I. F.* 5.
(17) *II. F.* 37.
(18) *De feud. cap.* 15. *n.* 8.

Digitized by Google

tum finem occidat, ut solus feudum, vel hereditatem habeat. At enim feudum amittit, sive feudi, vel hereditatis obtinendae, sive alia causa parricidium patraverit; quippe Feudistae verba potius declarationis & exempli caussam, quam conditionem continent. Idem potiori iure adfirmandum, si patrem matremve necaverit, quum lege Cornelia de parricidio coërcendus sit, nec sine dedecore in curia domini versari potest. Quod si vassallus extraneum occidat, feudo non cadit, quia de fratre tantum scripta lex est. Nec etiam feudo privatur, si fratrem ipsius domini enecet. Eccur occisio fratris vassalli gravior habetur nece fratris domini? Quia parricidium est gravius homicidio, nec feudum a fratre domini vassallus recognoscit. Praeterea, si *inordinate tractaverit* subditos, ideſt nimia saevitia (19). Omnium vero gravissimum est maiestatis crimen, quo in principem & patriam iniurioſus existit vassallus, sicque dignitate vassallitica indignus evadit; cumque omnia eius bona publicentur, feudum quoque domino aperitur (20).

§. VI. Feudum vassalli felonia ad dominum devolvitur. Sane feudum novum, sive crimen dominum eiusve propinquos, sive extraneum laedat, exclusis liberis, aut fratribus, domino aperitur (21); nam felonia patris ius omne periit, adeoque filiorum, quorum ius ex persona & iure patris in feudo novo promanat: nisi con-

(19) *II. F.* 27. §. *quicumque*.

(20) Vid. Christoph. Schilterum *diss. de felonia per instrumentum in crimine laesae maiestatis commissa*.

(21) *II. F.* 24. §. *Denique*, & *II. F.* 31.

Digitized by Google

contemplatione filiorum pater feudum adquisierit, quo casu filii ex propria persona succedunt, iusque ipsis quaesitum culpa aliena auferendum non est. Filius vero, qui dominum offendit, nisi satisfecerit, succedere in feudum paternum nequit (22). Quod si antiquum sit feudum, recepta distinctio est, ut si culpa sit in dominum commissa, ipse feudum in acceptae iniuriae ultionem recipiat; si in extraneum, statim ad agnatos in infinitum, vassalli filiis exclusis, pertineat (23). At in priore casu censeo dominum tamdiu feudum retenturum, quamdiu delinquentis linea perduraverit, eaque finita ad agnatos venturum, qui iure suo ad successionem vocantur (24). Tandem feudum hereditarium sive novum, sive antiquum, felonia vassalli, exclusis liberis, & agnatis, redit ad dominum; nam hereditarii proprietas est, ut filius, & agnatus sit heres defuncti, quem felo habere non potest (25).

§. VII. Num vassalli felonia feudum ipso iure, an sententia revertitur ad dominum, quaeritur. Iis adstipulor, qui ipso iure committi tuentur (26), adeo ut iudex ferendo sententiam declaret dumtaxat vassallum iam a tempore admissi delicti feudum amisisse, non eo esse privandum. Si enim feudum sine domini consensu alienatum ipso iure aperitur, cur idem non fiet com-

(22) *II. F.* 51. §. 1. & 55. §. 2.
(23) *II. F.* 24. *v. denique*, 26. §. 5. *v. si vassallus* 37. *iunct. t.* 31.
(24) *II. F.* 39. & 45.
(25) Vid. Rothium *in Pandect. feudalib. cap.* 4. *n.* 50.
(26) Conf. Ludov. Menckenium *diss. feudum per omnem feloniam ipso iure amitti*, *Wiseb.* 1740. 4.

Digitized by Google

commissa felonia, quae longe gravior est, quam alienatio? Neque regeras, quod qui alienat feudum, in alium transfert, sibique in posterum retinere nolit, proinde cum neque illud ipse habeat, quia non vult, nec alter, quia non potest, ad dominum debeat necessario redire: contra qui aliter delinquit, feudum revera retinet, & velit, quantum in se est, deinceps retinere. Quamvis enim utrumque sit verum, praecipua huius rei caussa a legis feudalis auctoritate sumenda est, quae eodem modo de alienatione, ac de ceteris caussis concepta est, feudumque ad dominum reverti declarat (27). Nihilominus nequit dominus auctoritate sua recipere feudi possessionem. Debet enim civili actione experiri, & iudex caussa cognita, & probata vassalli felonia, sententiam ferre (28).

§. VIII. Devoluto feudo etiam fructus restituendi sunt. Si feudum felonia aperiatur, vassallus fructus omnes ante crimen perceptos non restituit; quum bona fide & iusto titulo perceperit (29): quod exemplo confirmatur donatarii, & fructuarii, qui revocata donatione, vel usufructu finito, fructus iam perceptos haud restituunt (30). Fructus vero pendentes, & quos a tempore admissae feloniae percepit, restituere cogitur tamquam malae fidei possessor (31). Si enim in malae fidei possessore singula momenta spe-

(27) *I. F.* 5. & 21., *II. F.* 24. 34. & 35.
(28) *I. F.* 21. & 22., & *arg. lib. II. t.* 52. *in fin.*
(29) *Arg. l.* 25. §. *praeterea D. de usur.*
(30) *L.* 13. *D. quib. mod. usufr.*
(31) *Arg. l.* 38. *D. de usur.* & *l.* 7. §. 1. *de condict. caussa.*

Digitized by Google

ſpectantur, adeo ut fructus poſt malam fidem ſupervenientem, licet ante conteſtatam litem percepti, ſint reſtituendi (32); quanto magis id erit in vaſſallo ſervandum, qui ſuo delicto feudum amittat? Si vero feudum extincta linea devolvatur, certum eſt, vaſſallum fructus ante mortem perceptos ſuos facere, cum perfectum eorum dominium adquiſierit. De perceptis poſt probata Feudiſtae (33) diſtinctio eſt, ut mortuo eo a kalendis Septembribus uſque ad kalendas Martias, fructus ad dominum, agnatoſve ſpectent, a kalendis vero Martiis uſque ad Septembres, ad heredes alodiales defuncti. Hinc videmus annum in duas partes tributum; prima incipit a menſe Septembri, altera a Martio, proinde cum in priore caſu vaſſallus primam ſolummodo partem inierit, eaque non adhuc completa deceſſerit, ideo placuit fructus domino, vel agnatis addici: cumque in ſecundo & primam abſolverit, & alteram iam fuerit partem ingreſſus, ideo receptum, ut alodialibus ſucceſſoribus cederent. Differt ergo vaſſallus a fructuario, quum hoc mortuo ius omne percipiendi fructus expiret (34).

§. IX. Proximum eſt, ut de expenſis & melioratiobus in feudum devolutum factis agamus. Nomine ἐμπονημάτων *meliorationum* intelligimus omne feudi incrementum, ſive natura acceſſerit, ut alluvione, inſula in flumine feudali, ſive induſtria vaſſalli, ut aedificiis, arcibus

(32) *L.* 23. & 48. *D. de acquir. rer. domin.*
(33) *II. F.* 28.
(34) §. 3. *inſt. de uſufr.*

Digitized by Google

bus, molendinis, nemorum ſublucatione, & ceteris, quibus feudum & fructuoſius, & melius evaſit. Iam incrementum naturale, feudo felonia vel interitu lineae devoluto, pertinet ad dominum; nam incrementum naturae feudo adiectum ut iure dominii utilis vaſſallo ceſſit, ita finito feudo iure pleni dominii adquiritur domino. Quod ad *melioraciones* induſtriales & expenſas, multi referre putant, culpa ne vaſſalli, an extincta linea amiſſum ſit feudum, ut in priore caſu repetere vaſſallus impenſas non poſſit, in altero poſſit. At generalis haec diſtinctio ita temperanda eſt, ut ſi impenſae ante commiſſam feloniam factae ſint, illae omnes ſunt reſtituendae, quae cuilibet bonae fidei poſſeſſori, ſi poſt, eae dumtaxat, quae & praedonibus (35). Quo enim iure, quae ut dominus, ac bonus paterfamilias, forte etiam optimo conſilio fecit, ea, poſtquam vaſſallus deliquit, in eius diſpendium retorquebimus, ac dicemus ſubſequenti culpa praeterita facta, & recte quidem facta, tam male eſſe interpretanda adverſus eum, qui ſatis punitur eius quod natura acceſſit iactura (36), iuſtoque ſeverius puniretur, ſi feudum etiam deberet amittere? aut cur vaſſallus, qui iuſtiſſimam habuit poſſidendi cauſſam, rigidius tractabimus, quam legum auctores cenſuerint tractandos eſſe praedones, qui vel initium poſſeſſionis ſuae a dolo malo, ab iniuſta alienarum rerum occupanda-

rum

(35) *L. 38. D. de pet. hered., l. 27. D. de rei vindic. & l. 5. C. eod.*

(36) *Arg. l. 7. C. de revoc. donat., & l. 7. C. de uſufruct.*

Digitized by Google

rum cupiditate duxerunt? Alia ratio est in emphyteusi; eo enim animo res in emphyteusim conceduntur, ut meliores reddantur. Quare qui impensas fecit, is contractus legem implevit, deque huius asperitate iuris minime conqueretur, si & illud cogitet se non pensionem, quae fructibus responderet, sed exiguum, ut assolet, tenuemque canonem in directi dominii recognitionem ante praestitisse. At vasallo res datur, non ut eam faciat meliorem, sed in eodem statu conservet, quo imposita onera sustineat, atque eadem ipsa, non tamen deterior, quandoque ad dominum revertatur. Iam sentis, quam iusta sit repetitio impensarum, feudo ad dominum sine vasalli culpa reverso. At enim Feudista (37) optionem domino tribuit, ut aut permittat tolli aedificium, aut reddat impensas: *Si vassallus*, ait, *in feudo aliquod aedificium fecerit, vel ipsum sua pecunia melioraverit, & contigerit postea, ut vassallus sine filio masculo decedat, dominus patiatur aedificium auferri, aut solvat pretium melioratienis. Idem dico, si pretio servitutem feudo acquirat.* Haec verba haud ita sunt accipienda, ut pro lubitu uti, ne dicam abuti, hoc iure dominus possit, utque quo casu tolli impensae nequeant, non teneatur eas restituere; id enim vetant verba, quae continuo subiiciuntur, *idem dico si pretio servitutem feudo acquirat*, idemne ut dominus patiatur servitutem tolli a vasallo, aut ei pretium reddat? At qui vasallus tollet servitutem, rem incorporalem, quae non in rerum natura existit, sed sola mentis

(37) *II. F.* 28. §. *si vassallus.*

Digitized by Google

tis intelligentia comprehenditur? Quemadmodum ergo dominus servitutis feudo proficuae pretium reddere vasallo tenetur, quia ea tolli non potest, ita verba antecedentia sub conditione accipienda sunt, si commode, si absque gravi detrimento vasalli tolli impensae queant, adeo ut si aut nullo modo, aut solum cum eius damno possint, tum restituere impensas dominus compellatur.

§. X. Feudum sive felonia, sive interitu lineae devolutum dominus capit non tamquam heres, sed iure suo, nempe contractu resoluto; nam utile dominium sub conditione translatum, ipsa conditione deficiente, directo consolidatur. Sedet quidem nonnullis, fiscum, devoluto feudo, iuri universalis successoris censeri, inque eum iura omnia tam activa, quam passiva, quae a feudo pendent, transferri. At haec sententia regulis iuris feudalis non congruit, quo feudum revertitur ad dominum ex facto, seu contractu resoluto. Attamen usu fori nostri fiscus figuram heredis refert, inque iudicio adcommodatur utrique fortunae, sive agat, sive conveniatur. Id communi interpretum sententia, rerumque iudicatarum auctoritate ratum fixumque est, teneri dominum oneribus feudi devoluti adsensu suo contractis satisfacere, ne contra proprium factum veniat, iusque hypothecae super feudo legitime quaesitum creditori auferat. Ita feudum cum oneribus rite contractis redit ad dominum. Quare si vassallus accepta pecunia feudum consensu domini obligaverit, eo devoluto hypotheca non perimitur, sed dominus solvere cogitur, quia tacite huic obligationi consensit, dum scie-

bat

bat, aut scire debebat, debitum, illamque obligationem feudum afficere, quod ad se cum onere devolveretur (38).

§. XI. Postremo loco de remissione feloniae dicendum. Eam adversus se, aut consanguineos admissam posse dominum vassallo, eiusque liberis remittere, quis neget? Tunc enim iuri suo renuntiat, nullumque agnatis damnum affert, qui tum demum consecuturi feudum fuissent, cum vassallus sine descendentibus decessisset, ideoque nihil interest, utrum dominus interim feudum habeat, an vassallus, eiusve liberi. Remissio autem feloniae fit vel expressa voluntate, quae ex verbis adparet, vel tacita, quae ex rebus ipsis & factis eruitur. Ita Fridericus II. Rex noster feudum Thomae de Aquino Comitis Acerrarum, ob feloniam ad se devolutum, iterum eidem concessit, uti videre est apud Petrum de Vineis (39). Tacita fit multis modis; veluti si dominus nihilosecius reum ut vassallum agnoverit, puta investiendo, servitia exigendo; si per triginta annos non egerit, cum nullibi talis praescriptio improbetur; vel antequam litem contestaretur decesserit, quippe cum haec actio sit mere personalis (40), nec heredi, nec contra heredem danda videtur (41). Datur vero heredi, & contra heredem actio ob damnum ex delicto illatum, cum ea non poe-

nalis

(38) Conf. Rosa *in praelud. feud. lect.* 5., & Philip. Stevogtium in tractatu *de debitis feudalibus*.

(39) *Lib. VI. cap.* 2.

(40) *Arg. lib. II. F. t.* 24. §. *ult.*

(41) *Arg. l.* 10. §. 2. *D. si quis caution. & l.* 7. *C. de revoc. donat.*

Digitized by Google

malis sit, sed rei persecutoria (42).

§. XII. Quod si in extraneum commissa sit culpa, non immerito dubitatur, an in detrimentum agnatorum condonare eam dominus possit. Sunt qui ita distinguunt: vel dominus tum id facit, cum non adhuc ius quaesitum est agnatis, ideſt, ante sententiam, vel postquam quaesitum est, lata nimirum sententia: in prima specie valere Principis gratiam, in secunda non item. Haec distinctio nec ratione caret, nec aequitate. Equidem valde moveor iis Feudistae (43) verbis: *Verbi gratia, si non sint alii ex latere, quibus aperiatur:* quae generaliter concepta sunt, nec facile proposita distinctione possunt explicari, maxime cum illa nullo iuris feudalis testimonio confirmetur. Deinde si ipso iure feudum agnatis aperitur, iam quaesitum ius est, si sententia iudicis, certa saltem spes affulget agnatis, modo de culpa vassalli liquere possit; alterutrum auferre iniquum est. Aiunt Feudistam non conditionem adiicere, sed exemplum proponere, quo facilius dominus sit gratiam concessurus, quippe ait *verbi gratia*. At hoc puto idem significare, quod *veluti si, puta si*. Quare quemadmodum si adhiberentur similes particulae, quum v. g. sermo est de vulgari substitutione, & post subiungeretur *si heres non erit*, intelligeremus conditionem illam, sub qua eadem substitutio necessario fit, non simplex exem-

(42) *Arg. l.* 15. §. 46. *D. de iniur.* Vid. Car. Spenerum *disp. de tacita remissione feloniae*, & Hieronym. Brucknerum *diss. de remissione feloniae tacita, eiusque modis, & effectibus*.

(43) *II. F.* 31.

Digitized by Google

emplum, quasi ea in alium quoque casum fieri posset, ita in proposito intelligere possumus veram conditionem, quam dominus inserit gratiae, aut inseruisse putandus est.

§. XIII. Quae iure Longobardico & Italorum prudentum responsis de vasallitica felonia cauta sunt, vix hodie vigent in Occidente, multumque de veteri severitate decessit, diversa politici regiminis ratione, rerumque adiunctis ita exigentibus. Iure nostro amittitur feudum crimine, quod publicatione bonorum punitur, ut evenit in proscripto, seu *foroiudicato*. Hic enim libertatem & civitatem amittit, publicus censetur hostis & occidi ab omnibus potest, mortuo similis habetur, bonisque omnibus spoliatur. Fridericus II. (44) iussit, ut baro *foroiudicatus* statim feudum amittat, quia civiliter mortuus est. Si vero liberos pupillos habeat, qui in feudo succedunt, Rex balium adsignet, donec puberes evaserint; iis autem puberibus effectis etiam foroiudicato vivente, fiscus accipit virilem partem fructuum feudi, pro qua liberi servitia non praestant; patre autem mortuo, fructus omnes liberi percipiant. Idem Fridericus (45) sanxit, ut fiscus bona omnia immobilia & mobilia foroiudicati occupet, si filiis & parentibus careat. Si vero parentes ad tertium usque gradum habeat, iidem succedant, excepto feudo novo per filium postea foroiudicatum quaesito; nec foroiudicatio patris noceat filiis in feudo ipsis a

Rege

(44) *Const.* si quando *de poena foroiudicatorum.*

(45) *Const.* foroiudicatorum bona *de fisco succedente foroiudicatis.*

Digitized by Google

Rege conceſſo, aliove iuſto titulo quaeſito. Tandem bona immobilia burgenſatica foroiudicati viritim inter fiſcum & filios tribuuntur, data fiſco optione, utrum in corpore, an aeſtimatione virilem partem ſibi malit. Ceterum ex gratia Ferdinandi Catholici tantum crimina laeſae maieſtatis, & haereſis confiſcatione puniuntur (46).

§. XIV. Iam ſi baro crimen maieſtatis admiſerit feuda cuiuſcumque generis, & reliqua bona omnia ad fiſcum devolvuntur. Romanae leges non ſolum in ipſos maieſtatis reos, verum etiam eorum filios animadvertunt, eoſque omni hereditate privant (47). Appoſite Cicero (48): *Nec vero*, inquit, *me latet, quam ſit acerbum parentum ſcelera filiorum poenis lui; ſed hoc praeclare legibus comparatum eſt, ut caritas liberorum amiciores parentes reip. reddat*. Id potiori iure locum in re feudali habere debet; ſi enim atrociſſimum nefas per ſe eſt in principem delinquere, eiuſque maieſtatem laedere, multo magis delinquit, & graviori ſupplicio adſtringitur, qui beneficio accepto, & promiſſa fidelitate per ſummam perfidiam delinquit.

§. XV. A poenali hac ſanctione de excluſione filii a feudo excipiunt nonnulli feminas, ubi ex ſtatuto ſuccedunt, ut eſt in Regno noſtro. Ex ſententia enim Baldi (49), ſi ex ſtatuto aliquo filii proſcriptorum procul a civitate arceantur, filiorum nomine feminae non con-

ti-

(46) *Cap. XIV. Grat. R. Neap. an.* 1505. *& cap. VI. an.* 1507.

(47) *L.* 5. *C. ad l. Iul. maieſt.*

(48) *Epiſt. ad Brutum.*

(49) *In l.* 4. *C. de ſerv. fugit.*

Digitized by Google

tinentur, propterea quod in re odiosa versamur, & mares solent patris exemplum sequi, quod in feminis haud pertimescendum. At contrarium in Regno servatur, quia feudum concessum intelligitur, si vassallus in fide maneat; qua deficiente conditione revocatum censetur. Hinc crimine maiestatis damnato Principe Rossani sub Ferdinando I. Aragonio, feuda, ceteraque bona fisco cesserunt: & quamvis Rex pietate motus filias dotibus congruis honorifice elocaverit, a feudis tamen excluſit, teste Afflicto (50). Quod si filius baronis crimen patraverit, ob quod feudo indignus foret, si illud possideret, patre demum mortuo, successione privatur (51). Num etiam eius filii, nempe nepotes, mortuo avo, qui feudum possedit, non succedent? Et ad avi successionem nepotes admitti aequum est. Cum enim feudale ius filios privet successione patris delinquentis, haud extendendum est ad successionem avi, qui non deliquit. Ita R. Cameram in hac specie pro nepotibus iudicasse adversus fiscum, cuius partes Fabius de Anna susceptit, testatur Ponte (52).

ELE-

(50) *In cap. 1. §. praeterea, quae sit prima causs. benef. amitt.*

(51) Isernia *in cit. cap. 1.*

(52) *De potest. Proreg. tit. de refut. feud.*

Digitized by Google

ELEMENTA IURIS FEUDALIS COMMUNIS ET NEAPOLITANI.

LIBER III.

De iudiciis feudalibus.

TErtium tandem iuris feudiſtici obiectum, quod iudicia comprehendit, explicandum adgredimur, quum nemini ſive in civili, ſive feudali negotio ius ſibi dicere fas ſit, ſed per iudicem adſequatur oportet. Parum aut nihil proficerent iura, quae domino & vaſſallo competunt in feudo, niſi iudicia conſtituta fuiſſent, in quibus etiam de feudalibus controverſiis diſceptari poſſet, iuſque reddi deberet. Plura quidem de hac re paſſim traduntur; at nihil eſt, cur in hac iuris parte multum operae ac temporis impendatur. Etenim in iudiciis feudalibus exercendis civiles leges obſervantur, praeter ea,

Digitized by Google

quae feudali iure cauta ſunt. Quin etiam quae de iudiciis feudiſticum ius decrevit, moribus poſterioribus ad ius civile maximam partem redacta ſunt. Itaque praecipua & propria capita iuris feudalis perſequemur, quae ad actiones feudales, iudicem competentem feudalium controverſiarum, atque ordinem iudiciorum feudalium, potiſſimum referuntur.

CAP. I.

De actionibus feudalibus.

§. I. OMne iudicium actore, reo, & iudice coaleſcit. Agere & conveniri in controverſiis feudalibus ſolent aut dominus & vaſſallus, aut vaſſalli inter ſe, aut vaſſalli & extranei. Dominus & vaſſallus inter ſe litigant vel de iure ipſo in rem, ille quidem ratione directi, hic ratione utilis dominii, vel de aliis iuribus, quae ex contractu feudali proficiſcuntur aut ſecundum iuris communis regulas, quae certam feudi naturam conſtituerunt, aut ſecundum pacta, quae contrahentium voluntate adiecta ſunt inveſtiturae. Vaſſalli inter ſe diſceptant de feudo conſequendo, puta ſucceſſionis iure vel retinendo, vel recuperando. Denique vaſſalli & extranei contendunt, quum praeſertim de re diſputatur feudalis ne ſit, an alodialis, utrum feudum ſit novum, aut antiquum.

§. II. Ex dictis facile colligitur quibuſnam actionibus experiri litigantes queant. Si lis ſit de dominio directo domini, inſtituenda eſt vindi-

Digitized by Google

dicatio; si vero de utili vasalli, utilis in rem actio (1). Si de possessione quaeratur, locum habere possunt omnia genera interdictorum, quae adipiscendae, retinendae, aut recuperandae possessionis causa comparata sunt (2). Si de praestationibus personalibus, deque mutuis officiis ex contractu feudali exhibendis agatur, datur ex eodem contractu actio in personam (3). Denique ex eo, quod in iudicium est adducendum, facile patebit homini in legali disciplina instituto, utrum suppetat aliquod peculiare remedium libris feudalibus comprehensum, an ad ea sit confugiendum, quae commune ius suppeditat.

CAP. II.

De iudice feudalium causarum proprio.

§. I. Singularia feudales consuetudines de competente controversiarum feudalium iudice constituerunt. Iudex feudalis plerumque est dominus feudi, vel pares curiae; nam concessio feudi iurisdictionem involvit in vasallum, sed dumtaxat quoad eius feudum. Hinc in curia domini saecularis super feudo convenitur vasallus, etiamsi clericus sit, & vicissim coram domino ecclesiastico vasallus laicus. Iam feudalis controversia aut est inter diversos vasallos, aut inter ipsum dominum & vasallum. Si inter plu-

(1) *II. F.* 8. & 43.
(2) *I. F.* 8. & *II. F.* 26. *in pr.* & 41. §. 1.
(3) *II. F.* 7. §. 1. & *I. t.* 24. §. 3.

Digitized by Google

res vaſsallos de feudo, aliave re ad feudum pertinente contendatur, dominus eſt competens iudex, uti cavit Imp. Fridericus I. (1). Si feudum ſit regale, ut ducatus, comitatus, ſolus iudicat dominus; at in non regali etiam pares curiae adhibendi ſunt una cum domino (2). Quod ſi quaeſtio ſit inter dominum & vaſsallum de inveſtitura, felonia, vel ſimili cauſsa, aut inter duos quidem vaſsallos, ſed cauſsa etiam dominum afficiat, tum ſoli pares curiae, ſeu convaſſalli iudicant (3); nam dominus in propria cauſſa iudex eſſe nequit. Si plures ſint curiae pares, communi conſenſu aliquot eorum eligantur, qui dirimant controverſiam (4). Ita ſe res habet, quum de feudo conſtituto, vel ex eius natura dependentibus lis agitur. Quod ſi nulli ſint pares, aut ſuſpecti, aut aliqua ex cauſsa cognoſcere nequeant, aut lis non feudalis ſit, aut inter diverſorum dominorum vaſſallos, vel ſi quis ſe vaſſallum eſse neget, tunc iudex ordinarius cognoſcit (5). Ex feudali diſciplina cautum eſt in decretalibus, iudicem feudalium cauſsarum eſse dominum directum, in cuius curia cauſsas eccleſiarum & monaſteriorum, quae feuda poſſident, dirimi oportere. Alexander III. (6) reſcripſit, vaſsallum etiam clericum ſuper feudo con-

(1) *II. F.* 55. §. *fin.*, Guntherus *lib. VIII. Ligurin.*
(2) *I. F.* 18. & *II. F.* 15. *in fin.*
(3) *II. F.* 16. 39. & 46.
(4) *Cit. t.* 16.
(5) *II. F.* 15. & 34. Vid. de Zech *diſſ. de partibus curiae.*
(6) *In cap.* 5. *ext. de iudic.*

Digitized by Google

conveniri coram domino ipſius feudi. Rurſus (7) cavit, epiſcopum ex quo conſecratus eſt poſse de feudis eccleſiae ſuae cognoſcere.

§. II. In Regno noſtro ſub Nortmannis, Suevis, & Andegavenſibus Magiſter Iuſtitiarius, ſeu M. Curia de feudis quaternatis, ſive de toto feudo, ſive de eius parte ageretur, cognoſcebat. Fridericus II. (8) iuſſit, *Magiſtrum Iuſtitiarium Curiae noſtrae de crimine laeſae maieſtatis noſtrae, & de feudis quaternatis, & de quota parte ipſorum feudorum* cognoſcere. Idem Rex noſter (9) ad Magiſtri Iuſtitiarii iuriſdictionem pertinere ait, *de comitatibus, baroniis, civitatibus, caſtris, & magnis feudis, qui in quinternionibus dohanae noſtrae baronum inveniuntur in ſtriptis*, iudicare (a). De feudis vero non quaternatis

(7) *In cap. 7. ext. de for. compet.*

(8) *Conſt.* ſtatuimus *de officio magiſtr. iuſtitiar.*

(9) *Conſt.* magnae curiae *de magiſtr. iuſtitiar.*

(a) His ſanctionibus ſuam Fridericus conſtitutionem *ut univerſis, de ſervando honore comitib., baronib., & militib.* correxit, qua ſecundum iuris Longobardici ſcita comites, barones, ceterique militares viri *civiliter* vel *criminaliter* conventi, *non niſi per comites, & barones, & eos qui a nobis tantum feuda in capite tenent*, puta per Curiae Regis pares, adhibitis in conſilium probis viris, non coram Magiſtro Iuſtitiario, aut provinciae Iuſtiario, iudicari debebant; ſi vero comites & barones nolint iudicare, cauſſam Iuſtitiariis committere poſſunt. Revera inde uſque a Nortmannis barones in cauſſis criminalibus, praeſertim feloniae, aut laeſae maieſtatis cum voto parium iudicati ſunt. Cauſſam Richardi Comitis Moliſii, de uſurpatione Mandrae & quorumdam in Apulia oppidorum accuſati, iudicio parium diremtam refert Hugo Falcandus *in hiſt. Sicul.* Sub Rogerio Rege Philippum

Digitized by Google

natis Iustitiarius provinciae iudicabat, cuiusmodi sunt feuda plana & de tabula, & rustica quae a barone conferuntur. Idem Fridericus (10) potestatem exponens Iustitiarii provinciae ait: *De feudis etiam & rebus feudalibus ipsi cognoscant, praeter quaestiones de custris, & baroniis, & magnis feudis, quae in quinterniombus debanae nostrae scripta sunt, quae omnia singulariter cognitioni nostrae curiae reservamus.* Iudicibus inferioribus, nominatim baiulis locorum, *civiles causas omnes, reales videlicet & personales, quae super feudis, & rebus feudalibus moventur*, cognoscere

eunuchum, palatii praefectum, idololatriae accusatum, voto parium morte damnatum narrat Romualdus Salernitanus *in Chronic. ad an.* 1145. Ex Fridericianae illius constitutionis sententia Carolus II. *in capit. item statuimus* cavit, *quod si comites, barones, & feuda tenentes in R. Curia personaliter, seu realiter litigabunt, vel conveniant, & accusent alios, sive conveniantur, aut accusentur ab aliis, per COMPARES absolvi debeant, aut etiam condemnari, & ipsorum causae qualescunque fuerint, prout melius & citius poterunt, terminentur.* Tam constitutio Friderici, quam Caroli II. capitulum generaliter decernunt, barones quavis actione sive civili, sive criminali, sive in personam, sive in rem conveniantur, per pares curiae iudicari oportere, nec distinguunt, feudalisne, an alodialis sit causa: unde de feudalibus etiam causis interpretatus est Afflictus *in cit. const. n.* 9. Voto parium curiae barones maiestatis reos olim damnatos fuisse testatur Afflictus *ibid. n.* 17.: *Ego vidi sententias latas sub nomine Ferdinandi I. contra tenentes feuda in capite a Rege cum voto parium in crimine laesae maiestatis.* Posterioribus temporibus plura supperunt exempla baronum suffragiis parium in crimine maiestatis iudicatorum. Conf. Rotnam Columnam *de praestantia S. R. C. cap.* 1. *n.* 15.

(10) *Const.* Iustitiarii nomen *de officio iustitiariatus.*

Digitized by Google

ſcire non licebat, uti ſtatuit Gulielmus I. (11). Hoc idem de foro feudali ius ſub Andegavenſibus viguiſſe, liquet ex legibus Roberti (12), & Ioannae II. (13). Nec quidquam intererat, clericus ne, an laicus eſſet reus vel actor; nam Carolus II. (14) *clericos ad iudicia ſaecularia trahi iuſſit pro bonis feudalibus ſecundum conventionem habitam inter Romanam eccleſiam* (Clementem IV.) *& dominum patrem noſtrum* (Carolum I.). Ita a iure Longobardiae, quo dominus, aut pares curiae ſunt feudalium controverſiarum iudices, patriae leges receſſerunt. Appoſite ſcriptum reliquit Marinus Freccia (15): *Quando Rex ipſe concedit comitatum vel baroniam cum feudis & ſubfeudis etiam quaternatis, non intelligitur conceſſiſſe facultatem cognoſcendi de ipſis feudis, quando inter ſuos ſubfeudatarios lis oriatur; niſi ſpecialiter ipſe in privilegio exprimat, quia lex Regni excipit hanc conceſſionem, intelligitur ipſe conceſſiſſe ſecundum legem Regni.* Continuo ſubdit: *Senior Princeps Salerni habebat facultatem infeudandi plana feuda, & de tabula, nobilia, militaria, ac etiam quaternata, cum iuriſdictione etiam cognoſcendi, & determinandi inter ipſos infeudatos, quoties quaeſtio feudi inter ipſos tractabatur. In archivo Regum hoc perraro*

(11) *Conſt.* locorum baiuli *de cognition. cauſae eorum baiulis.*

(12) *In capitul.* iniunxit.

(13) *In Ritu* 50.

(14) *In capit.* ſtatuimus quod clerici.

(15) *De ſubfeud. lib. II. aucl.* 7. *n.* 2.

Digitized by Google

legi conceſſum. Ex hoc dignoſcitur baronem in Regno non cognoſcere de feudis, quamvis ipſe habeat facultatem conferendi.

§. III. Diverſum ſub Aragoniis ius de hac re procuſum eſt. Alphonſus I. (16) in S.Conſilio a ſe inſtituto iudicari iuſſit cauſsas feudales, cuiuſmodi ſunt ſucceſſio, inveſtitura, aſsecuratio, hominium, adoha, relevium, vita-militia, dos de paragio, atque aliae, quae feudalibus, non alodialibus legibus dirimuntur. M. Curia decretum praeambuli in feudalibus expedit; non tamen de cauſsa feudali cognoſcit, ſed de ſummario potius feudi poſſeſſorio, nec rationes expendit, an cui ius competat ſuccedendi. Quod ſi fiſci interſit, R. Camera Summariae iudicat, modo fiſcus actor ſit, aut reus, ut ſi de regalibus, iuriſdictione, imperio mero aut mixto, inveſtitura, hominio, agatur; ſi enim aliquid dumtaxat fiſci interſit, veluti de futura ſucceſſione, adoha, relevio quaeratur, tunc S. Conſilium iudicabit (17). At ſi quaeſtio feudalem qualitatem tangit, ad eamdem R. Cameram remittitur, quae feudorum codicem conſervat (18). Quare ſi ſecundonatus petit vitam-militiam ſuper re, quam feudalem eſse contendit, poſtquam R. Camera rem eſſe feudalem declaravit, S.Conſilium iudicabit. Hodie itaque lites omnes feudales, ſive in rem, ſive in perſonam, ſive clerici, aut monachi agant, vel conveniantur, in

(16) *Pragm. 3. 36. & 37. de offic. S. R. C.*
(17) *Pragm. 62. de offic. procurat. Caeſar.*
(18) *Pragm. 63. §. 6. eod.*

Digitized by Google

in S. Conſilio; ſi vero fiſci interſit, in R. Camera Summariae agitantur & diſcutiuntur. De criminalibus baronum cauſſis M. Curia cognoſcit.

§. IV. Ad iudicem proxime accedit arbiter. In iure civili probatus eſt arbitrorum uſus. Num vero iure feudorum poſſit vaſſallus de re feudali litigans ſine conſenſu domini compromittere in arbitrum, diſputatur. Adfirmant Curtius (19), Zoeſius (20), Struvius (21), Chriſt. Sigliz (22), aliique, ob textus in *lib. II. F. t.* 34. *&* 46. quibus continetur, poſſe vaſſallum ſine venia domini compromittere. Nec ulla vetat ratio, cur in iudicio feudali arbitrium habere locum non debeat, praeſertim quod vaſſallus poſſit de feudo tranſigere, etiam domino ignorante, adeoque ſine eius conſenſu, modo bona fide tranſigat (23). Tandem vaſſallo datur poteſtas litigandi active vel paſſive ſuper feudo (24); unde colligitur, eidem licere in arbitrum compromittere, quia arbitria ad ſimilitudinem iudiciorum redacta ſunt (25). In contrariam ſententiam concedunt alii ea praecipue ratione, quod ſicuti vaſſallo prohibitum eſt alienare feudum ſine venia do-

(19) *In tract. de feud. P. princip. 4. quaeſt. 7. 8. 9. n. 96. & ſeqq.*

(20) *Ad tit. D. de recept. arbitr. n. 9.*

(21) *In Syntagm. iur. feud. cap. ult. n. 8.*

(22) *Diſſ. de poteſtate arbitri in litibus feudalibus ſuscipiendi vaſſallis concedenda.*

(23) *II. F. 26. & 43.*

(24) *Cit. t. 43.*

(25) *L. 1. D. de recept. arbitr.*

Digitized by Google

domini, ita etiam compromittere, quum per compromissum iuncto laudo arbitrorum facile possit deveniri ad alienationem feudi. Stryckius (26) aliique distinguunt inter causam ad iudicem ordinarium, & ad dominum feudi spectantem; ita ut in illa vasallus compromittere possit secundum laudatos textus, in hac non item, quia compromittendo vasallus domino praeiudicare non potest. Nec desunt qui ea distinctione rem transigunt, ut vasallo liceat compromittere in praeiudicium sui dumtaxat, non autem domini. Verum distinctio tam Stryckii, quam istorum nimis generalis est, & minus rem explicare videtur. Nemo enim negat, nullum esse compromissum, quum in domini praeiudicium vergit, & in quantum huic praeiudicat, ut & in causis alodialibus compromissum in alterius praeiudicium non valet, secundum illud: *Res inter alios acta aliis praeiudicare aut nocere non debet* (27). Quod si supponatur, vasallum in causa ad iudicem ordinarium spectante compromittere posse, non item ad dominum feudi, quia compromittendo ei praeiudicare nequit, tunc ex hoc ita distinguentium supposito sequeretur, quod causa feudalis numquam ad dominum ab eo ut a iudice discutienda spectare possit, quia nemo iudex esse potest in causa propria, inque ea, in qua de eius praeiudicio agitur, & nec do-

(26) *In epitom. iur. feud. cap.* 29. *q.* 22. *& cap.* 25. *q.* 11.

(27) *Tot. tit. C. inter alios acta, vel iudicata aliis non nocere.*

Digitized by Google

dominus iudex feudalis *in tali cauſſa, quae ad eum quodammodo ſpectare videtur* (28): quae conſequentia quum apertis iuris feudalis textibus adverſetur, quibus dominus iudex inter duos vaſſallos in cauſſa feudali ſtatuitur, profecto nec diſtinctio illa, quae talem poſt ſe traheret illationem, admittenda eſt, quia probaret, cauſſam feudalem inter duos vaſſallos ne ad domini quidem iudicium pertinere. Iure patrio cauſſae omnes feudales ſine Regis adſenſu compromitti nequeunt (29).

CAP. III.

De proceſſu feudali.

§. I. REgulariter in iudicio feudali idem ſervatur ordo, qui in civili, niſi peculiare quidpiam iure feudali cautum inveniatur (a): quae tamen ſingularia moribus fere deſueverunt, recepto ubique in foris civilibus ordine iudiciorum a iure pontificio maximam partem profecto. Feudale itaque iudicium fere in omnibus alodiali reſpondet; unde requiruntur oblatio libelli, vocatio in ius, litis conteſtatio, probationes, & praeſumtiones, ſententia definitiva, eiuſ-

(a) Proceſſum feudalem ſecundum ius Longobardicum & Germanicum fuſe explicat Iac. Frid. Ludovici *de proceſſu in cauſſis feudalibus*, Halae 1718. 4.

(28) *II. F. 46., & tit. Cod. ne quis in ſua cauſſa iudicet, vel ius ſibi dicat.*

(29) *Conſt.* divae memoriae *de revoc. feud.*, & *pragm. 1. de arbitr.*

Digitized by Google

eiusque executio, appellatio, idque genus alia. A libello inchoandum, qui rem, causſam petendi, & nomen actoris continere debet (1). Videtur vaſſallus ſine venia dominum in ius vocare non poſſe exemplo liberti (2); at impetratio veniae in moribus exolevit, licetque vaſſallo dominum modeſte ac reverenter in ius vocare. Trina vero in cauſſis feudalibus requiritur citatio, ſpatio ſeptem, vel decem dierum diſtincta (3); ſed hodie eadem eſt citandi ratio, quae in civilibus. Quod ſi vaſſallus citatus non compareat, dominus in poſſeſſionem feudi mittitur, data illi poteſtate intra annum recuperandi poſſeſſionem, quo elapſo feudum amittit (4); idemque de domino contumace dicendum. Porro reconventio coram iudice feudali fieri poteſt, ſi cauſſa ſit feudalis; ſecus, ſi non feudalis, quia in cauſſis non feudalibus nullam pares curiae iuriſdictionem habent; niſi cauſſae ſint adeo inter ſe connexae, ut ſeparari nequeant. Hinc nec vaſſallus coram iudice ordinario in cauſſa feudali reconveniri poteſt. Poſt citationem conteſtatur lis per actoris intentionem & rei contradictionem (5). Iure civili litigantes de calumnia iurare coguntur, quique iurare detrectat cauſſa cadit (6). At iure feudiſtico nec vaſſallus a do-

(1) *II. F.* 22.
(2) §. 12. *inſt. de act.*
(3) *Conf. II. F.* 22. *pr.*, & *II. F.* 24. §. 1.
(4) *II. F.* 21.
(5) *L.* 1. *C. de lit. conteſt.*
(6) *L.* 1. & 2. *C. de iureiur. prope. calumn.*

Digitized by Google

domino iusiurandum calumniae exigere potest ob reverentiam ipsi debitam, nec dominus vicissim a vassallo, ob fidem qua is domino obstringitur (7). Sed iamdiu sacramentum calumniae in causis feudalibus & alodialibus ob periurii metum desuevit.

§. II. Lite contestata afferendae sunt probationes vel ex fide instrumentorum, vel testibus vel iureiurando derivatae. In feudalibus controversiis plene probat instrumentum publicum a domino, & paribus curiae saltem duobus subscriptum, quod ius Longobardicum *breve testatum* adpellat (8), in quo quantitas feudi, fines, servitia, tempus, modus serviendi, ordo successionis, pacta & conditiones continentur. Hodie institutis ubique archivis feudalibus, instrumentum investiturae a domino subscriptum satis probat, omnemque decidendi rationem praebet. In testes adhiberi solent pares curiae, maxime si de probanda investitura agatur, illisque deficientibus, alii testes fide digni (9): mulier vero iure feudali idonea testis non habetur (10). In usu maxime erat iusiurandum cum sacramentalibus, seu compurgatoribus XII., inter quos sex ex agnatis esse debebant, reliqui vero extranei esse poterant, qui etiam iurabant se credere verum esse quod litigator iurabat, quamvis modo plures duodecim, modo pauciores adhiberentur (11).

§. III.

(7) *II. F.* 33. §. 1.
(8) *II. F.* 2. & 32.
(9) *I. F.* 26. & *II. F.* 2.
(10) *II. F.* 32. *in pr.*
(11) *II. F.* 32. & *alibi*.

Digitized by Google

§. III. Locum quoque habent in feudali iudicio praesumtiones. In dubio res praesumitur alodialis, non feudalis. Quum enim quaevis res natura sua sit libera, omnisque oneris & conditionis expers, feudalis vero qualitas moribus gentium rebus ipsis superinducta fuerit; nisi haec adiecta probetur, libera praesumenda est, semperque pro rerum & personarum libertate respondendum (12). Pariter potius antiquum, quam novum praesumitur feudum, si agnatus possideat, quia in dubio magis vasallo favendum est, & aequitati convenit, ut bona in agnatorum familia conserventur (13). Potius masculinum, quam femininum (14); namque naturalis qualitas cuilibet rei semper inesse praesumitur (15): de feudi autem natura est masculi successio, exclusis feminis, quae non nisi ex speciali pacto succedere possunt. Ob eandem rationem feudum potius proprium, quam improprium esse censetur, nisi aliud probetur (16). Tandem potius ex pacto & providentia, quam hereditarium praesumitur, quia ius Longobardicum hereditarium feudum ignorat, inque re dubia quisque commune ius sequi, non ab eo recedere voluisse censetur (17).

§. IV.

(12) *L. 8. & 9. C. de servit. l. 9. D. de servit. urban. praedior.*

(13) De Marinis *de generib. feud. tit. 11. n. 31.* Vulteius *lib. I. de feud. cap. 8. n. 15.*

(14) *II. F. 2. §. ult.*

(15) *L. 3. §. 1. D. de admin. tutor.*

(16) *Arg. d. t. 2. §. ult.*

(17) Vulteius *cit. loc. n. 67. seq.* Rothius *in Rendett. feud. cap. 4. q. 52.*

Digitized by Google

§. IV. Inſtructis utrinque probationibus, definitiva ſententia fertur, attentis inveſtiturae pactis, quibus ante omnia adquieſcendum eſt (18), atque legibus Regni, hiſque deficientibus, ad ius feudale Longobardiae confugiendum eſt. Forma ab iure civili ac patrio petenda, quum nihil iure feudali cautum ſit de hac re. Contra ſententiam competit appellatio. Ab iudice feudali inferiore appellatur ad ſuperiorem, vel ſi hic non detur, ad eum qui alias in cauſsis civilibus eſt ſuperior, & cuius iuriſdictioni ipſe iudex feudalis inferior ſubiacet (19). Tempus proponendae ac proſequendae appellationis, quum iure feudiſtico definitum non ſit, iure civili aut patrio regitur.

§. V. Sententia definitiva, ſi adverſus eam legitimo tempore appellatum non ſit, tranſit in rem iudicatam, adeoque exſecutioni demandatur. Feudalem ſententiam exſequitur qui eam tulit aut dominus feudi, aut pares curiae, mandando reo, ut ſub poena amiſsionis feudi iudicato pareat; nam, conceſſa iuriſdictione, omnia continentur, ſine quibus ea explicari nequit (20). Executio autem ſententiae ob aes alienum vaſſalli fieri in feudum non poteſt, niſi domino conſentiente, modo hic ſemel oppignerationi feudi non conſenſerit: in fructus vero fieri poteſt (21). Ceterum ex doctorum ſententia domino

(18) *II. F.* 2.
(19) *I. F.* 22. & *II. F.* 22.
(20) *L.* 2. *D. de iuriſd.*
(21) Conf. Philip. Slevogtium *diſſ. de executione in bona feudalia.*

Digitized by Google

no damnato datur beneficium *competentiae* exemplo patroni (22), niſi vaſsallus aeque pauper ſit; non item vaſsallo, cuius diſpar eſt ratio, niſi actu miles ſit (23).

FINIS.



(22) *L.* 17. *D. de re iudic.*
(23) *L.* 8. *eod.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google